PRÆLECTIONES
PHILOSOPHICÆ

IN

MAJORI SEMINARIO CLAROMONTENSI

PRIMUM HABITÆ.

Auctore L. B., S. Sulpitii Presbytero.



SECUNDA EDITIO

Penitus recognita et emendata.

Verbum erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. JOANN., 1, 9.

Ideæ sunt formæ quædam principales et rationes rerum quæ in intelligentia divina continentur. S. AUG., lib., 83 *Quæst.*, q. 46.

SUMMARIUM,
NOTIONES PRÆVIÆ ET INTRODUCTIO.

NANNETIS,

APUD R. MAZEAU, BIBLIOPOLAM-EDITOREM, VIA DICTA *de l'Evêché.*

PARISIIS,

Apud J. LEROUX et JOUBY, facultatis Theologiæ Bibliopolas, Via dicta *des Grands-Augustins*, 7.

1855.

Nannetis, excudebant MASSEAUX et BOURGEOIS, via dicta *Pas-Périlleux*, 10.



VERBO

INCARNATO

IN. MARIA. VIVENTI

SPECULO. SINE. MACULA. DEI. MAJESTATIS

MENTIUMQUE. CREATARUM. ILLUMINATORI. ET. MAGISTRO

IN. QUO

OMNES. THESAURI. SAPIENTIÆ. ET. SCIENTIÆ

RECONDUNTUR

HAS. PRÆLECTIONES. PHILOSOPHICAS

IPSO. ADJUVANTE. CONSCRIPTAS

IN. AMORIS. PRÆCIPUI. AVITÆQUE. DEVOTIONIS. PIGNUS

PER. MANUS. PIISSIMÆ. VIRGINIS. SAPIENTIÆ. SEDIS

MATRIS. EJUS. ET. NOSTRÆ

CONSECRAT. PERPETUOQUE. DICAT

IPSIUS. ADDICTISSIMUS. DISCIPULUS. ET. CLIENS

L. B., Presb.

Nannetis, duod. cal. Aug. anno rep. sal. MDCCCLV.

PRÆFATIO.

Ecclesiasticæ juventutis, cui jam pridem, Deo dignante, et nos et labores nostros penitus devotos habuimus, primis philosophiæ rudimentis imbuendæ gratia, opus illud denuo in lucem edimus.

Hic igitur novas curioseque elaboratas indagationes incassum quæreres. Tironibus enim elementa ediscenda, non altiora scientiæ mysteria doctis meditanda tradere voluimus. Hujus instituti memores, in his Prælectionibus conscribendis id unice nobis proposuimus ut juniores clerici solidioris philosophiæ principiis initiati, studiis theologicis aptiores reddantur, hancque eminentem dogmatum nostrorum scientiam possint acquirere, quam *sacerdotis labia custodire* debent.

Scopum hujusmodi utrum attigerimus, alii judicabunt.

Interea vero, liceat nobis nonnullas subjungere observationes quibus operis nostri naturam explicare conabimur.

1° Et primum, ut ab ipsamet, si ita loqui fas est, operis materia ordiamur, pauca dicere debemus de quæstionibus in operis decursu expositis. Duplex scopulus in earum delectu vitandus nobis erat. Vide-

licet, timere debebamus ne, omnia dicere volentes, alumnorum animos nimio pondere premeremus, aut eorum captum excederemus; neve quæcumque difficiliora sunt dimittentes, principiorum philosophicorum firmitati detraheremus. Inter utrumque hoc vitium medii incedere conati sumus; id tamen præcipuum operæ pretium ducentes ut in solidissimis philosophiæ principiis alumni instituerentur.

Hinc cum quibusdam non existimavimus quaslibet quæstiones difficiles ab elementis philosophiæ esse penitus expungendas. Non solum enim quæstionum hujusmodi expositio plurimum valet ad facultates intellectuales roborandas et evolvendas, sed etiam plurimæ earum talis naturæ sunt ut, illis omissis, aut perfunctorie tantum delibatis, jam institutio philosophica fundamento careret, proindeque insufficiens evaderet. Scientiarum enim philosophicarum id proprium munus est ut de quibuslibet notionibus et principiis rationem reddere conentur. Nullam scilicet cognitionem ut suam admittere potest, nisi altiora illius fundamenta perscrutata fuerit, regrediendo, ut ita dicam, usque ad ultimam intelligentiæ humanæ metam. Ad id autem quantus labor impendi debeat, quantæque difficultates superandæ sint, experientia testatur. Necesse est igitur cuilibet scientias philosophicas ediscere tentanti, arduas ab ipsis incunabulis occurrere quæstiones, quibus non resolutis, scientiæ, de quibus agitur, solide tractari non possent. Has quæstiones nec præterire, nec dissimulare; sed, quantum nobis possibile fuit, complete exponere debuimus.

Alias in hujus operis decursu obvias habuimus quæs-

tiones, non adeo quidem necessarias, ut sine gravi detrimento a tironibus omitti non possent; quas tamen ipsis cognitu utiles judicavimus. Quæstiones hujusmodi minutiori charactere excusas earum loco exposuimus. Sic enim vel illas præterire, vel in iis immorari quisque poterit pro libito suo.

2° Quanti intersit ut juvenum mentes nonnisi bonis sanisque doctrinis imbuantur, sedulo pensantes, omnimodam adhibuimus sollicitudinem, ut opus nostrum nihil, sub hoc respectu, reprehensione dignum exhiberet.

Prima igitur nobis regula fuit Ecclesiæ catholicæ fides, cui ediscendæ, explicandæ et propugnandæ præparare debent scientiæ philosophicæ. Sedulo quidem invigilavimus ne in opere nostro quid irreperet non tantum quod sanctissimæ huic fidei penitus opponeretur; sed etiam quod eidem minus conforme foret. Et cum B. Petri cathedram tanquam veritatis catholicæ regulam venerari debeamus, S. Romanæ Ecclesiæ judicio hoc opus subjicimus, doctrinis nostris etiam charissimis anathema dicere parati, statim ac aliquas earum ab ea improbari compertum habuerimus.

Norunt autem omnes plurimas in scientiis præsertim philosophicis inveniri quæstiones, de quibus fides penitus tacet, quas proinde in diversis sensibus resolvunt auctores. Hinc, vel inter catholicos, plures scholæ philosophicæ, quæ licet eamdem fidem quoad veritatem revelatam profiteantur, ab invicem tamen de pluribus dissentiunt. Nullius ex his scholis doctrinas exclusive amplectimur. Non diffitemur tamen nos sæpius adhærere huic scholæ quæ Platonem magistrum agnoscens et a

S. Augustino juxta christianæ doctrinæ normam reformata, ad nostram usque ætatem serie non interrupta Doctorum pietate et doctrina insignium transmissa fuit, et præsertim præcipuos seculi XVII philosophos patronos habuit.

3° Opus juventuti instituendæ destinatum, non tantum doctrinæ puritate, sed et forma expositioneque præcellere debet. Ut, vel sub hoc respectu, Prælectiones nostræ scopum illis præfixum consequerentur, hæc præstare conati sumus. — 1° In generali materiarum distributione, nec non in peculiaribus divisionibus, summæ nobis curæ fuit, ut ordo logicus servaretur; adeo ut singulæ partes sibi invicem intimo nexu concatenatæ, perfectissimam unitatem constituerent. — 2° In cujuslibet quæstionis tractatu, methodum syllogisticam, in scholis ecclesiasticis jam dudum pervulgatam, retinuimus; nulla enim alia, experientia teste, scientiarum elementis pertractandis accommodatior invenitur. Illius in primis præcisio et rigor plurimum conferunt ut alumnorum mentes ad rectitudinem informentur. Ordo quoque, juxta quem singulos quæstionis respectus distinguit et seorsim exponit, primum definitiones statuens; postea thesim astruens; demum objectiones solvens et observationes necessarias subjungens, non parum intelligentiam adjuvat ut, in qualibet quæstione, verum difficultatis punctum percipiat, illiusque solutionem attingat. — 3° Quod ad stylum spectat, præcipuam illius dotem simplicitatem esse existimavimus. Inutiles igitur verborum circuitus, constructionesque difficiliores sedulo a nobis abjecta fuerunt. Nihil tandem non effecimus, ut in hoc opere perlegendo, dictionis obscuritate alumni non

irretiantur, sicque totam ingenii sui attentionem ad quæstiones ipsas philosophicas, usque ad earum intima perscrutandas, valeant applicare.

4° Linguæ latinæ usus in toto operis decursu rigorose servatus est. Conciliorum in primis recentiorum decreta testantur quantum Ecclesia exoptet ut huic linguæ, in qua præcipua scientiæ ecclesiasticæ monumenta exscripta fuerunt, juniores clerici assuescant. Maximi igitur momenti est ut non theologiæ solum, sed et philosophiæ documenta, nonnisi in lingua latina, ipsis tradantur. Solam *Historiam Philosophiæ* patrio sermone exaravimus. In mente enim nostra, nec ediscenda, nec in scholis recitanda erit; proindeque tanquam pars proprie dicta cursus philosophici ab alumnis peragrandi haberi non debet. Ad id tantum utilis visa fuit, ut alumni illam perlegentes, pleniorem cognitionem acquirant systematum philosophicorum, quæ sæpe sæpius in Cursu nonnisi incomplete exponi potuerunt.

5° Licet pars præcipua laboris et curæ in iis quæ hucusque notavimus expensa fuerit, non ideo tamen exsecutionem, ut ita dicam, materialem operis neleximus. Chartam adhibuimus nitidam simul et firmam; eamque ita præparatam esse voluimus, ut in margine præcipuas magistri explicationes alumni exscribere possint. Characteres typographicos tales elegimus qui sine ulla oculorum defatigatione perlegerentur. Maxima tandem diligentia adhibita fuit ut a mendis textus expurgaretur. Impossibile quidem est plurimas, hoc non obstante, oculis non excidisse. Confidimus tamen eas nonnisi leviores esse, nec talis naturæ,

ut sensus immutationem et alterationem producere possint.

Dignetur Deus opus illud suo favore prosequi; benigneque concedat ut ad scientiarum philosophicarum profectum, S. Ecclesiæ catholicæ ædificationem, animarum salutem, suamque gloriam his omnibus modis procurandam inserviat.

Scribebam Nannetis, duodecimo cal. Augusti, anno sal. rep. MDCCCLV.

L. B.

SUMMARIUM TOTIUS OPERIS

AD INSTAR PROGRAMMATIS

IN ALUMNIS EXAMINANDIS

ADHIBENDUM.

(Asteriscus indicat partes quæ in operis decursu minutiori charactere excuduntur.)

NOTIONES PRÆVIÆ.

I. Notionum præviarum scopus. — Notio entis; — essentiæ; — existentiæ; — contingentis et necessarii; — causæ et effectus. — Psychologiæ objectum et fundamentum. — Cogitationis elementa. — Cogitationis objectum et subjectum. — Syllogismi definitio; elementa; principia; variæ formæ. — Certitudinis species. — * Argumentationis notio. — * Regulæ tum ab argumentante, tum a respondente servandæ (ni 1-19).

INTRODUCTIO.

II. Definitio scientiæ in genere. — Discrimen scientiæ et artis. — Controversiæ circa divisionem scientiarum. — Divisio scientiarum apud veteres. — Scientiarum divisio apud Medii Ævi Scholasticos. — Divisio scientiarum juxta Baconem. — Divisio scientiarum juxta auctores Encyclopediæ. — Divisio scientiarum juxta D. Ampère. — Præfatarum divisionum fundamentum. — Earumdem divisionum crisis. — Alia divisio scientiarum proponitur (ni 1-11).

III. Definitio philosophiæ quoad nomen. — Diversa acceptio vocis *philosophia*, quoad nomen intellecta. — Definitio

philosophiæ, quoad rem. — Philosophiæ divisio. — Pars Ontologica. — Pars Psychologica. — Pars Nomologica. — Controversia circa ordinem in tractandis philosophiæ partibus servandum. — Systema dialecticorum, Psychologistarum, Ontologistarum. — Conclusio. — Relatio philosophiæ ad cæteras scientias (ni 12-24).

LOGICA.

IV. Definitio Logicæ. — Divisio Logicæ. — Objectum et divisio Legum veritatis formalis. — Termini definitio. — Termini comprehensio et extensio. — Discrimen inter utramque. — Utriusque respectus ad invicem. — Regulæ comprehensionis et extensionis. — Definitionis notio. — Definitionis divisio. — Definitionis conditiones. — Harum conditionum necessitas. — (* Controversia circa objectum definitionis. — * Controversia resolvitur. — * Corollarium primum : Discrimen inter definitiones et propositiones. — * Corollarium secundum : Quælibet definitio est vera. — * Corollarium tertium : De definitionibus directe disputari non potest) — Observationes circa usum definitionum (ni 1-18).

V. Divisionis notio. — Ejusdem species. — Divisionis conditiones. — Propositionis definitio. — Propositionis formæ generaliores. — Natura propositionis affirmantis. — Natura propositionis negantis. — Propositionis elementa. — Modus quo subjectum a prædicato secerni potest. — Natura copulæ (ni 19-28).

VI. Distinctionis specificæ propositionum fontes. — Propositionis simplicis notio. — Propositionis complexæ notio. — Scholium : Propositionum incidentium species. — Propositionis compositæ notio. — Divisio propositionum sub respectu

quantitatis. — Divisio propositionum sub respectu qualitatis subjecti. — Specierum propositionis modo enuntiatarum reductio. — Regula circa propositiones indefinitas. — Scholium primum : Triplex universalitatis species. — Scholium secundum : Universalitas distributiva et collectiva. — Divisio propositionum sub respectu quantitatis prædicati. — Scholium : Æqualitas extensionis, per accidens invenire potest, inter subjectum et prædicatum. — Corollarium : Variæ propositionum classes, ex quantitate terminorum desumptæ. — *Schemata propositionum. — Propositionum divisio ex natura affirmationis. — Notio propositionis categoricæ, hypotheticæ et disjunctivæ. — Modalium propositionum notio et divisio. — * Propositionum modalium regulæ. — * Regularum modalitatis applicatio (ni 29-49).

VII. Mutationis propositionum natura et divisio. — Conversionis definitio. — Thesis prima : *Conversio propositionum talis esse potest naturæ, ut sensus conversæ idem sit ac sensus convertendæ.* — Thesis secunda : *Ut idem sensus servetur, requiritur et sufficit ut termini latius non sumantur in conversa quam in convertenda.* — * Conversionis species. — *Notio conversionis directæ. — * Indirectæ. — * Conversionis indirectæ fundamentum. — * Regulæ circa conversionem propositionum. — * Conversionum utilium schema. — Controversia circa naturam oppositionis. — Oppositionis definitio. — Oppositionum species. — Oppositionum schema. — Scholium : Oppositionis regularum restrictio. — Æquipollentiæ definitio. — Regulæ. — Formarum Æquipollentium schema (ni 50-68).

VIII. Syllogismi definitio generalior. — Syllogismi notio. — Syllogismi instituendi conditio ; — modus ; — artificium ; — elementa ; — materia remota ; — materia proxima ; — forma. — Quid sint syllogismi principia. — Principia syllogismorum per substitutionem. — Principia syllogismorum per deductionem (ni 69-81).

IX. Regularum syllogismi notio. — * Regulæ *veterum* dictæ. — * Regularum veterum crisis. — * Regula auctorum *Artis cogitandi.* — * Hujus regulæ crisis. — * Regulæ D. D. Doney. — * Illarum crisis. — Tres novæ syllogismi regulæ. — Trium istarum regularum enuntiatio et discussio. — Corollarium primum : *Duæ præmissæ particulares nullam conclusionem producere possunt.* — Corollarium secundum : *Duæ præmissæ negantes nullam conclusionem producere possunt.* Corollarium tertium : *Syllogismus non est legitimus, quando illius conclusio est, vel affirmativa cum una præmissa negante, vel negativa cum duabus præmissis affirmantibus, vel demum universalis cum una præmissa particulari* (ni 82-98).

X. * Formarum syllogismi notio. — * Prænotanda de syllogismorum forma ; de possibilibus trium propositionum combinationibus.— * Quid sit prima figura (sub-præ). — Quotuplicis generis modos habeat ? — * Thesis prima : *Ut aliquis modus syllogisticus inter modos directos primæ figuræ possit annumerari, tum minorem affirmantem, tum majorem universalem habere debet.* — * Thesis secunda : *Ut aliquis modus syllogisticus inter modos indirectos annumeretur, tria requiruntur : 1° Ut major sit universalis, si minor sit affirmans ; 2° ut conclusio sit particularis, si major sit affirmans ; 3° ut, in modis negantibus, minor sit universalis.* — * Corollarium de numero modorum primæ figuræ. — * Quid sit secunda figura (præ-præ) ? — * Thesis : *Ut aliquis modus in secunda figura concludere possit, requiritur ut habeat unam præmissam negantem et majorem universalem.* — * Quid sit tertia figura (sub-sub) ? — * Thesis : *Ut modus syllogisticus valeat in figura tertia, tum minorem affirmantem, tum conclusionem particularem habere debet.* — * Scholium : Controversia circa figurarum syllogisticarum numerum (ni 99-111).

XI. * Formarum syllogisticarum legitimitas. — * Duplex modus syllogismi valorem directe demonstrandi. — * Demons-

XVI. De applicationibus evidentiæ. — Natura judiciorum de factorum internorum realitate. — Thesis : *Judicia quævis, de factis internis quibus afficimur, sunt certissima.* — Natura judiciorum de subjecti cogitantis realitate. — Thesis : *Judicia de realitate subjecti in nobis cogitantis, sunt certissima.* — Natura judiciorum de realitate objectiva. — Systema scepticorum objectivorum. — Scepticismus objectivus D. Jouffroy. — Thesis : *Quælibet judicia, juxta perceptionem idealem prolata, certa sunt, non solum in ordine subjectivo, sed etiam in ordine objectivo.* — Corollarium : Scepticismi contradictio. — Objectionum solutio (ni 178-189).

XVII. Sensus communis notio generalior. — Sensus communis discrepat ab evidentia. — Sensus communis in excitatione receptiva non reponitur. — Sensus communis natura. — Sensus communis subjective et objective sumptus. — Quid sint sensus communis characteres. — Sensus communis characteres enuntiantur. — Horum characterum scopus. — An singuli characteres enuntiati æque requirantur. — Invincibilitatis natura. — Thesis : *Sensus communis plenam judiciis nostris certitudinem confert.* — * Objectiones (ni 190-205).

XVIII. De variis sensus communis applicationibus. — Divisio articuli. — Judiciorum memoriæ natura et divisio. — Thesis prima : *Judicia de existentia præterita animæ nostræ prolata immediate per evidentiam non constant.* — Thesis secunda : *Sensus communis ope, nobis constat* 1° *Animam nostram per aliquod tempus duravisse,* 2° *ipsam, per illud tempus, his vel illis cogitationibus affectam fuisse,* 3° *has cogitationes talem vel talem ordinem successionis inter se servavisse.* — * Objectio. — De judiciis relationis sensuum. — Quæstionis status. — Thesis prima : *Realis existentia corporum per evidentiam nobis non constat.* — Thesis secunda : *Sensus communis ope, nobis invicte constat de corporum existentia, illorumque relatione et effectibus.* — Scholium : De sensuum exercitio ad certitudinem conferendam requisito (ni 206-214).

XIX. De judiciis inductionis. — Quæstionis status. — Principium inductionis. — Thesis prima : *Principium generale inductionis evidentiæ objectum non est.* — Thesis secunda : *Sensus communis ope principii inductionis veritas astruitur.* — * Objectio. — Utrum certo determinare possimus leges productionis factorum sensibilium. — Utrum, illis determinatis, de peculiaribus applicationibus certo pronuntiare possimus. — Observanda circa miraculum. — Scholium de legitimitate judiciorum e sensibus externis prolatorum. — Factorum supra-sensibilium natura. — Factorum supra-sensibilium determinatio. — Illorum certitudo. — Consectaria (n[i] 215-227).

XX. Auctoritatis definitio. — Auctoritatis discrimen tum ab evidentia, tum a sensu communi. — Quid sint auctoritatis characteres. — Auctoritatis triplex character. — Thesis : *Auctoritas plenam judiciis nostris certitudinem conferre potest.* Quid sint auctoritatis applicationes. — Judiciorum in auctoritate fundatorum divisio. — Definitio revelationis. — Quæstiones expendendæ. — Thesis prima : *Aliquod judicium a Deo revelari, cum plena certitudine nobis constare potest.* — Scholium. — Thesis secunda : *Deus nobis revelare non potest nisi judicia quæ ab ipso vera existimantur.* — Thesis tertia : *Deus non potest verum existimare nisi illud quod reipsa verum est.* — Corollarium (n[i] 228-241).

XXI. Testimonii definitio. — Testimonium plurium judiciorum fons. — Sceptici historici. — Divisio testimonii. — Testimonii oralis legitimi dotes. — Thesis prima : *De cujusdam testimonii oralis authenticitate cum plena certitudine nobis constare potest.* — Thesis secunda : *Dari potest testimonium orale de cujus sinceritate certi existamus.* — Thesis tertia : *Dari potest testimonium orale de quo certo constet testes proferentes non fuisse deceptos* (n[i] 242-249).

XXII. Monumentalis testimonii conditiones. — Theses : *Monumentum aliquod esse* 1° *authenticum,* 2° *sincerum,*

3° *veridicum, certo quandoque constare potest.* — Historiæ legitimæ conditiones. — Theses : *Historiam esse 1° authenticam, 2° sinceram, 3° veridicam, quandoque cum plena certitudine constare potest.* — Natura judiciorum auctoritati divinæ simul et humanæ innixorum. — Illorum certitudo. — Scholium : *Non datur nisi triplex medium ad certitudinem perveniendi* (nⁱ 250-260).

XXIII. * Criterii certitudinis definitio. — * Illius notæ. — * Systema Cartesianum. — * Systema Menesianum. — * Systema Fideistarum. — * Systema Scoticorum. — * Systema Kantianum. — * Thesis prima : *Criterium certitudinis in rationis generalis testimonio reponi non debet* (nⁱ 261-271).

XXIV. * Thesis secunda : *Fides supernaturalis non est criterium certitudinis.* — * Thesis tertia : *Sensus communis non est criterium certitudinis.* — * Thesis quarta : *Criterium certitudinis in regula morum reponi non debet.* — * Thesis quinta : *Criterium certitudinis est evidentia.* — * Corollarium : *Certitudo primaria, secundaria et tertiaria* (nⁱ 272-285).

XXV. Objectum partis Apodicticæ. — Demonstrationis definitio et divisio. — Judicii per se certi definitio. — Judiciorum per se certorum divisio. — Scholium. — Thesis : *Dantur judicia per se certa.* — Judicia per se certa demonstrandi modus. — Regulæ. — Scholium de nominibus judiciorum per se certorum (nⁱ 286-296).

XXVI. Demonstrationis per consequentiam immediatam definitio et divisio. — Natura demonstrationis per conversionem. — Regulæ de connexione inter convertendam et conversam. — Scholium : Extensio istarum regularum. — Varii modi demonstrationem per conversionem instituendi. — Demonstratio qua concluditur 1° a convertenda ad conversam ; 2° a conversa ad convertendam. — Natura demonstrationis per oppositionem. — Regulæ de connexione inter propositiones oppositas, relative ad veritatem aut falsitatem. — Demon-

strationis per oppositionem instituendæ methodus. — Demonstrationis per æquipollentiam natura. — Regula de connexione inter propositiones æquipollentes. — Demonstrationis per æquipollentiam instituendæ methodus (ni 297-313).

XXVII. Demonstrationis deductivæ definitio. — Conditiones ad illius legitimitatem requisitæ. — Demonstrationis deductivæ instituendæ methodus. — Methodi syntheticæ expositio. — Exemplum demonstrationis syntheticæ. — Methodi analyticæ expositio. — Analyticæ demonstrationis exemplum. — * Methodorum syntheticæ et analyticæ ad se invicem comparatio (ni 314-321).

XXVIII. Fontes distinctionis specificæ inter demonstrationes deductivas. — Demonstratio absoluta et relativa. — Demonstratio directa et indirecta. — Demonstratio a priori et a posteriori. — De confutatione objectionum. — Diversæ species objectionum. — Modus solvendi objectiones quæ 1° Directe, 2° Indirecte thesim impugnant. — Modus solvendi objectiones, quæ thesis demonstrationes impugnant (ni 322-330).

XXIX. Appendix de Errore. — Erroris definitio. — Appendicis objectum et divisio. — Divisio fontium errorum in judicia cadentium. — Fontes intrinseci. — Inadvertentia. — Cupiditates. — Fontes extrinseci. — Sophismatum notio et divisio. — Sophismatum dictionis enumeratio. — Æquivocatio. — Amphibologia. — Accentus. — Figura dicendi. — Compositio. — Divisio. — Sophismatum extra-dictionem enumeratio. — Sophisma Accidentis. — Transitus a dicto simpliciter ad dictum secundum quid. — Transitus a dicto secundum quid ad dictum simpliciter. — Ignorantia elenchi. — Sophisma consequentis. — Petitio principii. — Circulus vitiosus. — Sophisma non causæ pro causa. — Post hoc; ergo propter hoc. — Sophisma plurium interrogationum ut unius. — Transitus a genere ad genus. — Enumeratio imperfecta (ni 1-30).

PSYCHOLOGIA.

XXX. Psychologiæ definitio et divisio. — Pars prima : de animæ essentia. — Cogitationis notio generalior ; — elementa. — Perceptionis definitio; — characteres. — An dentur perceptiones falsæ, obscuræ et confusæ. — Activitatis notio. — Activitatis duplex instans. — Activitatis terminus (ni 1-11).

XXXI. Sensus notio generalior. — Definitio. — Sensuum causa ; — characteres; — divisio. — Corollarium : *Perceptio, determinatio activa et sensus unicum actum constituunt.* — Principium objectivum cogitationis definitur. — De Ideæ ad cogitationem constituendam necessitate. — Thesis : *Nulla cogitatio, sine aliqua idea subjecto cogitanti immediate applicata, est possibilis.* — Scholium (ni 12-21).

XXXII. De Ideæ natura. — Utrum idea sit aliquid reale. — Doctrina T. Reid et scholæ scoticæ. — Doctrina scholæ ontologicæ. — Doctrina specierum intelligibilium. — Thesis : *Ideæ ens proprie dictum per se constituunt* (ni 22-25).

XXXIII. Utrum ens ideæ constitutivum sit ens existentiale an possibile tantum. — Systema D. Rosmini. — Thesis : *Ens quod ideam constituit, non est ens in genere possibile, sed ens concretum et existens.* — Quænam existentiæ species ideæ competat. — Opiniones. — Thesis prima : *Realitas ideæ a realitate subjecti cogitantis, sese objective apprehendentis, distingui debet.* — * Objectiones (ni 26-32).

XXXIV. Thesis secunda : *Objectivitas ideæ in factis contingentibus et finitis extra nos positis reponi non debet.* — Corollarium ; *Ergo ex conceptu contingentis et finiti non concludi potest nisi ad illius possibilitatem.* — * Objectiones. — Thesis tertia. *Deum solum immediate et omnia in Deo percipimus* (ni 33-36).

XXXV. Scholium : *Utrum cognitio immediata Dei cum ipsius cognitione supernaturali confundi debeat.* — * De Ideæ unitate. — * Prima hypothesis : Identitas absoluta idearum. — * Secunda hypothesis : Ideæ distinctæ ejusdem entis divini partes constitutivæ. — * Duæ classes idearum. — * Quæstiones solvendæ — * Quomodo in idea entis absoluti contineantur : Ideæ entium relativorum ; ideæ ipsius proprietatum ; ideæ proprietatum entium creatorum. — * Corollarium : triplex idea irreductibilis (ni 37-45).

XXXVI. Principii cogitantis notio. — De subjecti cujusdam cogitantis ad cogitationem constituendam necessitate. — Thesis : *Quælibet cogitatio subjectum cogitans essentialiter exigit.* — Substantiæ notio. — Thesis : *Subjectum cogitans est aliquid substantiale.* — Unitatis notio. — Thesis : *Subjectum cogitans est essentialiter unum.* — Scholium : *Subjectum cogitans est immateriale.* — Utrum animæ essentia per actualem cogitationem constituatur? — Vis cogitandi animæ inhæret, saltem in instanti quo animam apprehendimus. — Thesis : *Anima in uno existentiæ suæ instanti vi cogitandi prædita esse non potest, quin essentialiter, ac proinde indesinenter, eamdem vim possideat* (ni 46-57).

XXXVII. De actuatione vis cogitandi essentialiter animæ competentis. — An ista vis ut mera potentia, aut ut aliquid reale haberi debeat? — Controversia. — Thesis : *Vis cogitandi aliquam determinationem actualem in anima supponit.* — An vis cogitandi, ut actualis sit, aliquam cogitationem exigat? — Controversia. — Thesis : *Vis cogitandi in anima actualiter existens, cogitationem actualem in ea necessario supponit.* — Scholium — * Quomodo possibile sit vim cogitandi in aliqua cogitatione essentialiter determinari? — * Prima solutio. — * Secunda solutio. — * Utraque solutio impugnatur — * Solutio nostra proponitur. — Utrum animæ essentia in vi cogitandi ad actum reducta reponi debeat? — Thesis prima : *Quidquid de anima nostra cognoscimus ad*

vim cogitandi actuatam reducitur. — Thesis secunda : *Animam nihil aliud esse quam vim cogitantem actuatam est absolute possibile.* — Thesis tertia : *Vis cogitandi actuata cum determinatione animæ nostræ essentialiter constitutiva, prorsus identificatur.* — Corollarium : *Animæ definitio* (ni 58-73).

XXXVIII. Pars secunda : De animæ existentia. — De realitate existentiali animæ. — Thesis prima : *Anima nostra non possibili tantum, sed actuali existentia fruitur.* — Thesis secunda : *Existentia actualis animæ ab existentia Dei distingui debet.* — De creatione animæ. — Error Dualistarum. — Thesis : *Anima nostra fuit creata.* — Quomodo anima creata fuerit? — Doctrinæ. — Thesis : *Animæ humanæ in seipsis et individualiter creatæ fuerunt.* — * De epocha creationis animæ. — * Opinio Platonis. — * Opinio communior. — * Opinio Leibnitzii. — * Observanda (ni 74-86).

XXXIX. De conjunctione animæ cum organismo corporeo. — De natura organismi corporei generatim.— Organismi definitio. — Compositi substantialis natura. — Partium organicarum natura. — Vitæ natura, phænomena, principium. — De existentia organismi corporei animæ proprii. — Organismi existentiam negantes. — Thesis : *Existit organismus humanus.* — Doctrina materialistarum qui animam non distinguunt a principio vitæ organicæ. — Doctrina eorum qui animam distinguunt tum ab organismo, tum a principio vitæ organicæ. — Thesis : *Anima ab organismo et probabilius a principio vitali substantialiter distinguitur.* — * Objectio (ni 87-102).

XL. Dominium animæ in ipsius organismum definitur. — Thesis : *Dominium personale in organismum anima possidet.* — De relationibus inter animam et organismum. — Triplici modo anima pendet ab organismo. — Receptivitatis notio. — Sensus vitales, externi, intellectuales. — Corollarium. — Dependentia animæ ab organismo quatenus evolutionis activæ instrumento. — Primum factum : *Evolutio simultanea*

animæ et organismi. — Secundum factum : *Harmonia inter organismum et exercitium facultatis cogitandi.* — Temperamenti natura et divisio. — Physionomia. — Angulus faciei et tubera cerebri. — Tertium factum : *Modificationes in cogitationis exercitio ab affectionibus organicis determinatæ.* — Dependentia animæ ab organismo quatenus exsecutionis instrumento (n[i] 103-119).

XLI. Triplex respectus sub quo organismus pendet ab anima. — Anima in organismum influit ut receptivitatis evolutionis activæ et exsecutionis instrumentum. — * De præsentia locali animæ relative ad suum organismum. — * Duplex modus præsentiam realem animæ in organismo intelligendi. — * Quæstionis solutio. — * De præsentia animæ singulis organismi sui partibus. — Controversia. — * Opinio tenenda. — * Cerebrum animæ sedes. — * Quamnam cerebri partem anima occupet ? — * Scholium : Variæ hominis definitiones. — Definitio nostra (n[i] 120-132).

XLII. Animæ vita definitur et dividitur. — De anima in phasi involutionis spectata. — Status præsens animæ primitivus non est. — Cujusnam naturæ fuerit status animæ præcedens. — Sensualistarum hypothesis refellitur. — Sensus quæstionis. — Discrimen inter cogitationem distinctam et indistinctam. — Hypothesis circa statum anteriorem animæ relative ad cogitationem proponitur et astruitur. — Utrum statui cogitationis indistinctæ, cui status præsens successit, alius status præexstiterit. — Opiniones Platonis et Pythagoræ. — Opinio communior. — Opinio tenenda (n[i] 133-146).

XLIII. Evolutionis in genere natura. — Conditiones evolutionis animæ. — Conditio organica. — Status organismi primitivus. — Organismi status tempore nativitatis. — Relatio inter organismi formationem et cogitationis reflexæ productionem. — Conditio externa evolutionis animæ. — De influxu exteriori in animam. — Influxus externi definitio. — Gustus. — Olfactus. — Auditus. — Visus. — Tactus (n[i] 147-159).

XLIV. De effectu exterioris influxus relative ad cogitationem exercendam. — Prima opinio : Elementum sensibile objectum cogitationis. — Secunda opinio : Influxus externus excitatio animæ ad cogitandum. — Tertia opinio : Influxus externus cogitationis expressio. — Thesis : *Elementum sensibile ut cogitationis instrumentum haberi debet.* — Scholium : *Quomodo sensibile exprimat intelligibile.* — De influxus exterioris, ad cogitationem exercendam, necessitate. — Thesis : *Nullum cogitationis distinctæ exercitium, absque aliqua impressione sensibili, ab influxu sive præsenti sive præterito rerum externarum, est possibile.* (ni 160-167).

XLV. Natura influxus entium physicorum. — Influxus entium physicorum effectus relative ad cogitationem. — Utrum influxus rerum physicarum ad distincte cogitandum stricte requiratur. — Influxus exterioris ab entibus intelligentibus provenientis notio generalior. — Notio sermonis in genere. — Prima sermonis forma : Gestus. — Secunda sermonis forma : Loquela. — Notio linguæ seu idiomatis. — Tertia sermonis forma : Scriptura. — Scripturæ species. — Effectus influxus entium intellectualium, relative ad cogitationem. — Quomodo præfatos effectus sermo producat. — De necessitate influxus entium intelligentium ad distinctæ cogitationis exercitium. — Triplex respectus in hac quæstione distinguendus. — Utrum notio distincta intelligibilis puri absque loquela haberi possit, controvertitur. — Thesis : *Intelligibile purum absque loquela distincte ab anima cogitari nequit.* — Corollarium (ni 168-184).

XLVI. Utrum mens nostra loquelam ex seipsa possit invenire. — Opinio Condillaci. — Opinio Pantheistarum. — Opinio D. de Bonald. — Thesis : *Nonnisi per auxilium sibi extrinsecum homo ad usum loquelæ devenire potest.* — Undenam loquelæ usus nobis obveniat. — Quæstionis resolutio. — Scholium primum : Quomodo loquelam edoceamur ? — Scholium secundum : Quomodo primus homo loquelam didicerit. — Attentionis definitio. — Analysis, abstractio et synthesis, at-

tentionis instrumenta. — Attentio evolutionis animæ causa immediata. — Attentionis dotes (ni 185-197).

XLVII. De Operationibus animæ in phasi evolutionis constitutæ. — Judicii notio generalior. — Judicium tum perceptionis, tum sensibilitatis, tum activitatis exercitium includit. — Utrum judicium et cognitio distingui debeant. — Duplex controversia exponitur et resolvitur. — Judicii elementa. — Notionis definitio. — Natura termini. —Notionum comprehensio et extensio. — Affirmationis definitio. — Natura verbi. — Affirmationis mentalis causa. — Illius veritas et falsitas (ni 198-211).

XLVIII. Judiciorum species. — Facta particularia bipartito dividuntur. — Relationis sensuum definitio et objectum. — Quomodo anima affirmet existentiam corporum. — Imaginationis notio. — Duplex modus quo imaginatio exerceri potest. — Memoriæ definitio et objectum. — Quomodo anima affirmet factorum in seipsa præteritorum realitatem. — Opiniones. — Prima Opinio refellitur et secunda propugnatur. — Scholium: Memoria et nostræ identitatis cognitio sunt duo correlativa. (ni 212-225.)

XLIX. Universalis definitio. — Universalis cognitio in nobis existit. — Inductionis notio. — Inductio est aliquid universale. — Inductionis principium. — Principii hujus fundamentum et elementa. — Notio absoluti. — Duplex modus absolutum apprehendendi. — Rationis definitio. — Judiciorum rationis character distinctivus. — Rationis dotes. — Notio rectitudinis, subtilitatis et profunditatis.—Saporis æsthetici definitio. — Notio pulchri. — Saporis æsthetici analysis. — Illius diversitas in variis hominibus. — Genii artistici notio, divisio et species (ni 226-245).

L. Operationum affectivarum notio.—Illarum forma duplex. — Operationes affectivæ tum intellectus, tum sensibilitatis, tum activitatis exercitium includunt. — Operationum affectivarum elementa. — Judicium æstimationis definitur. — Discrimen ju-

dicii æstimationis a judicio in genere. — Volitionis et nolitionis definitio et objectum. — Voluntatis exercitium duplex. — Fruitionis et privationis definitio. — Operationum affectivarum species. — Amoris puri definitio. — An Amor purus in hac vita sit possibilis ? — Amoris egoïstici definitio generalior. — Primus et secundus definitionis sensus exponuntur et refelluntur. — Tertius definitionis sensus exponitur et propugnatur. Cur amor noster egoïsmo plerumque admisceatur (n[i] 246-263).

LI. Amoris socialis notio generalior; definitio ; existentia. — Amor proximi purus vel egoïsmo admixtus esse potest. — Modi diversi quibus ad suas operationes sese determinat anima. — Spontaneitatis definitio. — Hominum discrimina quoad spontaneitatem. — Spontaneitatis utilitas. — Libertatis definitio generalior. — Status diversi causarum relative ad earum determinationes. — Libertatis a necessitate seu volitionis definitio. — Quomodo possibilis sit libertas in entibus creatis. Quodnam cogitationis elementum libertatis subjectum esse possit (n[i] 264-276).

LII. De libertatis humanæ existentia. — Quæstionis status. — Libertatis humanæ impugnatores. — Thesis : *Anima humana est libertate prædita* — * Objectiones (n[i] 276-283).

LIII. Habitudinis notio. — Diversi habitudinis gradus. — Habitudinis existentia. — * Varii status animæ, relative ad operationum suarum productionem. — * Ætatum vitæ definitio. — * Ætatum divisio generalior. — * Uniuscujusque ætatis limites stricte determinari non possunt. — * De alternatione somni et vigiliæ. — Quæstiones expendendæ. — * Divisio phænomenorum somni. — * Phænomena transitus vigiliæ ad somnum. — * Phænomena durante somno observata. — * Phænomena evigilationis. — * Somnus sive in animam, sive in corpus influxum exercet. — * Status corporis et animæ in somno. — * Somni effectus. — * Quomodo somnus organismum recreet ? Quomodo animam ? — * Usus rationis definitio. — * Amentiæ natura, formæ, species, causæ (n[i] 284-306).

LIV. Conscientiæ notio generalior. — Conscientiæ simplicis definitio. — Utrum conscientia simplex sit operatio realiter distincta a factis circa quæ versatur. — Prior opinio. — Posterior opinio — Conscientia non constituit operationem distinctam. — Quomodo conscientia simplex in anima producatur : Duplex hujus quæstionis respectus. — Actus directi et reflexi. — Conscientiæ personalis definitio. — Utrum conscientia personalis operationem a conscientia simplici realiter distinctam constituat. — Prior opinio. — Posterior opinio. — Conscientia personalis operationem distinctam a conscientia simplici non constituit (n[i] 307-317).

LV. De productione conscientiæ personalis in anima. — Objectio resolvitur. — Actus personales et impersonales. — * Conscientiæ scientificæ definitio. — * Scientiæ psychologicæ natura ; objectum. — * Psychologia inter scientias annumeranda est. — Psychologia scientiarum philosophicarum pars (n[i] 318-325.)

LVI. Terminus existentiæ definitur. — Finis notio generalior. — Finis animæ humanæ cum illius beatitudine identificatur. — Beatitudinis animæ natura. — Objectum beatitudinis. — Thesis : *Deus solus beatitudinis animæ nostræ objectum esse potest.* — Beatitudinis subjectivæ natura. — Nostra beatitudinis subjectivæ definitio legitima est. — In quonam beatitudo formaliter consistat (n[i] 326-334).

LVII. De vitæ præsentis destinatione, relative ad consecutionem finis animæ humanæ. — Opiniones. — Thesis prima : *Vita præsens finem ultimum animæ humanæ non constituit.* — Corollarium : *Vita præsens est medium ad finem obtinendum.* — Thesis secunda et tertia : *Scopus vitæ præsentis, nec est purificatio, nec expiatio; sed probatio.* — De consecutione finis animæ humanæ in altera vita. — Ecclesiæ catholicæ, generisque humani fides, relative ad vitam futuram, breviter exponitur (n[i] 335-342).

LVIII. I° Status animæ post mortem corporis, probationis

cursu rite peracto, philosophice expenditur. — Thesis prima : *Anima, probationis cursu rite peracto, corpori superstes remanebit.* — Thesis secunda : *Eadem anima a beatitudine fraudari nequit, modo tamen leviora delicta ab ea commissa, et nondum expiata, abluerit.* — Thesis tertia : *Attento solo rationis lumine, determinari nequit duratio beatitudinis alterius vitæ.* — II° Status animæ post mortem, probationis cursu non rite peracto, philosophice expenditur. — Thesis prima : *Animæ quæ probationis tempus non rite peregit, tum beatitudine privari, tum in impossibilitate absoluta ad illam perveniendi, constitui potest.* — Thesis secunda : *Anima quæ libens beatitudinem amisit, pœnis positivis juste a Deo infligendis, et ab ea vel per totam æternitatem subeundis, obnoxia existit.* — Thesis tertia : *Attento solo rationis lumine, non repugnat Deum has pœnas condonare.* — Corollarium : *Dogma catholicum inferni non repugnat.* — Scholium : De unione animæ cum corpore in vita futura. (ni 343-353).

ONTOLOGIA GENERALIS.

LIX. Ontologiæ generalis definitio. — Illius discrimen a Theodicea et Cosmologia. — Conceptuum ontologicorum realitas. — Ontologiæ generalis utilitas. — Ontologiæ generalis divisio. — Notio entis. — Ens stricte definiri non potest. — Divisio primæ partis Ontologiæ quæ tractat de natura entis. — Essentiæ notio generalior. — Essentiæ definitio. — Naturæ definitio. — Essentiæ divisio in metaphysicam et physicam, in adæquatam et inadæquatam. — Elementa essentiæ. — An elementa essentiæ distinguantur tum ab essentia, tum ab invicem (ni 1-15).

LX. Divisionis elementorum essentiæ fundamentum. —

Generis definitio. — Speciei definitio. — Notarum specificarum divisio in primariam et secundarias. — Plura existere possunt entia specifice distincta. — Accidentium definitio. — Scholium primum : Prædicabilia veterum. — Scholium secundum : Generum diversitas. — Scholium tertium : Quotuplici modo genus et species intelligantur in usu ordinario (n[i] 16-24).

LXI. * De elementorum essentiæ objectivitate. — * Opinio Nominalistarum. — * Opinio Realistarum. — * Opinio Conceptualistarum. — * Conceptualismus in Nominalismum recidit. — * Thesis prima : *Universalia sunt a parte rei.* — * Thesis secunda : *Universalia independenter ab individuis in suo esse constituuntur.* — * Scholium : *Universale absque individuis existentibus concipi potest.* — * Thesis tertia : *Universalia nihil aliud sunt, a parte rei, quam rerum archetypa in essentia Dei ab æterno contenta* (n[i] 25-35).

LXII. Characterum essentiæ notio et divisio. — Unitatis definitio. — * Controversia circa unitatis definitionem. — * Opinio Suaresii. — * Opinio nostra. — Utrum quælibet essentia unitatem habeat. — Difficultates contra essentiarum unitatem. — Veritatis definitio. — Veritatis duplex species. — Falsitatis definitio. — Utrum quælibet essentiæ veritatem habeant ? — Utrum quilibet intellectus veritate gaudeat ? — Non datur falsitas essentiæ aut intellectus. — Notio pulchri. — Bonitatis definitio. — Mali definitio. — Utrum quælibet essentia bonitatem habeat ? — Corollarium primum : *Unitas, veritas et bonitas positive concipiuntur.* — Corollarium secundum : *Unitas, bonitas et veritas non sunt aliquid enti superadditum.* — Corollarium tertium : *Notæ communes essentiarum ad unitatem, veritatem et bonitatem reducuntur.* — Corollarium quartum : *Ens necessarium existit* (n[i] 36-56).

LXIII. De Existentia. — Sectionis divisio. — Existentiæ

notio generalior. — Nonnullæ existentiæ definitiones expenduntur. — Definitio existentiæ juxta scholasticos. — Actus natura. — Actus et existentia identificantur. — Existentia dici potest actus primus aut actus ultimus essentiæ. — * Corollarium primum : *Existentia non est entitas essentiæ superaddita.* — Corollarium secundum : *Quælibet essentia supponit aliquam existentiam.* — Corollarium tertium : *Actuatio nullos admittit gradus.* — Principium individuationis. — Entium existentium elementa. — Substantiæ notio generalior. — Definitio substantiæ juxta scholasticos ; — juxta Wolfium (ni 57-70).

LXIV. Definitio substantiæ juxta Leibnitzium. — Leibnitzianæ definitionis legitimitas. — Substantia prorsus iners dici non potest. — Modorum notio generalior. — Modorum definitio. — Non dantur modi mere passivi. — Quæstiones expendendæ circa substantiam et modos comparata. — Modi sine substantia esse non possunt. — An substantia sine modis esse possit. — Substantiæ in modos prioritas. — Notio imputabilitatis et subsistentiæ (ni 71-81).

LXV. De characteribus communibus existentiæ. — Quæstionis objectum et divisio. — Individualitatis definitio. — Respectus diversi individualitatis ex quibus illius species desumuntur. — Individualitas ontologica ; — hypostatica. — * Unionis hypostaticæ natura ; — * causa ; — * consectaria. — Individualitas collectiva. — Individualitas soli enti existenti competere potest. — Individualitas cuilibet enti existenti competit (ni 82-92).

LXVI. Veritatis existentialis notio. — Veritas existentialis omnibus existentiis convenit. — Non dantur objecta falsa. — Variæ species veritatis et falsitatis existentialis. — Bonitatis existentialis notio. — Bonitas existentialis objectis omnibus existentibus competit. — Non dantur objecta mala. — Bonitatis existentialis species. — Notio perfectionis (ni 93-101.)

LXVII. Relationis notio generalior. — Relationis definitio; — elementa; — species. — Relationum inter essentias natura. — Quæstio solvenda. — Opiniones. — Thesis: *Inter essentias specifice distinctas, aliqua relatio inclusionis inveniri debet.* — Quomodo relatio inter essentias constituatur. — Quæstionis solvendæ sensus. — Opiniones. — Thesis: *Essentiæ in invicem non distincte, sed indistincte et æquivalenter continentur.* — Conceptuum, ex relatione essentiarum ad invicem profluentium, notio et divisio. — Conceptus quibus apprehenduntur essentiæ in altera inclusæ. — Conceptus quibus apprehenditur essentia in qua cæteræ omnes continentur (ni 102-115).

LXVIII. Relationes quas existentiæ ad invicem habere possunt. — De Operatione. — Quæstionis divisio. — Operationis definitio; — elementa. — Causæ definitio; — divisio. — Quæstiones expendendæ. — Thesis: *Nec independentia, nec intelligentia, nec libertas causæ, ut sic, essentialiter competunt; necesse est tamen, ut, in serie causarum, aliqua inveniatur quæ iis dotibus sit insignita.* — Scholium de quintuplici causa olim admissa (ni 116-125).

LXIX. Definitio effectus. — Duplex status effectus. — Possibilitatis definitio. — Possibilitatis intrinsecæ et extrinsecæ notio. — Duæ istæ possibilitates ab invicem separari nequeunt. — Gradus possibilitatis. — Impossibilitatis definitio. — Impossibilitas intrinseca et extrinseca. — Impossibilitatis gradus. — Actuationis definitio. — Quæstio expendenda circa actuationis naturam. — Opinio scotistarum. — Opinio thomistarum. — Opinio nostra (ni 126-137).

LXX. Definitio finis. — Divisio finis. — Definitio et divisio mediorum. — Mediorum et finis discrimen essentiale. — Ordinis definitio; — divisio. — Operationis divisio. — Creationis definitio. — Influxus definitio; — variæ species. — Quæstiones circa influxum. — Operationis ad intra definitio. — * Ejus possibilitas. — * Quomodo operatio ad intra concipi debeat.—

* Conditiones requisitæ ad operationem ad intra. — Attributorum entium existentium, ex operationis conceptu profluentium, notio et divisio. — Attributa ex conceptu operationis primario profluentia. — Attributa ex conceptu operationis secundario profluentia. — Entium existentium divisio (n[i] 138-157).

LXXI. Relationum cosmicarum notio ; — divisio. — Spatium et tempus relationum cosmicarum fundamentum. — Controversia circa spatii et temporis objectivitatem. — Opinio Kantii, Leucippi, Democriti et Epicuri, Leibnitzii. — Thesis : *Tempus et spatium sunt relationes entium ad invicem.* — Scholium de systemate Newtonis et Clarkii (n[i] 158-166).

LXXII. * Definitio spatii juxta Leibnitzium. — * Coexistentiæ definitio. — * Quomodo entia sibi invicem coexistere possint. — * Utrum aliquis ordo inter res coexistentes, ut sic, concipi possit. — * Substantiæ sibi invicem pluribus modis coexistere possunt. — * Modus diversus istius coexistentiæ alicujus dependentiæ et subordinationis inter coexistentias fundamentum existit. — * Omnia judicia, quæ a nobis circa spatium proferuntur, in relationibus coexistentiæ enuntiandis, unice consistunt. — * Hæ relationes a diverso ordine, juxta quem entia sibi invicem coexistere concipiuntur, non discrepant. — * Definitio Leibnitziana admittitur. — * Notio loci. — * Corollarium : *Vacuum purum non existit* (n[i] 167-176).

LXXIII. * Definitio temporis juxta Leibnitzium. —* Successionis notio.—* Quomodo duo aut plura facta sibi invicem succedere possint. — * Utrum aliquis ordo inter res sibi succedentes concipi possit. — * Facta sibi invicem pluribus modis succedere possunt. —* Modus diversus, quo plura facta sibi invicem succedere possunt, alicujus ordinis inter successiones fundamentum existit. — * Omnia judicia nostra circa tempus, in relationibus successionis enuntiandis unice consistunt. — * Relationes istæ successionis a diverso ordine, juxta quem res sibi

invicem succedunt, non discrepant. — * Definitio Leibnitziana admittitur. — * Scholium primum : Notio prioritatis et posterioritatis; præteriti, præsentis et futuri.— * Scholium secundum : Notio et mensura durationis. — * Scholium tertium : Definitio motus (n[i] 177-189).

LXXIV. Attributorum entium existentium ex spatii et temporis conceptu profluentium notio et divisio. — Attributa 1° ex conceptu spatii ; 2° ex conceptu temporis profluentia. — Definitio quantitatis. — Quantitatis proprietates. — Multiplicabilitatis definitio ; fundamentum ; consectarium. — Divisibilitatis definitio. — An quantitas in infinitum dividi possit. — Distinctionis specificæ quantitatis fundamentum. — Quantitatis discretæ definitio. — * Quantitatis discretæ conceptus a conceptu temporis derivatur. — * Definitio numeri. — Quantitatis continuæ definitio. — * Conceptus quantitatis continuæ a conceptu spatii derivatur. — * Quantitati continuæ numeri conceptus applicari potest. — * Dimensionum extensionis definitio. — Attributorum rerum existentium ex relationibus mathematicis profluentium notio. — Attributa ex conceptu quantitatis tum discretæ; tum continuæ derivata (n[i] 190-210).

LXXV. Legum entis definitio. — Principium essentiæ. — Principium contradictionis. — Quid sit de aliqua re affirmandum aut negandum ? — Essentia in ente primum cognoscitur. — Nihili nullæ proprietates. — Ab actu ad posse valet consecutio. — A posse ad actum non valet consecutio. — Possibile posito in actu, nihil sequitur absurdi. — Actus prior est potentia — A posse ad actum transitus non fit nisi per causam. — Necessitas istud axioma sedulo exponendi. — Principii causalitatis accuratior expressio. — Principii causalitatis origo ; veritas. — Principium istud in principio identitatis fundatur. — Existentia singularium est. — Quodlibet accidens supponit substantiam. — Modus essendi sequitur esse. — Nil fit nisi propter finem. — Qui vult finem vult media (n[i] 211-231).

THEODICEA.

LXXVI. Theodiceæ definitio. — Theodiceæ dignitas. — Theodiceæ utilitas. — Theodiceæ divisio. — Primæ partis objectum; — divisio. — Notæ primariæ essentiæ Dei definitio. — Illius dotes. — Notæ Deo exclusive propriæ. — Controversia. — Theses : *Nota Dei primaria, nec in illius omnipotentia, nec in ejus necessitate existendi reponi debet ; sed in eo quod omnem entis plenitudinem Deus in se continet* (n[i] 1-13).

LXXVII. Conceptus, quorum ope, nota Dei primaria exprimi potest. — Quid sit esse supremum ; — infinitum ; — simpliciter. — Quid commune, quid diversum præfati conceptus inter se habeant. — Forma genuina notæ primariæ Dei est *Esse simpliciter*. — Definitio Dei. — Quid sit intima constitutio alicujus essentiæ. — Unitatis notio. — Utrum unitas divinæ essentiæ competat. — Thesis : *Ens simpliciter, infinitum, supremum, non meram collectionem essentiarum finitarum exprimit, sed essentiam distinctam et proprie dictam.* — Scholium. — Veritatis notio. — Thesis : *Essentia divina est veritate prædita.* — Quomodo constituatur essentiæ divinæ veritas. — Thesis : *Deus in sua veritate constituitur per actum intelligentiæ quo seipsum apprehendit* (n[i] 14-30).

LXXVIII. Bonitatis notio. — Thesis : *Essentia divina est bonitate prædita.* — Quomodo constituatur essentiæ divinæ bonitas. — Thesis : *Deus in sua bonitate constituitur per actum voluntatis, quo seipsum summopere diligit.* — Scholium. — Corollarium de independentia, vita et beatitudine Dei. — De modo quo essentia divina sese præbet concipiendam. — Quæstiones expendendæ. — Controversia. — Thesis :

Habemus ideam entis actu infiniti. — * Objectio. — Ideæ positivæ et negativæ notio. — Quæstio statuitur. — Controversiæ. — Ideæ comprehensivæ notio. — Thesis : *Idea Dei, seu entis simpliciter, non est comprehensiva.* — Corollarium. — * Objectio (ni 31-48).

LXXIX. Secundæ Partis Theodiceæ objectum et divisio. — Existentiæ Dei solide astruendæ necessitas. — Argumentorum in existentiæ Dei gratiam afferendorum divisio. — Argumentorum moralium notio. — Argumentum primum : *Ex consensu generis humani in admittendo ordine logico absoluto.* — Argumentum secundum : *Ex consensu generis humani in admittendo ordine morali.* — Argumentum tertium : *Ex consensu generis humani in admittendo ordine religioso.* — Principia solutionis objectionum (ni 49-57).

LXXX. Argumentorum physicorum notio et forma generalior. — Argumentum primum : *Ex necessitate creatoris.* — Argumentum secundum : *Ex necessitate motoris.* — Argumentum tertium : *Ex necessitate ordinatoris* (ni 58-62).

LXXXI. Argumentorum metaphysicorum notio et divisio. — Argumentum intuitivum. — Corollarium. — Argumentum deductivum a priori. — Argumentum deductivum a posteriori (ni 63-70).

LXXXII. * Crisis argumentorum, quibus Dei existentia astruitur. — * Horum argumentorum divisio. — * Primum divisionis fundamentum : Extensio conclusionis. — * Secundum divisionis fundamentum : Natura objectiva principii. — * Tertium divisionis fundamentum : Certitudo principii. — * Argumentum morale exponendi modus. — * Diversæ rationes argumentum physicum exponendi expenduntur. — * Diversæ argumentorum metaphysicorum species (ni 71-79).

LXXXIII. * De argumentorum, quæ Dei existentiam astruunt, valore. — * Quæstiones expendendæ. — * Existentia Dei in dubium revocari nequit, quin ipsamet certitudo denegetur. —

Existentia Dei certa est, non subjective tantum, sed et objective. — * Argumentorum allatorum valor respectivus. — * Duplex quæstionis respectus. — * Quæstionis solutio. — * Argumentorum, quæ Dei existentiam probant, origo. — * Epicurus, argumenti moralis auctor. — * Idem argumentum a veteribus et recentioribus frequenter adhibitum (n^{i} 80-88).

LXXXIV. * Argumenti physici origo. — * Origo argumenti ex necessitate creatoris desumpti. — * Strictior ejusdem argumenti expositio apud SS. PP. — * Origo argumenti ex necessitate ordinatoris desumpti. — * Prima adumbratio argumenti metaphysici apud Platonem. — * Idem argumentum S. Augustinus exponit et evolvit. — * Argumentum deductivum a priori a S. Anselmo primum expositum. — * Argumentum S. Bonaventuræ in Itinerario. — * Argumentum metaphysicum a Cartesio expositum. — * Argumentum intuitivum Malebranchius et Fenelonius proponunt. — * Argumentum Clarkii (n^{i} 89-100).

LXXXV. De Pantheismi confutatione. — Quæstio solvenda exponitur. — Pantheismi notio generalior. — Prima Pantheismi forma : Emanatismus. — Secunda Pantheismi forma : Formalismus. — Tertia Pantheismi forma : Idealismus. — Quæstiones expendendæ. — Thesis prima : *Identitas absoluta, ad sensum idealistarum, est rejicienda.* — * Objectio. — Thesis secunda : *Identitas personalis, ad sensum formalistarum, est rejicienda* (n^{i} 101-109).

LXXXVI. Thesis tertia : *Identitas substantialis, ad sensum emanatistarum, est rejicienda.* — * Objectiones (n^{i} 110-117).

LXXXVII. Attributorum existentiæ divinæ notio et divisio. — De necessitate existendi. — Necessitas existendi definitur. — Thesis : *Existentia Dei est absolute necessaria.* — Necessitatis existendi consectaria. — Thesis prima : *Deus existit a se.* — Thesis secunda : *Deus est*

impassibilis. — Thesis tertia : *Deus est immutabilis.* — Corollarium : *Nil contingentis in Deo invenitur.* — Immensitatis Dei notio generalior. — Diversitatis opinionum, circa immensitatem Dei, origo. — Immensitatis notio in systemate Epicuri de natura spatii : — In systemate Newtonis et Clarkii de natura Spatii : — In systemate Leibnitzii de natura Spatii (n[i] 118-131).

LXXXVIII. Dotes requisitæ in vera immensitatis notione. — Thesis prima : *Præsentia substantialis in uno loco, operativa autem in aliis, non est immensitas.* — Thesis secunda : *Extensio infinite protensa, ad sensum Newtonis et Clarkii, nec ipsa conceptum immensitatis adæquat.* — Thesis tertia : *Immensitas cum coexistentia immediata omnibus entibus perfecte identificatur.* — Definitio immensitatis. — Thesis : *Deus est immensus.* — Principia solutionis objectionum. — Æternitatis Dei notio generalior. — Diversitatis opinionum, circa Æternitatem Dei, origo. — Æternitatis notio, juxta eos qui realitatem independentem tempori adscribunt. — Æternitatis notio tum in systemate Clarkii, tum in systemate Leibnitzii circa naturam temporis (n[i] 132-143).

LXXXIX. Dotes requisitæ in vera æternitatis notione. — Thesis prima : *Præsentia actualis in uno temporis instanti, potentialis vero in aliis temporis instantibus, non est æternitas.* — Thesis secunda : *Duratio absque limite protensa, ad sensum Newtonis et Clarkii, non est æternitas.* — Thesis tertia : *Æternitas interna in existentia initii, finis et successionis experte; æternitas vero externa in coexistentia talis existentiæ omnibus cæterorum entium actibus successivis reponi debent.* — Æternitatis definitio. — Thesis : *Deus est æternus.* — Principia solutionis objectionum. — Attributorum ex conceptu quantitatis profluentium divisio. — Unicitatis definitio. — Thesis : *Deus est unicus.* — Simplicitatis Dei definitio. — Simplicitatis Dei impugnatores enumerantur. —

Thesis : *Deus, quatenus existens, est simplex.* — * Objectio (n[i] 139-157).

XC. Operatio Dei definitur. — Operationis Dei divisio. — Creationem accurate definiendi necessitas. — Vocis *Creatio* sensus diversi. — Creationis stricte sumptæ definitio. — An creatio definiri possit : *Productio ex nihilo.* — An et quatenus terminus creationis in creatore contineatur. — Creationis naturam nonnisi imperfecte cognoscimus. — Dualismi notio generalior. — Dualismus religiosus. — Dualismus philosophicus. — Thesis : *Nullum ens, præter Deum, existere potest, nisi per creationem.* — Corollarium : *Creatio est saltem in se possibilis.* — * Objectiones (n[i] 158-173).

XCI. Deus potestatem creandi in summo gradu possidet. — Conservationis notio. — De conservationis necessitate opiniones. — Thesis : *Conservatio positiva est admittenda.* — * Objectiones. — Corollarium : *Annihilatio non est operatio.* — De conservationis natura opiniones. — Controversia resolvitur. — Concursus notio. — De necessitate concursus. — Quæstionis status. — Thesis : *Ut creaturæ suam agendi facultatem ad actum applicent, ipsis necessarius est concursus divinus.* (n[i] 174-186).

XCII. * De natura concursus. — * Difficultas solvenda. — * Ordo sequendus in expositione systematum. — * Systemata circa principium concursus divini. — * Systemata circa modum quo concursus divinus in voluntatem influit. — * Systemata circa determinationem divini concursus. — * Systemata circa efficaciam divini concursus (n[i] 187-192).

XCIII. * Systemata modo exposita ad duo reducuntur. — * Systema Molinianum expenditur. — * Systema Thomisticum expenditur. — * Conclusio (n[i] 193-196).

XCIV. De operatione Dei subjective spectata. — Sectionis objectum et divisio. — De scientia Dei ad extra. — Scientiæ divinæ objectum. — Doctrinæ. — Thesis prima:

Omnia possibilia per suam scientiam Deus apprehendit. — Scholium : De numero possibilium a Deo cognitorum. — Thesis secunda : *Quælibet futura conditionata Deus cognoscit.* — Thesis tertia : *Omnia facta existentialia, præterita nempe, præsentia et futura, sive libera, sive necessaria, scientia divina comprehendit.* — Scholium : Scientiæ divinæ species (ni 197-205).

XCV. * Medium scientiæ divinæ definitur. — * Quæstiones expendendæ. — * Opinio Thomistarum. — * Opinio Molinistarum. — * Thesis prima : *Internam rerum possibilitatem, seu essentias in sua intelligentia ; earum vero possibilitatem externam, seu actuabilitatem, in sua potentia, Deus cognoscit.* — * Thesis secunda : *Quaslibet res existentes Deus cognoscit in suo actu, quatenus est subjectum operationis, vi cujus res illæ existunt.* — * Thesis tertia : *Res conditionatas Deus cognoscit in seipso, quatenus vellet illas producere aut illis concurrere, si talis vel talis poneretur conditio.* — * Corollarium de valore scientiæ mediæ (ni 206-212).

XCVI. De conciliatione scientiæ divinæ cum humana libertate. — Quæstio solvenda. — Thesis : *Divina scientia libertati humanæ nequaquam officit.* — * Objectiones. — Voluntatis Dei ad extra natura. — Quæstionis divisio. — De libertate divinæ Voluntatis in operibus ad extra. — Quæstiones examinandæ. — De ista libertate, relative ad creationem, opiniones. — Thesis prima : *Deus in determinationibus quibuscumque eliciendis, a quocumque influxu extrinseco prorsus immunis est.* — Thesis secunda : *Deus ad creandum sese determinavit per electionem veram et proprie dictam.* — Corollarium. — Thesis tertia : *Libertas divinæ voluntatis, relative ad creationem, in eo consistit quod Deus, pro libito suo, possit creare aut non creare.* — * Objectiones (ni 213-226).

XCVII. De conciliatione libertatis cum immutabilitate Dei in creatione. — Quæstio exponitur. — Prima solutio. — Se-

cunda solutio. — Discrimen inter solutionem Scotistarum et solutionem Thomistarum. — Thesis : *Deus immediate, et absque ulla suiipsius alteratione, terminum creationis producit aut non producit.* — * Objectiones (n[i] 227-236).

XCVIII. Objectum et divisio quæstionis de Legibus divinæ Voluntatis in operibus ad extra, seu de divina Providentia. — De istis Legibus, relative ad electionem finis. — Quæstiones expendendæ. — De fine Dei in creatione, opiniones. — Vox *finis* in duplici sensu sumitur. — Thesis prima : *Finis Dei creantis consistit in aliquo bono per creationem consequendo.* — Thesis secunda : *Bonum istud, si spectetur subjective, id est, tanquam finis* CUI, *in creatura reponi debet ; objective autem, seu tanquam finis* QUI *consideratum, non potest esse nisi ens divinum creaturis communicandum.* — Thesis tertia : *Communicatio Dei creaturis, in quo finis ultimus creationis reponitur, consistit in possessione beatifica Dei a creaturis, per cognitionem et amorem.* — Corollarium (n[i] 237-245).

XCIX. De gradu intensitatis communicationis divinæ. — Quæstio solvenda. — Thesis : *Deus ad sese communicandum creaturis in summo gradu non tenetur.* — Utrum Dei possessio sit finis omnium creaturarum. — Thesis prima : *Possessio Dei est ultima ratio cur singulæ creaturæ existant ; hæc igitur possessio earum omnium finis ultimus dici potest.* — Thesis secunda : *Singulæ creaturæ ad Deum per seipsas et immediate possidendum, necessario non destinantur.* — De Legibus divinæ Voluntatis, in operibus ad extra, relative ad creaturarum productionem. — Legum hujusmodi objectum. — Thesis prima : *Deus cuilibet creaturæ concedere tenetur perfectionis gradum, sine quo, finem assignatum assequi non posset.* — Thesis secunda : *Singula entia cum tali perfectionis gradu creari debent, ut sint media omnium perfectissima ad eorum finem obtinendum.* — Thesis tertia : *Præ-*

ter istum gradum, nullum est donum, cujuscumque generis, quod Deus creaturis conferre teneatur. — Corollarium primum : *Deus inæqualia dona creaturis conferre potest.* — Corollarium secundum : *Deus creare potest entia malo obnoxia* (ni 246-256).

C. Corollarium tertium : *Optimismus relativus est admittendus.* — De Legibus divinæ Voluntatis, in operibus ad extra, relative ad deductionem creaturarum ad finem. — Quæstiones solvendæ. — Thesis prima : *Deus consecutionem finis, ab ipso impositi creaturis, positiva voluntate debet intendere.* — Corollarium. — Thesis secunda : *Voluntas qua Deus intendit consecutionem finis, creaturis mundum sua unione constituentibus impositi, efficax esse debet, saltem pro aliquibus earum.* — Corollarium. — Thesis tertia : *Deus efficaciter non tenetur ut singula entia a se condita ad finem ipsis impositum perveniant.* — Corollarium. — Theodiceæ conclusio (ni 257-265).

APPENDIX

De præcipuis Erroribus circa Dei Existentiam.

CI. * Errores in hac Appendice exponendi. — * Atheismi notio. — * Atheismi species. — * Atheismi existentia. — * Atheismi causæ. — * Atheismi effectus. — * Præcipuæ atheismi formæ. — * Atheismi defensores (ni 1-9).

CII. * Pantheismus apud Indos. — * Pantheismus Parmenidis. — * Gnosticorum. — * Scholæ Alexandrinæ. — * Scoti Erigenæ. — * Spinosæ. — * Scholarum recentionum Germaniæ. — * Scholarum Galliæ recentiorum. — * Observationes de formis pantheismi, de illius fundamentis, de valore logico systematum Germanicorum, de identificatione Pantheismi cum Atheismo (ni 10-19).

CXIII. * Polytheismi notio generalior. — * Formæ. — * Polytheismi originem diversa explicandi ratio. — * Opinio tenenda. — * Polytheismi initium et causæ. — * Controversia de natura Polytheismi a majori parte generis humani olim admissi. — * Opinio D. de la Mennais exponitur et confutatur. — * Opinio quorumdam exponitur et confutatur. — * Opinio communis (ni 20-27).

COSMOLOGIA.

CIV. Cosmologiæ definitio. — Cosmologiæ et scientiarum physicarum discrimen. — Cosmologiæ duplex respectus. — Cosmologiæ divisio. — Pars prima : De entibus mundi in eorum essentia spectatis. — De essentia entium mundi in genere. — Thesis : *Essentia entium mundi ab essentia divina discriminatur.* — Nota cujus ope essentia entium mundi ab essentia divina discrepat. — Hujus notæ varii gradus. — Solutiones diversæ. — Thesis : *Idea finitudinis complectitur essentias alias aliis perfectiores sine limite* (ni 1-12).

CV. Corollarium : Quomodo entia mundi de Deo participent. — De essentia entium mundi in specie. — Objectum et divisio quæstionis. — Materiæ notio generalior. — Quæstiones expendendæ. — Sensibile et intelligibile definiuntur. — Schema intelligibile materiæ determinatur. — De natura istius schematis in se spectati. — Prima opinio : Extensum indivisibile. — Secunda opinio : Extensum in infinitum divisibile. — Tertia opinio : Extensum in elementa simplicia resolubile. — Has opiniones discutiendi necessitas. — Thesis prima : *Quodlibet extensum est divisibile.* — Corollarium : Extensum concipi nequit nisi ut aggregatio substantiarum unitarum, quamvis distinctarum. (ni 13-26).

CVI. Thesis secunda : *Extensum non est divisibile in infini-*

tum. — Corollarium : Materia constituitur per elementa inextensa. — * Objectiones. — * Scholium. — Extensionis generatio. — De natura schematis intelligibilis materiæ in ejus elementis spectati. — Opiniones. — Thesis prima : *Aliqua activitas in materia est agnoscenda.* — Scholium. — Thesis secunda : *Actum specificum, quo materiæ elementa constituuntur, non cognoscimus.* — Corollarium : *Quidquid de materiali substantia objective cognoscimus, reducitur ad conceptum entium secundum quid in genere, sibi invicem coëxistentium* (ni 27-36).

CVII. De Essentia entis spiritualis.—Quæstiones expendendæ. — Spiritus etymologice definitur. — Definitio spiritus quoad rem. — Quotuplici modo materia et spiritus identificari possint. — Sensus quæstionis de discrimine materiæ et spiritus. — Opinio communis. — Opinio quæ materiam a spiritu non distinguit. — Materialismus. — Spiritualismus. — Systema Lockii. — Thesis prima : *Identificatio materiæ et spiritus, in sensu materialistarum est rejicienda.* — Thesis secunda : *Quamvis hæc identificatio, in sensu spiritualistarum, non repugnet in se; demonstrari tamen nequit ; imo, mediante inductione, hanc rejici debere demonstrari potest.* — Thesis tertia : *Si materia et spiritus specifice distinguantur, aliqua substantia ex una specie ad aliam nullo pacto transire potest.* — Scholium (ni 37-50).

CVIII. Præcipuæ classes spirituum. — Quodnam sit attributum specificum animarum humanarum; — Angelorum ; — animæ belluinæ.— Quanam via substantiæ spirituales nobis innotescant. — Thesis : *Substantiarum spiritualium essentiam non objective, sed subjective cognoscimus.* — Corollarium : *Præter Deum et materiam, nihil objective cognoscimus* (ni 51-57).

CIX. Secunda pars. — De Entibus mundi in eorum existentia spectatis. — Attributorum existentialium entium mundi,

quæ ad conceptum operationis referuntur, notio et enumeratio. — Thesis : *Existentia entium mundi non potest esse nisi contingens, ab alio, passibilis et mutabilis.* — Attributa existentialia, quæ referuntur ad conceptus spatii et temporis. — De existentia entium mundi in spatio. — Thesis : *Existentia in spatio entibus mundi competere potest; ab eorum autem natura essentialiter non exigitur.* — Varii gradus existentiæ in spatio. — Thesis prima : *Entia mundi unum saltem spatii locum occupare possunt.* — Thesis secunda : *Multilocatio est possibilis.* — Thesis tertia : *Præsentiam entium mundi ad omnia loca extendi non repugnat; attamen non possunt vera immensitate donari.* — Temporaneitatis notio et divisio. — De temporaneitate interna. — Utrum existentia entium mundi sit successiva. — Thesis : *Entia mundi accidentaliter tantum successioni subjacent* (n[i] 57-71).

CX. Utrum entia mundi initium existendi necessario habeant? — Thesis : *Existentia entium mundi sine initio absoluto concipi non potest.* — Utrum quodlibet ens mundi fini existendi sit obnoxium? — Thesis : *Entia mundi finem absolutum existendi experiri quidem possunt; illi tamen necessario non subjacent.* — Temporaneitatis externæ notio. — Quæstiones circa illam expendendæ. — Thesis : *Temporaneitas externa entibus mundi competere potest; ab illorum autem natura essentialiter non exigitur.* — Corollarium : Diversi temporaneitatis externæ gradus. — Thesis prima : *Entia mundi uni saltem tempori præsentia esse possunt.* — Thesis secunda : *Præsentia entium mundi in pluribus temporibus est absolute possibilis.* — Thesis tertia : *Entium mundi coexistentia cum omnibus temporibus non repugnat; æternitate tamen proprie dicta donari non possunt.* — Corollarium : Utrum mundus sit æternus. — Opiniones. — Quæstio resolvitur (n[i] 72-85).

CXI. Attributa existentialia entium mundi, quæ referuntur ad

conceptum quantitatis. — Quæstio statuitur. — Thesis prima : *Pluralitas individuorum entibus mundi essentialis non est.* — Thesis secunda : *Unicitas entibus mundi essentialiter non convenit.* — Thesis tertia : *Essentia quævis creabilis sine ullo limite actuari potest.* — Operationis entium mundi natura et divisio. — Operatio ad intra definitur. — Thesis prima : *Entia mundi possunt operari ad intra.* — Thesis secunda : *Entia mundi, in eorum interna operatione, sunt essentialiter dependentia.* — Thesis tertia : *Operatio interna entium mundi cum intelligentia et libertate perfici potest ; non tamen essentialiter* (ni 86-95).

CXII. De potestate entium mundi ad creandum. — Controversia. — Thesis : *Potestas creandi entibus mundi competere nequit.* Entia mundi in dependentia erga se invicem versari possunt. — Influxus physicus. — Assistentia et harmonia præinstituta (ni 96-100).

CXIII. Quæstiones expendendæ circa potestatem entium mundi ad modificandum. — Thesis prima : *Influxus physicus entium mundi in invicem est rejiciendus.* — Thesis secunda : *Dependentia inter entia mundi existens, et vi cujus illa in se invicem agere dicimus, in eo unice consistit, quod uniuscujusque modificationes sibi invicem in perfectissima harmonia respondeant.* — Thesis tertia : *Solus auctor harmoniæ inter entia mundi institutæ est Deus.* — * Objectiones. — Corollarium : Systemata assistentiæ et harmoniæ conciliantur (ni 101-110).

ETHICA.

CXIV. Etymologia vocis *Ethica.* -- Definitio morum. — Moralitatis notio generalior. — Ethicæ definitio et divisio. — Pars prima. — De moralitate in genere. — De Ratione fundamentali discriminis inter bonum et malum morale. — Utrum discrimen illud objectivum sit an subjectivum ? — Opiniones. — Thesis : *Discrimen inter bonum et malum morale in quolibet facto mere subjectivo reponi non debet* — Scholium: Valor impressionum subjectivarum relative ad moralitatem (ni 1-10).

CXV. Varii respectus objectivi actuum nostrorum. — Systema institutionis positivæ. — Systema relationis ad finem. — Systema quod moralitatem repetit ab objecto in se spectato. — Theses : *Ultimum fundamentum discriminis inter bonum et malum morale, nec ab institutione positiva, nec ex relatione actuum entis cum ipsius fine ; sed ex ipsamet voluntatis ad objectum terminatione, desumi debet* (ni 11-20).

CXVI. De natura discriminis inter bonum et malum morale. — * Opiniones Cudworthi et Pricii. — * Horum systematum confutatio. — Moralitatis fundamentum exponitur. — Thesis : *Bonum et malum morale in eo consistunt quod, per judicium æstimationis, illud quod plus entis ei quod minus entis habet anteponamus, aut non anteponamus.* — * Objectiones (ni 21-28).

CXVII. Obligationis definitio. — Obligationis duplex respectus. — Quæstio expendenda. — * Opiniones. — * Thesis prima : *Fundamentum obligationis moralis in comminatione pœnarum, pollicitationeque mercedum, reponi non debet.* —

* Thesis secunda : *Posito quod discrimen inter bonum et malum morale per se solum obligationem non possit constituere, nec illam voluntas divina producere potest.* — * Thesis tertia : *Obligatio moralis per solum discrimen inter bonum et malum morale sufficienter constituitur* — Scholium primum : *Deus obligationem moralem imponit.* — Scholium secundum : *Deus obligationi sanctionem adjungit.* — Scholium tertium : *Obligatio moralis requirit existentiam Dei* (ni 29-37).

CXVIII. De obligationis extensione. — Extensio obligationis, relative ad malum vitandum, expenditur. — Quæstionis resolutio. — Corollarium primum : *Malum ex quocumque defectu.* — Corollarium secundum : *Quisquis vult aliquid deordinatum, deordinationem velle censendus est.* — Corollarium tertium : *An dari possit ratio sufficiens actionem malam eliciendi.* — De Extensione obligationis, relative ad bonum faciendum. — Bonum aliquoties expresse velle debemus. — Distinctio inter obligationem et utilitatem. — Utilitas et obligationis expletio in eodem actu consociari possunt. — Opiniones. — Thesis prima : *Spes mercedis ab ipsamet officii expletione realiter separari nequit in agentis intentione* (ni 38-49).

CXIX. Thesis secunda : *Spes mercedis et officii expletio, per mentalem abstractionem separari possunt.* — Thesis tertia : *Obligationem servat, imo actum moraliter bonum efficit qui sibi mercedis consecutionem proponit ; perfectius tamen agit, qui nonnisi obligationis intuitu prorumpit in actum.* — Corollarium. — * De intentione bene agendi moraliter. — * Opinio Thomistarum. — * Opinio Scotistarum. — * Quid requiratur ut actio sit moraliter bona. — * Quandonam actionem bonam intendere debeamus. — * Controversiæ inter Thomistas et Scotistas resolutio (ni 50-58).

CXX. Meriti definitio. — Remuneratio et pœna. — * Quodnam sit meriti fundamentum. — * Systema sanctionis. — * Systema æqualitatis. — * Systema implicitæ electionis. — The-

ses : *Fundamentum meriti, nec in necessitate sanctionis legi morali apponendæ, nec in lege æqualitatis reponi debet ; sed in eo quod qui bene vel male agit, implicite felicitatem vel infelicitatem eligere censendus est* (ni 59-68).

CXXI. Pars secunda. — Officii definitio et divisio. — Officiorum ex lege naturali profluentium divisio. — Officiorum erga Deum notio generalior. — Officiorum quibus erga Deum astringimur, fundamentum. — Officiorum præcipuorum, quibus erga Deum astringimur, enumeratio. — Quibusnam actibus officia nostra erga Deum adimplere debeamus. — Scholium : Officia erga Deum aliorum officiorum radix et fundamentum (ni 69-74).

CXXII. De Officiis relative ad cæteros homines adimplendis. — Juris definitio generalior. — Naturam juris altius investigandi necessitas. — Natura juris exponitur. — Officiorum in singulorum hominum juribus fundatorum divisio. — Justitiæ definitio. — Officia justitiæ quæ spectant ad bona animæ. — Bonorum corporis divisio. — Jus cuique homini in vitam suam competit. — Jus cuique homini competit coactioni non subesse. — Jus proprietatis in bona externa homini competit (ni 75-86).

CXXIII. Bonorum personæ natura et divisio. — Jus habemus ad æstimationem internam. — Jus habemus ad bonam famam. — Jus habemus ad honorem. — Beneficentiæ notio. — Definitio societatis in genere. — Quomodo societas officiorum quorumdam principium esse possit. — Societatum variæ species. — Familiæ definitio ; — necessitas. — Officia a familiæ membris adimplenda. — Societatis politicæ definitio ; — necessitas. — Officia a societatis politicæ membris adimplenda. — Officia familiarum ad invicem. — Officia societatum politicarum ad invicem (ni 87-100).

CXXIV. Relationes quædam inter nos et entia nobis inferiora existunt. — Officiorum relative ad entia homini inferiora

fundamentum et divisio. — Vitæ animalis natura et finis. — Officiorum ad vitam animalem spectantium divisio.— Definitio actuum quorum objectum est vitam animalem destruere aut destructionis periculo exponere. — Thesis prima : *Homini non licet de vita sua absolute disponere.* — Corollarium. — Thesis secunda : *Periculum gravius removendum, perfectio moralis aut bonum societatis licitum reddere possunt actum ad destructionem nostram tendentem.* — Corollaria. — Thesis tertia : *Nosmetipsos vitæ amittendæ periculo exponere stricte tenemur, quoties illud necessarium est ad vitæ præsentis finem essentialem obtinendum* (n[i] 101-115).

CXXV. Actuum vitam animalem conservantium definitio. — Thesis prima : *Illicitum est, vel ad servandam vitam, ponere actum moraliter malum.* — Thesis secunda : *Ad servandam vitam facere non tenemur quidquid licite ad id fieri potest.* — Thesis tertia : *Tenemur ponendi actus ad conservationem vitæ necessarios.* — Vitæ sensitivæ notio et finis. — An delectationibus sensibilibus licite frui possimus. — An ista fruitione licite possimus abstinere. — Quandonam in usu delectationum sensibilium sit peccatum.— Quomodo unaquæque species officiorum lege naturali præscriptorum ad principium generale moralitatis religetur. — Legis positivæ definitio et divisio (n[i] 116-127).

CXXVI. Legis positivæ humanæ fontes. — Legis privatæ notio. — Vis obligatoria legis privatæ. — Legis publicæ seu civilis definitio. — Vis obligatoria legis civilis. — Legis positivæ gentium notio generalior ; — fundamenta (n[i] 128-134).

CXXVII. Pars tertia: De conscientia. — Conscientiæ definitio. — Conscientiam efformandi ratio diversa. — Controversia circa modum conscientiam efformandi per principia reflexa. — Conscientiæ species. — Conscientiæ regulæ. — Regulæ conscientiæ firmæ. — Regula conscientiæ non firmæ (n[i] 135-142).

ÆSTHETICA.

CXXVIII. Æstheticæ definitio ; — divisio. — Operationis, qua pulchrum apprehendimus, analysis. — Pars prima. — De pulchro in se spectato. — Systemata circa naturam pulchri. — Utilitatis notio. — Opiniones exponuntur — Thesis prima : *In impressione sensibili jucunda aut injucunda, pulchrum et deforme reponi non debent.* — * Objectio. — Thesis secunda : *In delectatione ab objectis in futurum mediate vel immediate recipienda*, *pulchritudinis notio reponi non debet.* — Scholium (ni 1-9).

CXXIX. Systemata novitatis et habitudinis. — Quæstiones expendendæ. — Theses : *Pulchritudo nec in novitate consistit, nec in habitudine.* — Effectus novitatis et habitudinis, — Quomodo utraque nos delectet aut ægre afficiat. — Facta quoad apparentiam opposita conciliantur (ni 10-18).

CXXX. Systematis magnitudinis seu exaggerationis expositio. — Illius cum bonis moribus oppositio. — Thesis : *Magnitudo, per se solam, pulchritudinem non constituit.* — * Objectio. — Systematis imitationis seu illusionis expositio. — Thesis prima : *Aliqua pulchritudo in imitatione est agnoscenda.* — Thesis secunda : *Pulchritudo generatim ab imitatione est distinguenda.* — Quidnam in imitatione nos delectet ? — Opinio tenenda (ni 19-27).

CXXXI. Systematis proportionis et ordinis partium expositio. — Varii sensus in quibus ordo et proportio partium intelligi possunt. — Theses : *Ordo et proportio, sub quocumque respectu spectentur, pulchrum per se non constituunt.* — Systematis unitatis et varietatis expositio. — Observationes

prævię. — Thesis : *Unitas pulchritudinem per se non constituit* (n[i] 28-36).

CXXXII. De vera pulchri notione. — De pulchro formarum sensibilium. — Status quæstionis, variæque methodi ad illam solvendam. — Symboli natura et divisio. — Rerum omnium sensibilium symbolismus. — Hujus symbolismi natura. — Symbolismus, fundamentum proprietatum æstheticarum, in rebus sensibilibus. — Quomodo rerum deformitas aut pulchritudo per earum symbolismum determinetur. — Opinio tenenda. — Corollarium (n[i] 37-45).

CXXXIII. Notio pulchri invisibilis juxta Platonem. — Regula suprema pulchri admitti debet. — Hujus regulæ dotes. — Pulchrum a vero non differt. — Species pulchri. — Notio deformitatis. — Formarum sensibilium pulchritudo aut deformitas. — Conditio requisita ut pulchrum invisibilis nos in statu præsenti æsthetice commoveat. — Opiniones. — Quæstionis solutio. — Corollarium : Elementa objecti pulchri (n[i] 46-56).

CXXXIV. Formæ pulchri enumerantur. — Opinio eorum qui pulchri formas nonnisi quoad gradum discriminant. — Opinio eorum qui easdem formas specifice distinguunt. — Opinio quæ illarum discrimen desumit ex elemento sensibili. — Opinio quæ illud desumit ex elemento intelligibili. — Opinio quæ illud desumit ex proportione inter elementum sensibile et elementum intelligibile. — Thesis prima : *Tres pulchri formæ specifice inter se discriminantur.* — Thesis secunda et tertia : *Discrimen inter pulchri formas nec ex elemento sensibi, nec ex prædominantia elementi intelligibilis et elementi sensibilis in se invicem, desumi debet.* — Thesis quarta : *Sublimitas, in evolutione entis infinita ; pulchritudo vero et venustas, in illius evolutione finita, sive libera, sive spontanea, apte reponuntur* (n[i] 57-66).

CXXXV. Pars tertia. — De arte. — Artis definitio. —

Conditiones artis. — Disciplinæ inter artes non computandæ. — Quomodo ad alios fines quam pulchri expressionem artes tendere possint. — De natura pulchri ab artibus exprimendi. — Opiniones. — Schola imitationis. — Schola idealis. — Schola idealis sensualista. — Schola idealis spiritualista. — Operum utriusque scholæ characteres. — Quæstionis resolutio (ni 67-77).

CXXXVI. Divisio regularum artium. — Regulæ quæ ad elementum sensibile referuntur. — Expressio. — Fidelitas. — Regulæ quæ ad elementum invisibile referuntur. — Unitas. — Fidelitas. — Moralitas. — Fundamenta distinctionis artium. — Ars auditus. — Artes visus. — Artes mixtæ. — Observatio circa poesim. — Ordo dignitatis inter artes (ni 78-91).

NOTIONES PRÆVIÆ.

1. Harum notionum scopus. — Quicumque inter varias Philosophiæ partes instituatur ordo, necesse est ut, vel ab hujus scientiæ tractandæ initiis, plures adhibeantur cognitæque supponantur notiones, quæ tamen nonnisi in decursu poterunt elucidari. Hinc utile duximus, antequam *Prælectionum* nostrarum limina transgrediamur, præcipuas saltem ex his notionibus brevi sermone contractas ob oculos ponere.

I° *Notiones ex Ontologia.*

2. Entis notio definitur. — *Entis* nomine designatur quidquid aliquam realitatem habet; aut melius, quidquid intellectum nostrum objective terminat.

In eo autem quod intellectum nostrum sic terminat, multiplicitatem aliquam utique deprehendimus. Hinc conceptui generaliori entis plurimi alii subordinantur conceptus, quorum ope, varietatem rerum extra nos positarum mente apprehendimus. Hi conceptus ad duplicem reduci possunt: ad conceptum nempe *essentiæ* et ad conceptum *existentiæ*.

3. Essentiæ definitio. — *Essentia* exprimit meram, ut aiunt, rei *quidditatem*, seu *illud per quod ens est id quod est*. Componitur, tanquam elementis, pluribus conceptibus distinctis quæ *notæ* seu *proprietates* rei appellantur.

Inter illas notas, quædam singulis essentiis adeo sunt propriæ, ut illas a qualibet alia distinguant. Notæ *specificæ* vocari solent; eo quod, illarum ope, essentiæ concipiuntur tanquam *species*.

Aliæ sunt notæ quæ pluribus essentiis communes sunt. Per illas notas, species in plures distribuuntur classes, quæ vocantur *genera*. Genera iterum, notarum communium ope, classes efformant, quæ sunt *genera* remotiora. Sic devenitur ad *genus summum*, quod nempe, utpote unica nota constans, aliud genus sibi superius non admittit. Hoc genus est *esse in genere*.

In qualibet notione essentiam exprimente, duo distingui debent, *comprehensio* nempe et *extensio*. — Comprehensio constituitur per proprietates cujuslibet essentiæ constitutivas : determinatur, pro unaquaque notione, per *definitionem*. — Extensio exprimit numerum, sive specierum, sive individuorum, quæ in aliqua notione includuntur : determinatur per *divisionem*.

4. Existentiæ definitio. — *Existentia* exprimit *actuationem essentiæ*. — In conceptu essentiæ, si tamen excipiatur essentia divina, semper includitur idea multiplicitatis indefinitæ individuorum, a quibus participari potest ; conceptus existentiæ, e contra, unicam individualitatem per se dicit. In hac individualitate, duplex distingui potest elementum. Prius est *substantia*, quæ concipi debet tanquam sustentaculum fundamentale eorum omnium quæ in ente existente peraguntur : hinc vulgo definitur : *ens in se subsistens* ; strictius autem : *vis activa*. Posterius est complexio *modorum*. Qua voce intelliguntur variæ determinationes quas, juxta illius naturam, substantia successive induit.

5. Contingens et necessarium. — Quælibet essentia, utpote nihil aliud exprimens quam meram alicujus entis quidditatem, est aliquid prorsus *necessarium* et *immutabile*. Quod ad *existentias* spectat, aliæ quidem iisdem insigniuntur dotibus ; aliæ vero absolute concipi possunt vel nullatenus, vel aliter existentes. Hæ nuncupantur existentiæ *contingentes*. Prior modus existendi Deo et variis illius determinationibus competit ; posterior vero rebus omnibus, quæ extra Deum existunt, est proprius.

6. Causa et effectus. — Existentiæ contingentes, cum in seipsis non habeant existendi principium, existere non possunt, nisi per efficaciam alterius rei ab ipsis distinctæ quæ illas producat. Hinc duplex notio *causæ* et *effectus*. Causa nempe dicitur quidquid in suo esse complete constitutum alicui rei initium existentiæ confert. Res autem quæ a causa eo modo producitur, vocatur *effectus*.

IIº *Notiones ex Psychologia.*

7. Psychologiæ objectum et fundamentum. — Psychologia ea est Philosophiæ pars quæ tractat de anima. Anima autem a nobis apprehenditur tanquam subjectum cogitationis seu tanquam substantia cujus determinatio specifica est cogitatio. De hujus determinationis natura quædam hic delibare operæ pretium duximus.

Cogitationis factum nobis innotescit per conscientiam, id est, per hanc vocem internam qua anima de propriis modificationibus sibiipsi rationem reddit. Ut igitur cogitationis naturam assequamur, toti esse debemus in conscientiæ documentis sedulo auscultandis.

8. Cogitationis elementa. — Porro, si conscientiæ vocem velimus interrogare, nobis constabit factum cogitationis, licet unicum, ex triplici tamen elemento coalescere.

1º Primum illius elementum est repræsentatio quædam alicujus objecti ab anima distincti, ad quod proprie terminatur cogitatio. Objectum illud in se spectatum est ens. Quatenus autem animam illuminat, seseque illi præbet intelligendum, vocatur *idea*. Operatio demum qua anima objectum illud sibi repræsentat, aut potius intuetur, vocatur *perceptio*.

2º Anima, dum percipit, suam simul, relative ad objectum perçeptum, activitatem exerit. Per hoc, ut ita dicam, constituitur cogitationis corpus. Præcipuum autem et primum activitatis animæ cogitantis exercitium est judicium, id est, affirmatio

mentalis, qua nempe anima ideæ præsentia quasi excitata, pronuntiat talem vel talem notionem in tali vel tali alia notione includi aut non includi.

3° Demum varii *sensus*, ut puta coloris, soni, etc... quibus, simul ac percipit et agit, anima afficitur, tertium constituunt cogitationis elementum. Hoc elementum producit *sermonem*, qui tantum nobis auxilium affert in veritatis acquisitione. Sermo enim, ut cuique constat, nihil aliud est quam impressio quædam sensibilis a mente libere adhibita tanquam ideæ signum, id est, tanquam speculum quoddam in quo, si ita loqui fas est, idea fit distincte apprehensibilis a mente. — Sermonis ope, idea quæ primum in unitate indistincta sese menti offerebat, dividitur in notiones distinctas quæ operationum intellectualium materiam constituunt.

9. Cogitationis objectum et subjectum. — Hinc sequitur cogitationis factum essentialiter includere respectum seu relationem quamdam inter *subjectum*, in quo recipitur, et *objectum* ad quod terminatur.

De hoc duplici elemento advertendum est 1° utrumque in cogitationis facto immediate apprehendi : utrumque enim ad constituendam cogitationem æque necessarium est. Testimonium igitur conscientiæ de triplici realitate nos simul edocet; scilicet, de *ipsomet facto cogitationis*, quod ex perceptione, affirmatione et sensu coalescit; de *subjecto illius facti*; et demum de *illius objecto*. — Advertendum est 2° nullam notitiam intellectualem a nobis haberi posse, nisi rerum quæ ad unum ex his tribus referuntur. Nihil enim cognoscimus nisi per cogitationem. Porro, per cogitationem ea tantum cognoscere possumus quæ sunt ipsius elementa constitutiva.

III° *Notiones ex Logica.*

10. Syllogismi definitio. — Syllogismum non distinguimus ab *argumento* in genere. Per illum intelligimus *operationem qua propositio aliqua ex duabus aliis deducitur.*

Ut igitur illius natura declaretur, prius dicere debemus quid sit *propositio*.

Nuper exposuimus quomodo mens, idea illuminata, ad affirmandum erumpit, duas nempe notiones jungendo aut separando. Porro, enuntiatum quod tunc profert, si spectetur tanquam objectum a mente separabile, et, verborum ope quibus exprimitur, in se apprehensibile, est illud quod *propositio* dicitur. Sic effatum istud : *Deus est sanctus*, est propositio. Propositio itaque definiri potest : *Judicium enuntiatum*, seu *verbis expressum*.

Hinc triplex elementum in propositione distingui debet : *subjectum* nempe, de quo aliquid enuntiatur; *prædicatum* quod enuntiatur de subjecto; et demum *copula*, per quam exprimitur affirmatio, quæ proinde nihil aliud est quam verbum substantivum *est*. — Prædicatum et subjectum propositionis vocantur illius *termini*.

Nunc vero, quando duæ propositiones ita se habent ad invicem ut ex his tertia sequatur propositio, adest *syllogismus*.

Hoc autem duplici in casu evenire potest.

Prior casus adest quando una propositio enuntiat terminum quemdam C identicum aut subordinatum esse relative ad terminum A ; dum altera enuntiat terminum B easdem relationes habere relative ad terminum C. Exinde enim deduci potest tertia propositio qua enuntiatur terminum B identicum aut subordinatum esse relative ad terminum A.

Posterior casus evenit quando una propositio enuntiat terminum quemdam C, nec identicum, nec subordinatum esse relative ad terminum A ; dum altera enuntiat terminum tertium B has relationes habere ad terminum C. Exinde enim recte deducitur tertia propositio qua enuntiatur terminum B nec identitatem, nec subordinationem habere ad terminum A.

Hinc strictius definiri potest syllogismus : *Operatio per quam, ex comparatione duorum terminorum cum tertio,*

concluditur hos duos terminos sibi invicem convenire aut non convenire.

Sit in exemplum sequens syllogismus :

Omne bonum est amandum ;
Atqui, Deus est bonus ;
Ergo, Deus est amandus.

Hic nempe concluditur terminos *Deus* et *amandus* de se invicem prædicari posse, eo quod prior includatur in termino *bonus*, qui ipse in termino *amandum* includitur.

11. SYLLOGISMI ELEMENTA. — In syllogismo igitur tres tantum termini inveniri debent : nempe duo termini, de quorum convenientia pronuntiandum est, et terminus cui uterque alius successive comparari debet. Duo priores vocantur *extrema*, posterior vero *medius terminus*. Extrema iterum distinguuntur in *majus extremum*, quod, in conclusione, prædicati vices gerit, et *minus extremum*, quod est ejusdem propositionis subjectum. Propositio quæ continet *majus extremum*, dicitur *major;* quæ vero *minus extremum* continet, dicitur *minor*.

Hinc pariter in syllogismo tres tantum sunt propositiones, duæ nempe *præmissæ* et *conclusio*. Connexio inter conclusionem et præmissas vocatur *consequentia*.

12. SYLLOGISMI PRINCIPIA, — Syllogismi valor duobus nititur principiis : 1° *Quod affirmatur de genere, de speciebus affirmari debet.* 2° *Quod excluditur de genere, de speciebus quoque excludi debet.*

13. DIVERSÆ SYLLOGISMI FORMÆ. — Forma primitiva syllogismi nonnunquam immutatur. Sic producuntur variæ argumentorum species quarum præcipuæ sunt : *enthymema, syllogismus hypotheticus, syllogismus disjunctivus et dilemma.*

Enthymema nihil aliud est quam syllogismus truncatus, id est, in cujus enuntiatione una ex præmissis reticetur. V. g., *Deus est bonus ; ergo est amandus.*

Syllogismus hypotheticus est argumentum in quo con-

clusio eruitur ex dependentia quam inter se habere supponuntur duæ propositiones; ita ut ex veritate unius, quæ *antecedens* dicitur, sequatur veritas alterius, quæ dicitur *consequens*. V. g.: *Si Deus est bonus, est amandus; atqui, est bonus; ergo est amandus.*

Syllogismus disjunctivus est argumentum in quo, conclusio eruitur ex oppositione quam inter se habere supponuntur duæ propositiones, vi cujus, ex veritate unius sequitur falsitas alterius et vice versa. V. g.: *Vel sol quiescit, vel movetur; atqui, sol quiescit; ergo non movetur.*

Dilemma est syllogismi genus in quo, post divisionem totius cujusdam in suas partes, idem de toto affirmatur ac de partibus. Sit in exemplum sequens argumentum : *Si quis in hac vita perfecte beatus esse posset, vel libidines suas coercendo, vel illis frena relaxando. Atqui neutrum dici potest. Non prius; ut enim libidines nostras coerceamus, necesse est ut nobis pluribus modis vim inferamus, quod cum perfecta beatitudine stare nequit. Non posterius; qui enim libidinibus frena relaxat, conscientiæ remorsibus angitur, nec proinde potest esse beatus.*

Nota. — Quælibet illæ syllogismorum species pluribus subjiciuntur regulis quarum expositionem ad *Logicam* remittimus. Brevem de his præcipuis argumenti formis notionem dedisse nobis sufficiat.

14. Certitudinis notio. — Judicii alicujus certitudo in eo consistit quod ita proferatur, ut essentialem cum veritate connexionem habeat.

15. Certitudinis species. — In triplici autem casu judicium cum veritate essentialiter connexum invenitur, quando nempe fundatur : 1° in *evidentia;* 2° in *sensu communi*; 3° in *auctoritate legitima.* Unde triplex modus ad certitudinem perveniendi.

1° *Evidentia* adest in judiciis, quando nihil aliud affirmamus quam ea quæ in ipsomet cogitationis facto includuntur. Tale

est, v. g., istud judicium : *Bis duo dant quatuor.* — Hoc motivo præsente, perfectam certitudinem simul adesse facile constat. Alioquin, cogitatio foret simul et non foret, quod nullum sensum exprimit.

2° Judicium in sensu communi fundatum dicitur quando, natura ipsa duce, illud proferimus. — Certitudo judiciorum eo modo prolatorum in eo fundatur quod natura nostra, utpote a Deo producta, nos in errorem ineluctabilem inducere non potest : tum enim Deus ipse causa erroris existeret.

3° Denique judicia in auctoritatis motivo fundata ea sunt quæ pronuntiamus propter testimonium entis intelligentis quod tanquam regulam veritatis agnoscimus. — Porro, quoties sive evidentiæ, sive sensus communis ope, nobis constat ens aliquod, dum testimonium profert, nec decipi, nec decipere posse, evidens est judicium ipsius auctoritati fundatum errori nequaquam obnoxium esse. Auctoritas igitur inter motiva judicandi certa computari potest.

Advertendum est tria hæc certitudinis fundamenta talem inter se ordinem servare, ut primum ex seipso suam desumat firmitatem, secundum primo innitatur, tertium tandem duo alia necessario prærequirat.

16. Demonstrationis natura. — Demonstratio consistit in ostendendo unum ex tribus certitudinis fundamentis modo enuntiatis alicui propositioni applicari posse, ideoque propositionem hanc esse certam.

Hoc quandoque efficitur immediate et absque ullo discursu : tunc propositio dicitur *per se certa, primum principium, axioma,* etc...

Sæpius autem, ad demonstrationem conficiendam, aliqua opus est deductione, qua nempe ostenditur propositionem demonstrandam ex duabus aliis, quarum certitudo constat, recte inferri. Cum enim falsum in vero includi non possit, posito quod duæ propositiones sint certo veræ, quidquid legitime ex eis deducitur, eo ipso est verum.

Hinc ut demonstratio per deductionem sit valida, requiritur tantum 1° ut præmissæ, in illa adhibitæ, sint certæ; 2° ut propositio demonstranda cum illis syllogismum efformet, id est, ex illis logice deducatur.

Plurimæ dantur demonstrationum deductivarum species, quarum præcipuæ sunt demonstratio *a priori* et demonstratio *a posteriori*. — Demonstratio efficitur *a priori*, quando veritas præmissarum veritatem conclusionis logice præcedit. — *A posteriori* e contra fit demonstratio, quando veritas conclusionis præcedit veritatem præmissarum.

De Argumentatione.

17. Argumentationis notio. — Argumentationis nomine vulgo in scholis intelligitur disputatio in qua inter se contendunt duo alumni, quorum alter thesim aliquam propugnandi, alter vero impugnandi munus suscipit. Hujusmodi exercitiorum usus, utpote, tum ad ingenii acritatem exacuendam, tum ad rerum philosophicarum intelligentiam conferendam, perutilis, retineri debet. Antequam igitur his Notionibus finem imponamus, regulas quæ in illis tum ab argumentante, tum a respondente servari solent, exponemus.

18. Regulæ ab argumentante servandæ. — Thesim aliquam impugnans, hæc præstare debet.

1° Licentia objectiones proponendi a præside et astantibus postulanda est his verbis : *Si prius jusserit reverendissimus superior* (*vel præsul*, si adsit episcopus), *et annuerint sapientissimi directores*, *faveritque ornatissima astantium corona*, *argumentabor*, *amantissime condiscipule*, *contra unam e thesibus tuis sic positam*... (hic thesis impugnata enuntiatur) ; *ego vero contra contendo*... (hic enuntiatur propositio thesi impugnatæ contradicens): *unde mihi videtur male positam esse tuam thesim.*

2° Dum respondens thesim impugnatam variis comprobat argumentis, sedet argumentans. Postea surgit, suamque difficultatem aperit, illam primum fuse et oratorio modo evolvens, deindeque ad formam syllogisticam reducens, his verbis : *Unde sic brevius et in forma*...

3° Negata ab adversario, aut distincta aliqua propositione, qui

argumentum proposuit illam probare nititur. Ne autem ad aliud transire, sicque a quæstione deviare possit, ante quodlibet novum argumentum a se propositum, dicere debet : *Probo majorem* (aut *minorem*) *a te negatam, scilicet*... (hic repetit propositionem); aut si propositio fuit distincta, dicit : *Probo majorem* (aut *minorem*) *in sensu distinctionis tuæ, scilicet*... (hic repetit propositionem juxta sensum in quo fuit negata.)

19. Regulæ a respondente servandæ. — Respondens sequentes servare debet regulas.

1° Dum impugnatur thesis, juxta modum mox expositum, sedere debet; postea autem surgens sic incipit: *Argumentatur amantissimus condiscipulus contra unam e thesibus meis sic positam*... (hic thesim enuntiat); *ille vero contra contendit*... (adversarii propositionem repetit); *unde illi videtur male positam esse meam thesim*. Tunc iterum hanc impugnationem repetit; non tamen, sicut prima vice, tertia persona utitur; sed adversarium secunda alloquitur, dicens: *Sic argumentaris, amantissime condiscipule*... (repetit propositionem suæ thesi contradicentem); statimque, hac assertione denegata his verbis: *Nego antecedens*, dat suæ thesis probationes.

2° Ad quodlibet argumentum ab adversario de novo propositum, sic respondere debet: *Sic argumentaris, amantissime condiscipule*... (hic integre enuntiat argumentum propositum); illud iisdem verbis iterato repetit, circa quamlibet argumenti propositionem, mentem suam simul aperiendo. Porro quælibet propositio potest esse 1° certa; 2° dubia, aut nihil ad quæstionem conferens; 3° falsa; 4° demum ambigua, seu duos aut plures sensus continens. In primo casu, concedenda est; in secundo, illi dici potest *transeat;* in tertio, neganda est; in quarto, distinctioni locus datur.

3° Negata aliqua propositione, negationis ratio afferri debet, si illud adversarius expostulaverit. Observandum est etiam *majores*, saltem quantum fieri potest, non esse negandas; illud enim aliquid injuriosi erga argumentantem includere videtur. Si autem ad id quandoque necessitas cogat, postulanda est venia his verbis: *Nego majorem, salva amicitia* (aut, si argumentans sit dignior, *salva reverentia*.)

4° Distinctio adhibetur, ut sensus falsus, quem exprimit aliqua propositio, a sensu vero, in ea pariter contento, separetur. Ut autem legitime fiat, quinque præstanda sunt in sequenti versiculo enuntiata :

Divide, defini, concede, negato, probato.

— *Divide*; id est, enuntia explicite sensum in propositione data obscure inclusum. — *Defini*; id est, explica sensum novorum verborum quibus usus es. — *Concede*; scilicet, dimitte adversario propositionem ab eo enuntiatam, intellectam juxta sensum verum quem continet. — *Negato*; id est, denega eamdem propositionem, juxta sensum falsum quem pariter exprimit. — *Probato*; id est, ostende propositionem esse falsam proindeque denegandam in sensu in quo eam negasti.

Sit, v. g., istud argumentum quo quidam probare conati sunt Deum non esse materiæ creatorem:

Causa continere debet quidquid est in effectu;
Atqui, Deus non continet materiam;
Ergo non potest esse materiæ causa.

Huic argumento, distinctionis ope, sic responderi potest. — *Distinguo majorem:* causa continere debet quidquid est in effectu *eminenter*, concedo; *formaliter*, nego. — *Divide*. Revera, duplici sensu dici potest rem aliquam continere aliam: *eminenter* scilicet et *formaliter*. — *Defini*. Res aliqua dicitur alteram continere *eminenter*, quando illam continet modo præstantiori, quemadmodum, *v. g.*, infinitum includit omnia finita. Dicitur autem rem in alia contineri *formaliter*, quando in ea includitur juxta propriam formam, sicut liquor continetur in vase. — *Concede*. Porro libenter fateor causam debere suum continere effectum *eminenter*. — *Negato*. Sed nego necessarium esse quod causa *formaliter* effectum contineat. — *Probato*. Nam ut concipiatur effectum posse produci, sufficit ut ipsius causa quidquid in eo perfectionis, seu entis est, contineat; porro illud evenit quando effectus continetur in causa eminenter. — Distincta minore in eodem sensu, nego consequens et consequentiam.

5° Aliquando, in responsionibus, retorsione uti datur. Retorsioni locus est quando e principio, cui nititur objectio, conclusio erui potest adversario contraria; vel quando, ut vitium formæ, in argumento latens, pateat, aliud argumentum ejusdem formæ, sed cujus vitium manifestum est, argumentanti opponitur.— Attamen, cum juxta adagium, *retorquere non sit respondere*, retorsione facta, argumentum nihilominus per partes confutari debet.

En exemplum retorsionis. Sit hæc adversus Dei scientiam vulgaris objectio:

Vel Deus prævidit me fore salutem assecuturum, vel non:
Si prius, quantacumque flagitia committam, infallibiliter salvus ero; proindeque de salute nil curandum.

Si posterius, quidquid agam, salutem nunquam consequi potero; ideoque iterum de eo nil curandum.

Adversus hujusmodi argumentum sequenti retorsione uti datur :

Vel Deus prævidit me fame interiturum, vel non :
Si prius, etiamsi manducavero, fame tamen interibo ; ergo nil manducandum.
Si posterius, etiamsi non manducavero, fame tamen non interibo; iterumque nil manducandum.

PRÆLECTIONES
PHILOSOPHICÆ.

INTRODUCTIO.

1. Definitio scientiæ in genere. — Ut natura scientiæ philosophicæ, cujus expositionem aggredimur, melius intelligatur, quid sit et in quotuplicem speciem dividatur scientia in genere, primum nobis dicendum est.

Statim ac mens nostra intellectuali rerum quarumcumque apprehensione percellitur, notiones distinctas quas sibi eo modo effingit, affirmatione copulat aut separat negatione. Tunc judicia pronuntiare dicitur.

Judicia autem a nobis prolata, duplicis sunt generis. Alia certa sunt, id est, veritati objectivæ sunt essentialiter conformia. Alia sunt essentialiter incerta.

Priora illud constituunt quod *cognitionem scientificam* appellant. Singulæ autem cognitiones scientificæ, quas acquirere possumus, a se invicem, uti facile constat, independentes non sunt; sed ope principiorum communium, e quibus profluunt, in plures series distribui possunt. Unaquæque ex his seriebus dicitur *scientia*.

Scientia igitur definiri potest : *Series judiciorum certorum, seu veritatum, principiorum communium ope, ad unitatem reductorum*.

2. Discrimen scientiæ et artis. — Ex hac definitione, obiter deducere possumus in quonam *scientia* differat ab *arte*.

Ars est *complexio regularum quibus dirigi debet activitas humana ut aliquem scopum obtineat*.

Sic, v. g., regulæ quæ traduntur ut veritatem alios docea-

mus, ut pulchrum opere exprimamus, ut aliquid utile consequamur, tot artes constituunt.

Hæc definitio exprimit naturam artis objective spectatæ. Si autem in subjecto spectetur, dupliciter sumi potest : vel nempe pro cognitione harum regularum, vel pro peritia qua ad earum scopum obtinendum adhibentur. In priori casu, ars non differt a scientiis, quæ *practicæ* vocari solent. In posteriori autem, ars differt a scientia quemadmodum executio mechanica differt a cognitione. Hinc qui scientiam possidet, dicitur *doctus*, qui autem novit artem, *peritus* appellatur.

3. Controversia circa divisionem scientiarum. — Plures scientias a se invicem distinctas admitti debere omnes profitentur. In determinando autem illius distinctionis fundamentum, longe abest quin inter se concordent auctores. Præcipua illorum tentamina ad illud determinandum hic exponere utile judicavimus, nostram solutionem postea propositurì.

4. Divisio scientiarum apud veteres. — Prima, in ordine temporum, exponenda occurrit scientiarum distributio in earum fine fundata (1).

Scientias primum dividit in *speculativas* et *practicas*. His si addatur *Logica*, quæ tanquam *instrumentum* (οργανον) duabus præfatis scientiæ speciebus præire debet, tripartita erit scientiarum divisio generalior: scientiæ *logicæ* quæ ad quamlibet scientiam ediscendam regulas præbent ; scientiæ *speculativæ*, quæ in earum objecti cognitione penitus sistunt ; scientiæ demum *practicæ* quæ earum objecti cognitionem ad praxim deducunt.

Scientiæ logicæ comprehendunt *Dialecticam* et *Analyticam*. Utraque regulas præscribit ad veritatem astruendam, prior per rationes probabiles, posterior per demonstrationes certas.

Scientiæ speculativæ includunt *Physicam*, *Metaphysicam*,

(1) Hanc sequitur Aristoteles et illius inventor vulgo existimatur. Plurimi tamen cum Brukerio (Hist. Philos. P. II, l. II, c. 7 s. 1 § 1), illius adinventionem, nec forsan immerito, Platoni ascribunt.

et *Mathesim*. — Physica tractat de mundo et anima. — Metaphysica est scientia rerum invisibilium et immobilium; comprehendit proinde *Ontologiam generalem* et *Theologiam* (1). — Mathesis est scientia quantitatis sive divisæ sive continuæ.

Scientiæ practicæ sunt *Ethica*, *Politica* et *Œconomia privata*.

5. Scientiarum divisio apud Medii-Ævi Scholasticos. — Apud Medii-Ævi scholasticos, alia adhibebatur scientiarum divisio, quæ distinctionis percelebris *facultatum* in Universitatibus fundamentum fuit.

Tres agnoscebantur scientiæ præcipuæ: *Theologia sacra*, quæ primum locum tenebat; *Jurisprudentia;* et *Medicina*. Iis tanquam præparatio et introductio, adjunctæ fuerunt cæteræ cognitiones quæ *artium* nomine designabantur.

Artes dividebantur in *liberales* et *mechanicas*.

Artes *liberales* septem erant et dividebantur in duplicem classem quarum prior, *Trivium* nuncupata, includebat *Grammaticam*, *Rhetoricam* et *Dialecticam;* posterior, *Quatrivium* dicta, includebat *Arithmeticam*, *Musicam*, *Geometriam* et *Astronomiam*.

Artes *mechanicæ* erant quoque numero septem, nempe: *Agricultura*, *ars venatoria*, *ars militaris*, *ars fabrilis* (quæ *Architecturam*, *Picturam* et *Sculpturam* includebat), *Chirurgia*, *ars textoria*, *ars nautica*.

In hac scientiarum divisione non inveniuntur scientiæ quæ *Physicæ*, *Metaphysicæ* et *Ethicæ* nominibus in divisione præcedenti designabantur. Reipsa disciplinæ hujusmodi vix

(1) Vox *metaphysica* quæ, vel hodie, designat speculationes de rebus supra sensus positis, diversimode ab auctoribus explicatur. Litteraliter, significare videtur *post-physica*, non vero, ut quidam volunt, *supra-physica*. Etenim, particula μετα, non *supra*, sed *post* debet interpretari. Scientia autem quæ tractat *de Deo* et *de Ente generatim* sic nuncupata est, vel quia *physica* huic præire debet; vel quia, ut aliis placet, priores Aristotelis editores ipsius libros, qui de his tractant, *post* ejus libros *physicos* collocaverant; ideoque *librorum metaphysicorum* seu *post-physicorum* nomine designaverant.

primum in scholis excultæ fuerunt. Cum autem, circa seculum XII, Aristotelis opera perlegi et doceri incœpissent, *Physica* quoque, *Metaphysica* et *Ethica* inter *artes* cœperunt annumerari.

Talis est scientiarum divisio quæ ad nostra usque tempora in scholis publicis perseveravit. In hoc tamem immutata fuit quod vetus *artium facultas* in duas facultates nuper apud nos divisa fuit. Prior, *scientiarum* dicta, *Mathesim* et varias scientias sive *physicas*, sive *physico-mathematicas* comprehendit. Posterior, *litterarum* nuncupata, complectitur *Litteraturam*, *Philosophiam* et *Historiam*. Hinc, non jam quatuor, sed quinque *facultates* apud nos distinguuntur.

6. Divisio scientiarum juxta Baconem. — Franciscus Baco, seculo XVII, novam in opere cui titulus : *De Augmentis scientiarum*, divisionem scientiæ proposuit.

Juxta illum, scientiæ omnes referri possunt ad tres mentis humanæ facultates fundamentales, scilicet : *memoriam*, *rationem* et *imaginationem*.

1° Ad memoriam refertur *Historia*, quam dividit in *civilem* et *naturalem*.

2° Ad rationem refertur *scientia proprie dicta*. quæ dividitur in *Philosophiam* et *Theologiam*. — Theologiæ subdivisio theologis determinanda relinquitur. — Philosophia autem subdividitur in *divinam*, *naturalem* et *humanam*.

3° Ad imaginationem refertur *Poesis* quæ est *narrativa*, *dramatica* aut *parabolica*.

7. Divisio scientiarum juxta auctores Encyclopediæ. — Hanc Baconis divisionem quoad essentialia renovaverunt, seculo proxime elapso, auctores operis famosi cui titulus *Encyclopédie*.

Ab his nempe scientiæ, propter motivum modo allatum, dividuntur in *Historiam, Philosophiam* et *Poesim*.

1° Historia est *sacra, civilis, naturalis*

2° Philosophia complectitur 1° *Metaphysicam generalem*;

2° *Scientiam Dei,* in qua includuntur : *Theologia naturalis*, *Theologia revelata*, *scientia spirituum bonorum et malorum* ; 3° *Scientiam hominis,* quæ sub se habet : *Pneumatologiam universalem*, *Logicam* seu *artem cogitandi, retinendi*, *communicandi*, demum *Moralem* sive *generalem*, sive *particularem* ; 4° *Scientiam naturæ* cui referuntur : *Metaphysica corporum, Mathesis pura et applicata*, demum *Physica particularis*.

3° Poesis dividitur in *profanam* et *sacram*. Utraque autem potest esse *narrativa, dramatica, parabolica*.

8. Divisio scientiarum juxta D. Ampère. — Ultima scientiarum divisio, quæ aliquam celebritatem obtinuerit, ea est quam nuper tentavit apud nos D. Ampère, in opere cui titulus : *Essai sur la Philosophie des sciences*, etc.

Nihil perfectius excogitari potest quam symmetria juxta quam, in hac divisione, variæ scientiæ distribuuntur.

Duo *regna scientiarum generaliora* dividuntur in duo *regna inferiora*, quorum unumquodque duplicem *seriem generalem* iterum continet. Quælibet *series generalis* habet duas *sub-series* ; quælibet *sub-series* duas continet scientias *primi ordinis* ; quælibet scientia *primi ordinis* duas scientias *secundi ordinis* ; quælibet demum scientia *secundi ordinis*, duas scientias *tertii ordinis*. Scientiæ *tertii ordinis* 128 numero distinguuntur. Præcipua hujus divisionis membra hic solum indicabimus.

Duo regna generaliora continent scientias *cosmologicas* et scientias *noologicas*.

1° Scientiæ *cosmologicæ*, sunt vel *cosmologicæ proprie dictæ*, vel *physiologicæ*. — *Cosmologicæ proprie dictæ* dividuntur in *mathematicas* et *physicas*. — *Physiologicæ* dividuntur in *scientias naturales* et *scientias medicinales*.

2° Scientiæ *noologicæ*, vel sunt iterum *noologicæ proprie dictæ*, vel *sociales*. — *Noologicæ proprie dictæ* dividuntur in

philosophicas et *dialegmaticas*. — *Sociales* dividuntur in *ethnologicas* et *politicas*.

9. Præfatarum divisionum fundamentum exponitur. — Ex his quatuor divisionibus, tres sunt tantum, prima nempe, tertia et quarta, in quibus scientiæ juxta ordinem rationalem distribuuntur. Ordo tamen ille diversus est in unaquaque earum. Primarium nempe Aristotelicæ divisionis fundamentum est scopus ad quem scientiæ tendere debent. In divisione Baconis fundamentum istud est facultas quam in singulis scientiis acquirendis præcipue exercemus. Demum, in divisione D. Ampère, uterque ille respectus vix attenditur, scientiæque primario dividuntur ex earum objecto.

10. Earumdem divisionum crisis instituitur. — De triplici hoc divisionis fundamento hæc notanda videntur.

1° Scopus quem scientiæ assequi debent, prout nempe, vel in mera speculatione, vel in praxi consistit, primarium divisionis scientiarum fundamentum constituere non posse existimamus. Etenim, quemadmodum nulla est scientia, quantumvis sit practica, quæ in veritatis cognitione non consistat, quæ proinde aliquid speculativi admixtum non habeat; ita nulla est scientia speculativa quæ, mediate vel immediate, ad praxim deduci non valeat. — Discrimen igitur inter scientias, ex earum scopo desumptum, sufficiens non est, ut primarium divisionis inter illas instituendæ fundamentum in eo reponatur.

2° Nec admitti posse videtur divisionis fundamentum ex objecto desumptum. Illud enim primarium fundamentum divisionis scientiarum esse non potest, quod scientias primario non constituit. Porro, ex dictis facile constat prærogativam hanc objecto in se spectato non competere. Supra enim vidimus seriem aliquam cognitionum in tantum scientiam unicam constituere posse, in quantum ad principia communia religatur. Unde concludere debemus scientias in suo *esse formali*

constitui per principia. Principia autem quibus fulcitur aliqua scientia cum ipsius objectis confundi non debere nemo non videt. — Et vero, si divisio scientiarum ex earum objecto desumi deberet, idem objectum nonnisi unicam scientiam constituere posset. Porro, constat e contra scientias a se invicem, omnibus fatentibus, valde discrepantes, ad idem objectum nihilominus terminari. Tales sunt v. g. *Sacra Theologia* et *Theodicea philosophica*, quarum utraque circa Deum versatur.

3° Quod spectat ad divisionem Baconis et encyclopedistarum, in hoc quidem laudanda videtur quod in scientiis discriminandis respectum illarum subjectivum, id est, operationem mentis res scientificas apprehendentis, non negligit. Independenter enim ab hac operatione, existit quidem materia apta ad constituendam scientiam ; formaliter autem scientia non existit, nisi per aliquam materiæ hujus ad mentem nostram relationem, qua nempe objectum scientificum *scire* dici possimus.

Hoc non obstante præfatam divisionem non admitteremus. Etenim, cum scientia per principia constituatur, divisio scientiarum subjective fundari non potest nisi ratione adhibita diversorum modorum quibus per principia cognoscimus. Atqui, nec memoria, nec imaginatio sunt modi cognoscendi per principia.

11. Alia divisio scientiarum proponitur. — Brevis illa divisionum antea expositarum crisis pene jam nobis detexit verum divisionis instituendæ fundamentum.

Scilicet, jam nobis constat fundamentum istud desumi non posse nisi ex parte principiorum quibus singulæ fulciuntur scientiæ ; ideoque tot diversæ scientiæ erunt agnoscendæ, quot principia diversæ naturæ in illis detegemus.

Nunc vero si a nobis inquiratur ratio primaria discriminis quod inter plura principia existit, facile deprehendemus discrimen istud reponi debere in diversitate fundamenti quo illo-

rum fulcitur certitudo. Principium enim quodvis consistit in enuntiatione alicujus rei de altera. Porro, enuntiatio essentialiter et primario constituitur per fundamentum propter quod profertur. Unde sequitur quod ubi diversa erunt fundamenta, ibi quoque principia, vi eorum prolata, primario discriminabuntur.

Porro, fundamenta varia quibus principia scientifica fulciri possunt, ad tria reducuntur, ad *evidentiam* nempe, *sensum communem* et *auctoritatem*.

Hinc scientias divideremus in triplicem classem generaliorem, prout earum principia primo, secundo aut tertio ex his fundamentis innituntur.

1° Quoad scientias in *evidentia* fundatas, cum, ex infra dicendis, cum *Philosophia*, de qua nunc tractandum nobis est, identificentur, earum quoque subdivisionem infra exponemus.

2° *Sensus communis* nos certos efficit de principiis quibus reguntur entia corporea extra nos posita. Scientiæ igitur quæ in illo fundantur eæ sunt quæ versantur circa mundum physicum. Porro scientiarum hujusmodi objecta sunt : vel *phænomena* mundi physici in se spectata, vel *individua* quæ hunc mundum constituunt. Hinc iterum bipartito dividuntur illæ scientiæ in *physicam* et *historiam naturalem*.

3° *Auctoritas*, vel est *naturalis*, vel *supernaturalis*. Prior circa facta socialia, posterior circa facta religiosa versatur. Scientiæ igitur, quæ in auctoritate fundantur, in *sociales* et *religiosas* seu *theologicas* apte distribuuntur.

His de scientia in genere prælibatis, de natura et divisione scientiæ philosophicæ nunc dicendum.

12. Definitio philosophiæ quoad nomen. — Quoad vim nominis, Philosophia idem sonat ac *amor sapientiæ*. Istius denominationis originem sic explicat Tullius (Tuscul., l. 5, † c. 3): «Qui olim scientiis operam dabant, σοφοι id est *sapientes* apud Græcos appellabantur. Pythagoras autem ambitiosa hac appellatione indignum se reputans, *philosophi*, id est, *ama-*

× Φιλος-σοφια. sapientia, scientiæ.
† Interrogatus Pythagoras a Leonte, principe Phliasiorum, quâ maxime arte confideret, ferunt eum respondisse «artem quidem se scire nullam, sed esse φιλοσοφον.
1 Sapientia, ut a veteribus philosophis definitum est, rerum divinarum et

toris sapientiæ modestius nomen sibi retinuit. Eodemque nomine scientiæ cultores postea designati sunt.

13. Diversa acceptio vocis *philosophia*, quoad rem intellecta. — Apposite ad hanc etymologiam, vox Philosophia in primis temporibus non adhibebatur ad scientiam specialem designandam. Vel enim exprimebat dispositionem animæ in scientiis jam edoctæ, aut saltem acquisitionis earum desiderio accensæ; vel, si ad sensum objectivum vox illa transferebatur, nihil aliud exprimebat quam *scientiam in genere*.

Cum autem, elapsis primis Ecclesiæ seculis, sacra Theologia scientifice tractari incœperit, scientiamque efformaverit penitus distinctam ab iis quas, sola ratione duce, veteres excoluerant; hæ posteriores generico *Philosophiæ* nomine designatæ fuerunt. Tunc igitur Philosophia erat complexio omnium scientiarum quæ, per solum luminis naturalis exercitium, et absque ullo recursu ad auctoritatem Dei revelantis, edisci poterant. Hinc definitiones Philosophiæ in scholis olim pervulgatæ: *Scientia ex ratione,* seu *Cognitio ex primis principiis evidenter deducta,* etc...

Philosophia, cum hac extensione intellecta, includit, non solum *Metaphysicam* seu scientiam de Deo et anima humana, sed et scientias *Physicas* et *Mathematicas*, imo et *Jurisprudentiam, Œconomiam, Politicam,* etc...

Reipsa, Philosophiæ cursus, prout olim in scholis habebatur, plerasque ex his scientiis includebat, prout constat ex *Institutionibus Philosophicis* ad nostram usque ætatem ad usum scholarum adhibitis. In his nempe Philosophia dividitur in quatuor partes: id est, *Logicam*, *Physicam*, quæ et *Mathesim* includebat, *Metaphysicam* et *Ethicam*.

Ex his autem quatuor partibus, secunda, quæ primum strictissimis limitibus restringebatur, tanta in recentioribus temporibus incrementa suscepit, ut jam tanquam scientia separata, imo tanquam complexio plurium scientiarum tractetur. Hodie

igitur Philosophia proprie dicta non includit nisi *Logicam*,^x quæ regulas ad verum perveniendi edocet; *Metaphysicam* quæ, tum de ente in genere, tum de entibus spiritualibus, et in primis de anima humana, disserit; et* *Ethicam* quæ tradit principia morum.* His tamen partibus plurimi, sub nomine *Cosmologiæ*, quasdam addunt speculationes generaliores circa mundum corporeum.

Ex hac diversitate, in Philosophiæ limitibus determinandis, evenire debuit auctores circa illius definitionem non convenire. Vix reipsa possibile foret omnes Philosophiæ definitiones, quæ a variis auctoribus prolatæ fuerunt, enumerare.

Temeritatis igitur argui non possumus si, in tanta opinionum discrepantia, nostram quoque definitionem proponamus.

14. Definitio philosophiæ, quoad rem, proponitur. — Juxta nos nempe, Philosophia prorsus identificatur cum primo membro divisionis scientiarum supra allatæ, proindeque nihil aliud est quam complexio cognitionum scientificarum in evidentia fundatarum. Porro, jam diximus judicia propter evidentiæ motivum prolata ea esse quæ illud tantum enuntiant quod in ipsomet cogitationis facto essentialiter includitur. Hinc Philosophia a nobis recte definiri potest: *Scientia cogitationis.*

15. Philosophiæ divisio. — Hujus definitionis sensum, jam ex his quæ præcedunt, sufficienter determinatum, magis declarabit enumeratio variarum Philosophiæ partium nunc aggredienda.

In cogitationis facto triplex respectus distingui potest, nempe 1° *objectum* ad quod terminatur, quod nihil aliud est quam *ens*: 2° *subjectum* in quo recipitur, seu cujus est determinatio, id est, anima: 3° tandem *leges* quæ illius exercitium regere debent.

Triplicem igitur partem generaliorem habet Philosophia: nempe, partem *Ontologicam*, partem *Psychologicam* et partem, ut ita loquar, *Nomologicam*.

x Logica regulas tradit ad dirigendum intellectum in cognitione veri.
* Ethica regulas tradit ad dirigendam voluntatem in executione boni
* Philosophia, meo quidem judicio, in duas partes dividi potest: philosophia spe[illegible] quæ [illegible] metaphysica et philosophia practica quæ [illegible] logicam [illegible]

16. Partis ontologicæ natura et divisio. — Objectum cogitationis illud nuncupamus circa quod versatur cogitatio, seu illud ad quod, in cogitando, mens actum suum terminat. Tanquam elementum cogitationis, essentialiter distinguitur a *subjecto* in quo cogitatio recipitur. Scilicet, de cogitationis facto nobis ipsis conscii sumus per hoc pronuntiatum : *Ego cogito hoc vel illud.* In hoc pronuntiato, *Ego* exprimit subjectum ; *hoc vel illud* objectum cogitationis.

Quatenus apprehenditur a mente, objectum cogitationis vocatur *idea* (*Psych.*, n. 18) ; in se autem spectatum, illud constituit quod generaliori *entis* appellatione solet designari. De cogitationis objecto, sub hoc posteriori respectu spectato, in *Parte Ontologica* agitur.

Objectum illud dupliciter apprehenditur a nobis : absolute scilicet et absque ulla restrictione, vel cum quibusdam restrictionibus. Priori modo apprehensum, constituit conceptum *Dei* seu, ut aiunt, *Entis simpliciter*. Posteriori modo apprehensum producit in mente conceptus variorum entium finitorum quorum complexionem *Mundum* appellamus.

Deus igitur et *Mundus* duæ sunt realitates de quibus in *Parte Ontologica*, disserendum venit.

Utrumque autem illud ens, menti nostræ præsens efficitur, per plures conceptus distinctos, quorum ope nobis notæ fiunt illorum sive natura, sive nexus et relationes ad invicem. Ante omnia igitur in his conceptibus determinandis et a se invicem secernendis insistendum erit.

Hinc, licet duplex tantum sit objectum reale et concretum *Partis Ontologicæ*, illam tamen in triplicem tractatum partiemur. Primus, cum versetur, non circa ens reale, sed circa conceptus generaliores quibus ens apprehenditur, *Ontologiæ generalis* nomine designabitur.

Secundus de Deo disseret, ideoque *Theodicea* dicetur.

Tertium tandem, cujus objectum est *Mundus* (græce κοσμος), *Cosmologiam* appellabimus.

17. Partis psychologicæ natura. — Pars psychologica versatur circa *subjectum cogitationis*. Subjectum autem cogitationis est *anima*, græce ψυχη. Hæc igitur philosophiæ pars unicum tractatum complectitur, videlicet : *Psychologiam*.

18. Partis nomologicæ (1) objectum et divisio. — Lex in genere est *regula juxta quam alicujus entis activitas exerceri debet, ut scopum sibi præfixum assequatur*.

Quid per cogitationis leges intelligi debeat, hinc facile deducitur. Scilicet, cogitationis nomine designatur exercitium activitatis animæ. Exercitium autem istud, non secus ac quælibet alia evolutio activa, ex una quidem parte concipi debet tanquam conatus ad alicujus finis consecutionem ; ex alia parte, finem hunc consequi non potest, nisi quibusdam regulis obsequatur.

Leges igitur cogitationis sunt : *Regulæ quas in cogitando mens servare debet ut scopum sibi præfixum assequatur.*

Tale est objectum de quo in Parte Nomologica Prælectionum nostrarum tractandum nobis erit.

Porro, operationes, per quas sese exerit cogitatio, ad duas species reduci possunt. — In priori reponendæ veniunt *operationes cognoscitivæ* seu *judicia*, quarum finis est *enuntiatio veri*. — Posterior complectitur *operationes affectivas*, quarum finis est *amor boni* et *odium mali*.

Hinc cogitationis leges, prout ad hanc vel illam operationem referuntur, prout nempe animæ activitatem dirigunt sive ad verum enuntiandum, sive ad bonum amandum, in duplicem quoque seriem apte distribui possunt. Prioris seriei leges in *Logica*, posterioris vero in *Ethica* exponemus.

In hac enumeratione partium Philosophiæ, non invenitur tractatus de pulchro seu *Æsthetica*. Hæc, Appendicis instar, adjungi potest sive *Ontologiæ*, sive *Psychologiæ*.

19. Controversia circa ordinem in tractandis philo-

(1) Ex duabus vocibus græcis λογος *lex* et νομος *sermo*.

SOPHIÆ PARTIBUS SERVANDUM, EXPONITUR. — Determinatis Philosophiæ Partibus, in quonam ordine tractari debeant, præsertimque quamnam earum primum tirones edocere conveniat, expendendum venit. Auctores circa illud punctum in triplicem abeunt opinionem triplici Parti Philosophiæ modo enuntiatæ exacte respondentem. Alii nempe a *Logica* incipiendum existimant, ideoque stant pro *ordine dialectico;* alii primo loco reponunt *Psychologiam,* ideoque stant pro *ordine psychologico;* alii demum a parte objectiva cursum *Philosophiæ* aggrediuntur, stantque pro *ordine ontologico.*

20. SYSTEMA DIALECTICORUM. — *Ordinem dialecticum*, communi consensu apud scholasticos olim receptum, plerique recentiores retinuerunt (1).

Usus a Logica Philosophiæ cursum incipiendi fundamentum habere videtur in opinione a veteribus Peripateticis, contra Stoïcos propugnata, circa naturam Logicæ. Scilicet, juxta posteriores, Logica nihil aliud est quam pars aliqua scientiarum, quæ, non secus ac cæteræ scientiæ hunc unicum habet scopum ut speculativam alicujus objecti distincti cognitionem nobis suppeditet.

Exinde sequitur primum locum inter scientias non esse Logicæ ascribendum, nisi in quantum objectum illud in se spectatum inter aliarum scientiarum objecta primum teneret locum; quod utique non evenit.

Priores e contra Logicam habebant, non præcise ut scientiarum partem, sed ut instrumentum universale quo in scientiis quibuslibet ediscendis utendum est. Hinc origo vocis οργανον (*instrumentum*) quæ, ad designanda opera logica Aristotelis, ab ipsius commentatoribus adhibita fuit.

(1) Observandum est tamen plurimos nonnisi quoad apparentiam hunc ordinem servare, quatenus Logica, prout ab illis tractatur, non modo Ontologiam, sed et majorem Psychologiæ partem complectitur. Inter hos posteriores citare possumus *Philosophiæ Tullensis* auctorem.

Hanc prærogativam Logicæ competere sic probant. — Nulla scientia acquiri potest, nisi cognoscantur 1° humanæ certitudinis fundamenta, 2° ratiocinii leges, 3° methodus juxta quam variæ scientiarum partes distribui et investigari debeant. Atqui, hæc omnia nos edocet Logica. Vere igitur non tam scientia distincta quam scientiarum *instrumentum* dicenda est.

Hac notione Logicæ admissa, illius cognitionem ad quamlibet scientiam acquirendam prærequiri, ideoque ipsam ante cæteras Philosophiæ partes tractari debere, facile constat. Haberi enim debet quasi introductio quædam iis necessario præmittenda.

21. Systema psychologistarum. — *Ordo psychologicus* ante paucos annos tenebatur in scholis philosophicis ab *Universitate* moderatis. Innovationis istius origo referri debet introductioni apud nos doctrinarum scholæ scoticæ a D. Royer-Collard ejusque discipulis, præcipue D. D. Cousin, Jouffroy et Damiron. Nemo enim ignorat hujus scholæ patronos, cæteris Philosophiæ partibus pene neglectis, Psychologiæ pertractandæ præcipue inhæsisse. Hinc evenit Psychologiam, in hac schola, ut totius Philosophiæ fundamentum habitam fuisse, ac proinde studiorum philosophicorum cursum ab ea incipiendum esse.

Argumentatio autem qua hujus scholæ patroni suam sententiam, contra *ordinis dialectici* propugnatores tuentur, sic fere se habet.

1° Contendunt primum Logicam prorsus immerito prædicari tanquam instrumentum universale et necessarium cujuslibet scientiæ acquirendæ.

Logicæ enim objectum, inquiunt, est nobis suppeditare cognitionem scientificam legum quibus nostra regitur facultas cognoscendi. In tantum igitur Logica merito dici posset instrumentum universale scientiæ, in quantum talis cognitio ad

quamlibet scientificam disquisitionem requireretur. Porro cognitio scientifica legum, quibus regitur nostra facultas cognoscendi, ad quamlibet disquisitionem scientificam, nequaquam requiritur. Nam 1° quemadmodum naturaliter facultatem cognoscendi possidemus, ita et, natura duce, illa uti novimus, et quasi instinctu quodam ducti, verum a falso secernimus, quin scientifice nota sint nobis leges et principia quibus in ratiocinando utimur. Hinc quotidie videre est homines rudes, et Logicæ regularum prorsus ignaros, qui tamen acutissime et tutissime de rebus eorum captui accommodatis judicant et ratiocinantur. — 2° Si doctrina quam impugnamus vera foret, quoties in scientiarum acquisitione facultatem cognoscendi exerceremus, simul conscii essemus de regularum logicarum applicatione; nullum, v. g., ratiocinium approbaremus, nisi prius logica illus analysis a nobis peracta fuisset. Atqui, experientia teste, illud non evenit. — 3° Demum, Logicam scientifice cognitam cujuslibet scientiæ acquirendæ instrumentum necessarium existere, sine aliqua contradictione propugnari non posse illis videtur. Etenim, nemo diffiteri potest Logicam, quicumque sit illius scopus, vere tamen scientiam per se constituere. Hæc igitur edisceri nequit, nisi per aliquod cognoscitivæ facultatis exercitium; nec sub hoc respectu minus exigit Logica, ne quid amplius dicam, quam quælibet altera pars Philosophiæ. Cum autem, ex alia parte, nemo contendere audeat scientificam Logicæ cognitionem ad Logicam ediscendam prærequiri, concludere ergo possumus impossibile non esse scientiam absque Logica prærequisita acquirere, ideoque ut instrumentum universale scientiarum prorsus immerito hanc prædicari.

Addunt tamen exinde concludendum non esse Logicæ cognitionem nullius utilitatis esse. Etenim 1° hanc saltem in ea agnoscere debemus utilitatem, scientiis quibuslibe communem, quæ nempe consistit in cognitione veritatis.

Veritas enim in se spectata, cum sit intellectus nostri finis et objectum, est profecto aliquid dignissimum cui assequendo tempus insumamus. Imo, sub hoc respectu, Logica pluribus aliis scientiis superior existit; etenim, cogitationis nostræ leges, quas Logica nos edocet, inter res quarum cognitio nostra magis interest, utique annumerari debent. — 2° Nulla est forsan scientia in qua melius et utilius exerceatur reflexio. — 3° Licet sine Logica scientifice cognita, ratiocinari scientiisque operam navare possimus, non diffitendum tamen illius studium plurimum inservire ut sophismatum, quæ contra veritatem opponuntur, vitia detegamus. Hinc illis speciatim utilis est quibus veritatem contra ipsius impugnatores defendendi munus incumbit.

2° Ordinis dialectici fundamento his rationum momentis impugnato, patroni ordinis Psychologici directe ostendere conantur Logicam Psychologiæ esse postponendam. Logicæ enim objectum est determinatio legum juxta quas cogitatio exerceri debet, ut suum scopum, verum scilicet, assequatur. Porro, leges illæ intelligi non possunt, nisi prius cognoscatur cogitationis natura. Logica igitur Psychologiam, in qua cogitationis natura analysi subjicitur, ante se præsupponit, nec nisi post ipsam tractari debet. — Et reipsa in hoc admittendo omnes fere conveniunt, si non theoretice, saltem practice. Vix enim ullus est Logicus qui antequam ratiocinii certitudinisque leges describat, facultatum cognoscitivarum animæ nostræ expositionem et analysim afferat. In rei igitur veritate a communi agendi ratione non discrepant, qui stant pro ordine psychologico, nisi in eo quod, sub nomine Psychologiæ et tanquam partem distinctam, illud tractant quod alii tanquam partem Logicæ tractare solent.

3° Iisdem rationum momentis innixi, contendunt Psychologiam non Logicæ tantum, sed et cuilibet alii Philosophiæ parti præire debere. Etenim 1° nostri cognitio quamlibet aliam

cognitionem præcedere debet; siquidem antequam aliquid cognoscamus, scire primum debemus nos esse. — 2° Facultates nostræ sunt medium cujuslibet cognitionis acquirendæ; necesse est igitur ut in illis cognoscendis primum intendamus.

22. Systema ontologistarum. — Non desunt tandem qui ab utraque sententia modo exposita pariter recedunt, qui nempe ordini sive dialectico, sive psychologico, *ordinem ontologicum* præponunt.

Hi nempe, ex una parte, admittunt argumentationem qua *Psychologistæ* probare nituntur Logicam esse, in studiorum philosophicorum cursu, Psychologiæ postponendam.

At simul contendunt eamdem prærogativam parti Ontologicæ Philosophiæ relative ad Psychologiam competere.

Hoc assertum sic astruere nituntur.

Ille ordo, in tractandis Philosophiæ partibus, utique tenendus est, qui conformior est ordini prioritatis quem inter se servant objecta, de quibus agit Philosophia, considerata 1° in se, seu in eorum realitate objectiva, 2° in cogitationis facto primitivo, 3° in reflexione.

Atqui, talis est ordo quem propugnant Ontologistæ.

1° *Conformior existit ordini prioritatis objectorum Philosophiæ in se spectatorum.* — Etenim objectum circa quod versatur cogitatio nostra, in ipsummet cogitationis subjectum, in ordine realitatum, prioritatem habet. A nobis enim concipitur ut aliquid absolutum et necessarium; subjectum vero est quid relativum et contingens. Porro, absolutum et necessarium in relativum et contingens prioritatem habet in ordine realitatum. Huic igitur ordini conformius est, in disponendis Philosophiæ partibus, Parti ontologicæ, quæ de objecto tractat, parti Psychologicæ quæ de subjecto tractat, prioritatem reservare.

2° *Ordo ontologicus conformior est ordini prioritatis quem*

inter se servant Philosophiæ objecta, in facto cogitationis spectata. — Etenim cogitatio primario constituitur per intuitionem objecti, necnisi illa intuitione mediante, et quasi per repercussum quemdam, animæ oculus primum, ut ita dicam in objectum impingens, animam ipsam postea apprehendit. Cognitio igitur objectiva in cognitionem subjectivam, non chronologicam quidem, sed logicam prioritatem habet. Hoc autem admisso, facile constat ordinem, quem proponimus, hunc ipsum esse quem inter se habent cogitationis elementa. Vere igitur ordini prioritatis, quem Philosophiæ objecta servant in facto cogitationis, conformior existit.

3° *Ordo demum ontologicus conformior invenitur ordini prioritatis quem inter se servant Philosophiæ objecta, in reflexione spectata;* id est, ordini quem, in evolutione reflexa suæ cogitationis, mens nostra naturaliter tenet. — Etenim, si, memoriæ ope, ad initia vitæ nostræ regredi velimus, nobis constabit animam nostram primum reflexionem suam direxisse, non ad seipsam, suasque operationes, sed ad res exteriores. Has enim potuimus a se invicem secernere, imo et de illis abstracte ratiocinari, quando nosmetipsos distincta cognitione nondum apprehendebamus. Sub hoc igitur respectu, ordo ontologicus ordini psychologico iterum anteponendus est. Unde demum sequitur Philosophiæ cursum ab Ontologia esse incipiendum.

Contra hanc conclusionem nonnullæ diriguntur objectiones, quarum præcipua desumitur ex impossibilitate, in qua versamur, partem objectivam Philosophiæ pertractare, quin plura supponamus, nonnisi in Psychologia aut Logica a nobis astruenda. Allegant in primis legitimitatem mediorum, quibus ad certitudinem pervenire possumus; licet enim illam indesinenter supponamus, ipsius tamen scientifica demonstratio nonnisi in Logica, invenitur.

Huic objectioni sic respondent auctores quorum opinionem exponimus.

Fatendum est quidem, inquiunt, valde exoptandum esse ut, in scientiis pertractandis, uniuscujusque partis expositio nihil supponat quod in sequentibus tantum tractari debeat. At simul agnoscendum est perfectionem hanc in Philosophia prorsus impossibilem esse. Cogitatio enim, quæ illius scientiæ objectum constituit, est aliquid unum et syntheticum, cujus varia elementa intimam inter se connexionem habent, unde non nisi per abstractionem ab invicem separari possunt. Hinc nulla est Philosophiæ pars quæ, implicite saltem, notiones in aliis exponendas non supponat.

Istud igitur incommodum ordini ontologico objici nequit. Imo impossibile non foret ostendere ipsum, in hoc ordine melius quam in duobus aliis devitari.

Etenim, ex una parte, ubi desunt notiones Ontologicæ in prima parte exponendæ, nonnisi difficillimum est tum animæ, tum cogitationis legum scientiam profundiorem acquirere. Notiones enim illæ, cum sint primarium cogitationis elementum, illiusque pars intelligibilis, cætera Philosophiæ objecta suo fulgore collustrant, et in eorum cognitione acquirenda plurimum mentem adjuvant.

Econtra, pars objectiva cognitionis humanæ scientifice tractari potest, quin præcedat expositio scientifica cæterorum ejusdem cognitionis respectuum. Sufficit implicita hæc et instinctiva cognitio quam omnes naturaliter habemus. — Illud in primis verum est relative ad certitudinem. Nihil est enim quod facilius alumni ante quamlibet scientificam expositionem facilius admittant quam legitimitatem ratiociniorum nostrorum, ad certitudinem conferendam. Unde, absque gravi detrimento, ad ultimam Philosophiæ partem hujus quæstionis discussio remitti potest.

23. Conclusio. — Controversiæ statu sic exposito, unicuique facile erit de illa judicium ferre. Quoad nos, controversiam hanc insolutam relinquere satius duximus. Utque in praxi unusquisque ordinem qui sibi magis arriserit sequi

posset, ita varios Prælectionum nostrarum tractatus ordinare conati sumus, ut ab invicem separari possint et in quovis ordine edoceri.

24. Quænam sit relatio philosophiæ ad cæteras scientias, expenditur. — Antequam huic Introductioni finem imponamus, quædam nobis dicenda sunt de relatione Philosophiæ ad cæteras scientias.

Scientia, ex dictis, nihil aliud est quam *series veritatum, principiorum communium ope, ad unitatem reductarum.* Hinc in qualibet scientia tria spectanda sunt: 1° notiones generales quæ constituunt earum materiam; 2° fundamentum quod illis certitudinem confert; 3° coordinatio conclusionum peculiarium ad principia generaliora.

Porro, facile ostendi potest quaslibet scientias a Philosophia distinctas, ipsi tamen, sub hoc triplici respectu, essentialiter subjici.

1° Illud quidem evidens est de notionibus generalibus quæ cujuslibet scientiæ materiam constituunt. Omnino enim necesse est, quidquid demum dicatur, notiones illas per cogitationem apprehendi. Cum igitur, ex definitione superius allata, Philosophia sit *Scientia cogitationis,* notiones de quibus agitur ad Philosophiam primario pertinent, huicque competit illas elucidare, seu illarum, ut aiunt, *theoriam afferre.*

2° De fundamento, cui innititur cujuslibet scientiæ certitudo, idem dici debet. Etenim, fundamentum illud, vel est *sensus communis* naturæ, vel *auctoritas* aliqua. Atqui, prout in Logica ostensuri sumus, nec sensus communis, nec auctoritas cujuscumque naturæ, certitudinis fundamentum *per se* constituere possunt; ad id autem necesse est ut ad *evidentiam,* quæ est certitudinis philosophicæ fundamentum, religentur. Igitur sub hoc quoque respectu, variæ scientiæ ad Philosophiam referri debent, ipsiusque ut existant, auxilio indigent.

3° Ordinatio factorum vel judiciorum alicujus scientiæ constitutivorum in eo præcipue consistit quod varia judicia a se invicem legitime deducantur. Judicium autem ab alio deducitur ope ratiocinii. Porro ratiocinii leges determinare ad Philosophiam pertinet.

Ex his omnibus concludere est in qualibet scientia aliquid inveniri per quod religatur ad Philosophiam, et ab ipsa aliquatenus pendet.

Nexus ille scientiarum omnium ad Philosophiam illud est quod vulgo ***Philosophiam scientiarum*** nuncupant.

Hæc igitur in tribus præcipue consistit : 1° In eo quod elucidentur, et ad notiones ontologicas seu primitivas mentis nostræ reducantur, conceptus fundamentales alicujus scientiæ ; 2° In eo quod assignetur ultimum illius scientiæ fundamentum ; 3° In eo quod ordinationis materiarum illius scientiæ ratio reddatur.

Observandum tamen *Philosophiam scientiarum* in sensu paululum diverso nonnunquam intelligi. Scilicet, nonnullæ scientiæ inveniuntur quæ quasi duplicem habent partem : unam quæ in factorum expositione unice consistit ; alteram quæ horum factorum causas et leges determinare conatur. Hæc posterior pars scientiarum de quibus agitur, illarum *Philosophia* quandoque appellatur.

FINIS INTRODUCTIONIS.

PRÆLECTIONES
PHILOSOPHICÆ

IN

MAJORI SEMINARIO CLAROMONTENSI

PRIMUM HABITÆ.

Auctore L. B., S. Sulpitii Presbytero.

SECUNDA EDITIO

Penitus recognita et emendata.

Verbum erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. JOANN., 1, 9.

Ideæ sunt formæ quædam principales et rationes rerum quæ in intelligentia divina continentur. S. AUG., lib. 83 *Quæst.*, q. 46.

ONTOLOGIA GENERALIS.

NANNETIS,

Apud R. MAZEAU, Bibliopolam-Editorem, via dicta *de l'Evêché.*

PARISIIS,

Apud J. Leroux et Jouby, facultatis Theologiæ Bibliopolas,
Via dicta *des Grands-Augustins*, 7.

1855.

Nannetis, excudebant MASSEAUX et BOURGEOIS, via dicta *Pas-Périlleux*, 10.

INDEX ONTOLOGIÆ GENERALIS.

PRÆLECTIONES

PHILOSOPHICÆ.

ONTOLOGIA GENERALIS.

1. Ontologiæ generalis definitio. — Ontologia generalis est *scientia quæ de conceptibus objectivis, quorum ope entia apprehendimus, in se et abstracte consideratis, disserit.*

2. Illius discrimen a theodicea et cosmologia. — Hinc facile videtur in quonam differat tum a Theodicea, tum a Cosmologia. Dum enim utraque hæc scientia vel ad ens quoddam individuum, vel ad speciem determinatam terminatur, Ontologia generalis omnia entia in sua synthesi complectitur, quatenus exponendos habet conceptus generaliores quibus, quasi mediantibus, cogitatio nostra realitates objectivas, cujuscumque sint generis, apprehendit.

3. Conceptuum ontologicorum realitas. — Conceptus hujusmodi, quatenus Ontologiæ generalis sunt objectum, id est, quatenus abstracte et independenter ab entibus realibus spectantur, appellari solent *entia rationis*. Hæc denominatio in eo sensu intelligi non debet quod extra mentem, seu rationem, nullam prorsus realitatem ~~habeant~~ supponant; eo ipso enim quod idealiter apprehenduntur, aliquam realitatem objectivam illis competere, omnino necesse est. Præfati igitur conceptus *entia rationis* dici non possunt nisi quatenus Ontologiæ generalis objectum constituunt, quatenus nempe per rationis

abstractionem, a realitatibus quibus objective competunt, separati concipiuntur.

4. Ontologiæ generalis utilitas. — Ontologia generalis aliquando *philosophiæ primæ* nomine designatur, et merito quidem; cæteræ enim philosophiæ partes, imo et scientiæ a philosophia distinctæ, illam præsupponunt, notionibusque in ea traditis perpetuo innituntur.

Exinde concludere licet quanta sit Ontologiæ generalis utilitas, et quam insulse aberrent nonnulli quibus illa non est nisi subtilitatum vanarumque abstractionum congeries, in cujus studio incassum tempus teritur, et quæ sine ullo veritatis detrimento, negligi potest. Cum enim in ea tradantur generaliora cognitionis humanæ objecta, tanquam fundamentum quarumlibet scientiarum merito habetur, proindeque in his excolendis incumbendum non foret, nisi principiorum ontologicorum cognitione præhabita. Fatendum est tamen impugnationibus adversus Ontologiæ utilitatem non semel directis, ansam præbuisse metaphysicos perplures qui, in illa pertractanda, curiositati ingeniique subtilitati plus æquo indulserunt. Hunc igitur scopulum vitare cupientes, inter quæstiones, quæ ab auctoribus in hac parte expendi solent, eas tantum seligemus quæ majoris momenti nobis visæ fuerint, præsertim ad cæteras philosophiæ partes solidius et dilucidius exponendas.

5. Ontologiæ generalis divisio. — Conceptus varii de quibus in Ontologia generali tractandum venit, nihil aliud sunt quam diversi respectus sub quibus ens a nobis concipitur. Ens autem sub triplici respectu generaliori considerari potest : 1° in illius *natura* ; 2° in variis *relationibus* quarum inter resdiversas, quæ de illo participant, fundamentum esse potest ; 3° in præcipuis *enuntiationibus* quæ de ente proferri possunt, quæ ideo *leges* illius generaliores constituunt.

Triplex igitur erit Ontologiæ generalis Pars : prima de *Natura* entis, secunda de *Relationibus* entis, tertia de *Legibus generalioribus* entis.

ONTOLOGIÆ GENERALIS

PARS PRIMA.

DE NATURA ENTIS.

6. ENTIS NOTIO. — Nomine *entis* intelligitur *Illud quod cogitationem nostram objective terminat.*

Ens igitur haberi debet ut primarium totius cognitionis humanæ fundamentum. Ex una enim parte, nihil cognoscere possumus nisi cogitationis ope; ex altera parte, haudquaquam cogitare possumus, nisi aliquid objective cogitemus, nisi proinde ens apprehendamus.

Hinc merito S. Thomas (Lib. 29 *Quæst. De Veritate,* q. prima) hæc habet : *Illud quod primo intellectus concipit quasi notissimum, et in quo omnes conceptiones resolvit, est ens.*

7. ENS STRICTE DEFINIRI NON POTEST. — Exinde sequitur nullam entis definitionem logicam et strictam dari posse. Cum enim nullum objectum concipi possit quod ens non sit in aliquo gradu, nihil proinde cognosci potest, quin jam habeatur notio entis. Hæc igitur notio clarior est qualibet alia; proindeque stricte definiri nequit. — Vulgo equidem ens definiunt : *Illud quod est aut esse potest.* Facile autem videtur hanc definitionem, nisi jam habeatur notio entis, intelligi non posse.

Vocabuli entis synonimæ sunt voces *reale, res, positivum* etc... quæ ad exprimendum cogitationum nostrarum objectum quandoque adhibentur (1).

(1) Enti, tanquam illius negatio, opponitur nihilum. Nihilum enim exprimit absentiam seu privationem entis. Hinc, proprie loquendo, nihilum non terminat objective cogitationem nostram; alioquin, cum ente identificaretur. Cum tamen

8. Divisio primæ partis Ontologiæ. — De ente quovis in se spectato duo inquiri possunt : 1° ~~quænam~~ sit illius *essentia*, 2° ~~an hæc essentia ad~~ *existentiam* ~~sit perducta~~. In hac igitur parte agemus 1° de Essentia, 2° de Existentia.

SECTIO PRIMA.

DE ESSENTIA.

Triplex erit hujus Sectionis Caput : primum de Definitione et Divisione Essentiæ, secundum de illius Elementis, tertium de illius Characteribus communibus.

CAPUT PRIMUM.

De Definitione et Divisione Essentiæ.

9. Essentiæ notio generalior. — Essentia alicujus entis determinatur per responsionem huic quæstioni, quæ prima de quovis ente fieri debet : *Quid sit?* Aliis verbis, exprimit, ut aiebant veteres scholastici, rei *quidditatem*.

10. Essentiæ definitio. — Essentia igitur bene definitur : vel *Illud per quod ens est ~~id quod est~~*, seu illud quo ens est

voci, qua nihilum exprimitur, aliquem sensum annectamus, omnino necesse est ut aliqualem illius cogitationem habeamus. Hæc cogitatio provenit ex conceptu quarumdam essentiarum de quibus, uti infra dicetur, vel actuatio, vel mera possibilitas, proindeque vel ens, vel non-ens seu nihilum, possunt enuntiari. Conceptus itaque nihili non est aliud quam *negatio entis*, nec ullatenus haberi posset, nisi conceptus entis simul in mente existeret. Illud vulgo auctores exprimunt dicendo conceptum nihili mere *negativum* esse, conceptum vero entis *positivum*.

tale et non aliud; vel *Illud, quo sublato, ens concipi nequit,* id est, quo destructo, nihil in ente remanet per quod ens, ut tale, a mente apprehendatur; vel demum *Idea pura entis, abstrahendo ab ipsius existentia reali,* id est, illud intelligibile quod perceptionem nostram terminat, consideratum, non præcise quatenus aliquid [redacted] dicit, sed quatenus hanc vel illam intelligibilitatem habet.

Tres illæ essentiæ definitiones æque legitimæ sunt, unaque pro altera indiscriminatim sumi potest.

Sit v. g. essentia hominis quæ consistit in eo quod anima, cogitatione prædita, corpori organico conjungatur in unitatem personæ.

De hac essentia dici potest 1° eam esse *illud per quod homo est homo;* ut patet. Dici potest 2° eam esse *illud, quo sublato, homo concipi non potest;* sublata enim una ex conditionibus modo enuntiatis, impossibile est hominem adhuc concipere, siquidem quod concipiendum remanet, jam non est amplius homo. Dici potest 3° hanc essentiam non discrepare ab *idea pura hominis, abstrahendo ab ipsius existentia reali;* idea enim alicujus entis non discrepat ab eo per quod ens illud a mente concipitur.

11. Naturæ definitio. — Sæpe sæpius cum essentia entis *naturam* illius confundunt auctores. Attamen, in quibusdam casibus, vox *natura* in sensu magis stricto quam vox essentia adhibetur. Exprimit scilicet complexionem legum generalium quas unumquodque ens, conformiter ad suam essentiam in patiendo et in agendo sequitur. (Cf. de Bonald, *Législ. primitive.*) In hoc sensu natura a Wolfio definitur: *Principium internum actionum et passionum entis.* Natura sic intellecta distinguitur a *supernaturali,* quo nempe alicui enti a Deo conceditur potestas aliquid efficiendi quod solis essentiæ suæ legibus assequi non potuisset. Hæc tamen duo, licet distincta, inter se non opponuntur. Quod enim naturæ opponeretur essentiam destrueret; porro repugnat essentiam alicujus entis des-

trui, hujusmodi ente eodem perseverante. Supernaturale igitur perficit quidem et elevat naturam, non vero illi contrarium esse potest. — De variis sensibus vocis *natura*, Cf. Ubaghs, *Ontol.*, n. 107 ; P. Buffier, *Traité des prem. Vérités*, 2e partie, ch. 6.

12. Essentiæ divisio in metaphysicam et physicam. — Metaphysici ordinarie essentiam dividunt in essentiam *in potentia* et essentiam *in actu*. Alio nomine, prior *metaphysica*, posterior *physica* vocatur.— Essentia *in potentia* seu *metaphysica* est ea quæ concipitur independenter ab existentia entium quibus tribuitur, quæ proinde, etsi hæc non existerent, realitatem haberet. — Essentia *in actu* seu *physica*, ea est quæ in ipsomet ente existente realitatem habet. Vox *essentia*, si adhibeatur sine addito, non intelligi debet, nisi de essentia metaphysica, de qua tantum hic agimus.

13. Essentiæ divisio in adæquatam et inadæquatam.— Distinguunt etiam auctores essentiam *adæquatam* et *inadæquatam*.— Prior est illud omne quod rem in suo esse constituit; scilicet omnes illius proprietates, ne una quidem excepta. Alio nomine vocari potest essentia *objectiva*, eo quod rei competat independenter a mente illam apprehendente. — Essentia *inadæquata*, quæ et *subjectiva* dici potest, est illud quod constituit conceptum quem de aliquo objecto sibi effingit intellectus. Sic v. g. si de circulo cogitans, non attendam nisi ad hanc illius proprietatem omnes radios æquales habendi; æqualitas radiorum subjective seu relative ad mentem meam, totam circuli essentiam constituet ; erit enim illud omne per quod hanc figuram a qualibet alia potero secernere. Cum tamen plurimæ aliæ sint proprietates circulo non minus essentiales, completam illius essentiam tunc non apprehendo, sed solum inadæquatam.

CAPUT SECUNDUM.

De Elementis Essentiæ.

Expendemus 1º quid sint elementa essentiæ, 2º quomodo dividi possint, 3º quænam sit eorum realitas extra mentem.

Iº *Elementorum essentiæ natura exponitur.*

14. Elementa essentiæ definiuntur. — Elementorum essentiæ, nomine intelligimus *varias notas, quarum ope, diversæ essentiæ in suo esse distincto constituuntur, et ab invicem secernuntur.* Tales sunt, in essentia hominis, *sensibilitas, intelligentia*, etc. — Hujusmodi notæ dicuntur *elementa essentiæ*, eo quod sunt quasi partes ex quarum unione essentia totalis coalescit.

Pluribus aliis nominibus essentiæ notæ designari solent. Quandoque nempe dicuntur *attributa*, quia sunt materia variarum enuntiationum, quæ de ente proferri possunt. Quandoque *proprietates* nominantur; eo quod pertinent ad essentiam tanquam aliquid huic exclusive proprium (1). Dicuntur demum *gradus metaphysici*; vel eo quod sint reipsa quasi tot gradus quos mens percurrere debet ut alicujus entis completam notionem acquirat; vel potius eo quod exprimant diversos limites juxta quos entia finita de ente infinito participare possunt, et, ut ita dicam, ad illius perfectionem magis ac magis accedere.

15. An elementa essentiæ distinguantur tum ab essentia, tum ab invicem. — Expendunt auctores utrum

(1) Notandum tamen hanc vocem, in sensu stricto intellectam, non omnia essentiæ elementa, sed quædam tantum designare, prout infra dicemus.

notæ ex quibus, tanquam elementis, essentiæ constituuntur, tum ab ipsamet essentia, tum a se invicem distingui debeant.

Non eadem est hac de re auctorum opinio. Hæc nobis statuenda videntur.

1° Melius sentire existimamus eos qui essentiam rei ab ejus notis non distinguunt, et docent ipsam nihil aliud esse quam harum collectionem. Sublatis enim rei alicujus quibuslibet notis, nullatenus concipi potest in quo jam consistat ipsius essentia, cum nihil in ea remaneat per quod conceptus distincti possit esse objectum. Si igitur illi qui distinctionem notarum ab essentia propugnant, suam sententiam ita intelligant, ut essentia independenter a quibusvis notis constitui possit, hanc prorsus deserendam esse censemus. Si autem essentiam alio in sensu ac nos intelligentes, illam reponunt in eo quod *attributi primarii* nomine postea designabimus, in quadam scilicet proprietate a qua cæteræ tanquam a fonte derivantur, tunc inter essentiam sic intellectam et cæteras notas, eadem erit distinctio ac inter notas quascumque relative ad se invicem, de qua in responsione proxime sequenti.

2° ~~Igitur~~ quoad postremam ~~hanc~~ distinctionem, eam scilicet quæ inter ejusdem rei notas existit, illius quidem existentiam admitteremus. Eo ipso enim quod variæ alicujus rei notæ diversis conceptibus apprehenduntur et a se invicem a mente secernuntur, necesse est ut reipsa inter se secernantur; alioquin distincti ipsarum conceptus nullum fundamentum haberent. Si autem quæratur in quo consistat hæc distinctio, sic respondemus. — 1° Non consistit in eo quod notæ rei in ipsa sint a se invicem separatæ, quemadmodum ens distinguitur ab ente; tunc enim essentiam unam constituere non possent. — 2° Consistit igitur tantum in eo quod mens, ope facultatis abstrahendi qua pollet, varios entis gradus qui res constituunt, separatim considerare possit, et sic in his rebus proprietates distinctas agnoscere. Hæc autem conside-

ratio distincta notarum per abstractionem, provenit vel ex varietate effectuum a rebus productorum, vel ex comparatione inter ens, in quo illæ agnoscuntur notæ, et aliud ens quod illis privatur.

II° *Elementorum essentiæ divisio instituitur.*

16. DIVISIONIS ELEMENTORUM ESSENTIÆ FUNDAMENTUM. — Notæ essentiarum quarumlibet constitutivæ in tres classes distribui possunt, quatenus illarum ope, essentiæ distinguuntur 1° a mero nihilo ; 2° a se invicem ; 3° a seipsis pro variis statibus in quibus concipi possunt. Primum fit per *genus*, secundum per *speciem*, tertium per *accidentia*.

De Genere.

17. GENERIS DEFINITIO. — Generis nomine designatur *illa nota qua essentia distinguitur a mero nihilo.* — A mente itaque concipitur tanquam aliquid commune omnibus essentiis ; nulla enim essentia esse potest quæ a nihilo non distinguatur. Hoc commune nihil aliud est quam ipsummet *esse*. *Esse* autem, quatenus constituit genus, non est *esse* talis vel talis naturæ, in tali vel tali gradu, cum tali vel tali determinatione. Nihil aliud exprimit quam *esse* omnino indeterminatum, in quo nempe mens nihil apprehendit, præter proprietatem generalem *essendi*.

Essentia, in hoc statu indeterminationis spectata, vocatur *genus* (græce γενος, a γεινομαι, *gignor*) ; eo quod, utpote nota communis et fundamentalis omnium essentiarum, est quasi stirps, unde quælibet entia procedunt et generantur.

Hinc sequitur *ens in genere*, si consideretur in se, independenter a variis determinationibus quæ illi obvenire possunt, essentiam realem et proprie dictam non constituere, sed

meram abstractionem menti exhibere. Nulla enim essentia realis concipi potest, quæ non sit talis, quæ scilicet non determinetur ad talem vel talem gradum entis, quæ proinde aliquid amplius habeat quam *ens in genere.*

De Specie.

18. Speciei definitio. — Species, quoad nomen, idem sonat ac *forma*, *figura* etc... Apposite ad hanc etymologiam, exprimit *illud per quod essentia quævis ab aliis essentiis secernitur,* per quod proinde *formam* et *figuram* sibi propriam habet. Porro, cum essentiæ quælibet quoad ens in genere identificentur, species itaque concipi debet tanquam aliquid enti in genere superadditum, quod nempe, illud determinet ad hanc vel illam essentiam realem constituendam. Sic, v. g., si conceptui entis in genere addatur conceptus *cogitans,* prout illius conscientiam habemus, statim concipitur essentia realis quam *animam humanam* nuncupamus.

Ut igitur nota quædam vere specifica, seu speciei constitutiva dicatur, tres dotes in ea requiruntur. Requiritur 1° ut aliquid amplius menti exhibeat quam ens in genere, prout patet ex dictis. — Requiritur 2° ut, per illam, ens ita determinetur, ut statim et immediate existentiæ recipiendæ capax concipiatur : alioquin essentia realis non foret. Sic v. g. nota *finitum* specifica non est; quia *ens finitum in genere* est aliquid indeterminatum, quod nequaquam ad existentiam perduci potest. — Requiritur 3° ut determinationem entis ipsa constituat, nec proinde jam constitutam supponat. Hæc tertia ponitur conditio, ut a notis specierum determinativis excludantur accidentia quæ, prout infra dicemus, essentiæ eidem remanenti, addi aut detrahi possunt.

19. Notarum specificarum divisio in primariam et secundarias. — Ex nota speciei cujusdam constitutiva, pro-

fluere possunt nonnullæ aliæ notæ, quæ ab ea tanquam consectaria necessario profluant. Hinc distinctio notarum specificarum in *primariam* et *secundarias*. — Nota primaria alicujus speciei, illa est quæ cæteras omnes præcedit, a qua igitur hæ posteriores tanquam a fonte profluunt. Non discrepat ab eo quod vulgo auctores *differentiam* nuncupant. — Notæ secundariæ illæ sunt quæ concipiuntur tanquam derivationes a nota primaria; unde se habent ad eam, ut consequens ad principium. Vulgo apud auctores *proprium* seu *proprietates* appellantur.

(Reale discrimen existere inter notas entium *primariam* et *secundarias*, proindeque inter *differentiam* et *proprium* quidam negant ; eo quod liberum nobis sit hanc vel illam notam pro primaria assumere. Sic v. g. tres angulos habere est illud quod, juxta nostrum concipiendi modum, trianguli *differentiam* constituit : attamen, in se, non minus primaria videtur nota qua habet omnes angulos duobus rectis æquales ; hæc enim duo pro se invicem indiscriminatim sumi possunt. — Hoc non obstante, præfata opinio, in sua generalitate, admitti non posse videtur. Distinguendum est nempe inter conceptus qui pro objecto habent relationes quantitatum abstractarum, et eos qui versantur circa entium realium essentias. Quoad priores, libenter admitteremus varias notas, quibus componuntur, æque primarias objective existere. Non idem vero diceremus de posterioribus, uti infra ostendemus, in primis pro essentia divina.)

20. Plura existere possunt entia specifice distincta. — Utrum plures species distinctæ sint possibiles, seu utrum ens in genere pluribus determinationibus specificis subjacere possit, nunc videndum. Quæstionem hanc affirmative solvendam esse facile constat.

Et quidem, infra ostendemus existere essentiam quamdam quæ concipi debet tanquam determinatio entis perfectissima. Ostendemus etiam huic essentiæ, quam *Deum* appellabimus, competere potestatem extra seipsam producendi alia entia,

in quibus ens in genere non determinetur nisi cum aliqua restrictione. Unde duæ saltem determinationes entis, duæ proinde species admitti debent.

Præterea, semel ac admittitur in Deo potestas creandi entia in eorum *esse* limitata, semel ac proinde possibilitas alicujus restrictionis in ente admittitur, possibilitas plurium specierum in ente, sic restricto et limitato, necessario admitti debet. Si enim nulla sit repugnantia in eo quod cum tali restrictione ens contingenter existat, alteram restrictionem absque repugnantia recipere potest. Hoc posito, tot species distinctæ in essentiis erunt admittendæ, quot restrictiones in ente possibiles erunt.

III° *De Accidentibus.*

21. Accidentium definitio. — Accidentia vocantur *varii status in quibus eadem essentia concipi potest.* — Hi status *accidentia* appellantur, eo quod essentiæ, jam in sua specie constitutæ, accidere possunt, quin ad alteram speciem illam transferant.

Diximus scilicet essentiam in sua specie constitui per quamlibet determinationem entis in genere. At inter determinationes, quæ enti in genere obvenire possunt, plurimæ talis sunt naturæ, ut in hoc vel illo exercitio actuabiles concipiantur. Hæc porro ejusdem determinationis diversa exercitia illud sunt quod *accidentia* vocamus. In eo præcipue ab ipsamet determinatione specifica differunt, quod nihil per se positivum dicunt enti superadditum. Uniuscujusque enim eorum conceptus supponit in essentia, cui obvenit, eumdem prorsus gradum entis. Sic, v. g. anima eo solo quod est substantia cogitans et absque novo entis gradu, agere potest *libere* aut *non libere*, *prudenter* aut *imprudenter*, *bene* aut *male moraliter*, etc... Notæ igitur quæ illi competunt, prout hoc vel illo modo agit, ipsius *accidentia* constituunt.

Scholia.

22. Scholium primum. — Genus, species, differentia, proprium et accidens, *quinque universalium* aut *quinque prædicabilium* nomine, olim in scholis designabantur. Exprimunt enim quinque modos quibus varia attributa de quolibet subjecto enuntiari possunt, seu, quod idem est, quibus de illo subjecto sunt *prædicabilia*. Hæc distinguebantur a *prædicamentis* seu *categoriis*, quæ exprimebant attributa ipsa de quolibet subjecto enuntianda (1).

23. Scholium secundum. — Ex modo dicendis, variæ species sunt sibi invicem subordinatæ, adeo ut superiores omne positivum inferiorum contineant. Exinde sequitur hujusmodi species aliquid inter se commune habere, præter ens in genere. Hoc commune, si seorsim a speciebus realibus per abstractionem consideretur, concipi debet ut proprietas quæ quidem, ex una parte, aliquam præ se fert indeterminationem, cum de pluribus speciebus enuntiari possit; quæ tamen, ex altera parte, utpote non omnibus, sed quibusdam tantum speciebus communis existens, majorem determinationem habet quam genus, seu *ens in genere*. Hinc possibilitas concipiendi, inter *genus* et *speciem*, plurima distinctionum essentialium fundamenta, quæ iterum, vel ut genera, vel ut species, sumi possunt, prout spectantur, vel relative ad species reales quibus competunt, vel relative ad ens in genere cujus sunt determinationes. Genus proprie dictum, ut ab his secernatur, *genus summum* communius dicitur; itemque species reales, ut a speciebus indeterminatis distinguantur, *species infimæ* vocari solent.

(1) De prædicabilibus et de prædicamentis veteres tractare solebant in Logica, ubi plurimum in illis exponendis morabantur. Norunt quantam in scholis celebritatem obtinuerunt tum Aristotelis liber de *Categoriis*, tum Porphyrii ad hunc librum *Introductio de quinque prædicabilibus*.

24. Scholium tertium. — Ex notione generis et speciei modo allata, sequitur 1° conceptus hujusmodi applicationem non habere, si stricte loqui velimus, nisi relative ad essentias reales, id est, relative ad varios gradus entis qui, per divinam omnipotentiam actuati, entia proprie dicta seu substantias constituere possunt. Sequitur 2° eosdem conceptus, si iterum stricte loquamur, enuntiari non posse de hujusmodi essentiis, nisi præcise quatenus sunt essentiæ reales, id est, tanquam notæ ad earum intimam constitutionem pertinentes.

In usu autem ordinario, illud stricte non servatur. Constat enim notiones generis et speciei, vel in scientiis pertractandis, ab earum sensu primitivo paululum deflecti, illasque, vi similitudinis et analogiæ, pluribus rebus applicari, quæ juxta rigorem ontologicum, nec genera, nec species dici deberent.

Sic 1° abstractionis ope, possumus ab entibus realibus idealiter separare quæcumque in illis concipimus, hæcque seorsim, ut objecta distincta, considerare. Eo modo efformamus fictitia entia, in quibus, analogia ducta ab ente reali, *genus, speciem* et *accidentia* distinguere possumus. In corporibus v. g. concipimus proprietatem hac vel illa figura limitari. Proprietatem hanc a corporibus separando, efformamus genus *figurabilitas,* cujus species erunt *triangularitas*, *quadratura*, etc... In his iterum speciebus accidentia plurima detegemus, ut, in triangularitate, habere aut non habere angulos æquales, etc... — Item, proprietas in anima humana bonos vel malos actus peragendi, nobis suppeditat genus *virtus,* cujus species erunt *temperantia, fortitudo,* etc...

Sic 2° cum essentia entium, quæ mundum hunc aspectabilem constituunt, nos penitus lateat, prout infra ostendemus, varias species, ad quas referri debent, ex intima eorum constitutione determinare non possumus; et ideo, sub hoc respectu, objectum scientiæ humanæ esse non possunt. Varii autem respectus sub quibus apprehensibilia sunt menti nostræ, ut

organisationis forma, generationis modus, nutritionis et existentiæ leges, etc..., tot constituunt characteres, quorum ope, in genera et species distribui possunt. Nec aliter instituuntur variæ divisiones a naturalistis adhibitæ; dum v. g. distribuunt entia mundi in *animalia, vegetalia, mineralia.*

Sic 3° evenit nonnunquam varia individua ejusdem speciei, in genera et species iterum dividi, propter attributa mere extrinseca. Ut quando v. g. dividimus *homines* in *Americanos, Europæos*, etc... ex diversitate locorum in quibus commorantur.

Hæc exempla satis ostendunt, sive in quo genera et species modo enumerata, a genere et speciebus proprie dictis discriminentur; sive quænam inter hæc et illa analogia existat.

III° *Elementorum essentiæ objectivitas expenditur.*

25. Status quæstionis expendendæ. — Ex dictis constat essentiarum elementa, *genus* scilicet, *species* et *accidentia* a nobis concipi ut aliquid participabile non ab uno tantum, sed ab innumeris individuis. Unde *universalium* nomen quo in scholis designantur. Horum igitur elementorum conceptus a conceptu rerum individualium aliquo modo distinguitur. Sic, quando concipio *hominem*, objectum, quod mihimet repræsento, non est homo quidam individualis, ut *Petrus*, *Jacobus*, etc..., sed aliquid quod his omnibus commune est, quod proinde ad nullum eorum exclusive pertinet.

Hoc posito, ut complete determinemus naturam essentiæ, expendendum nobis est quidnam rei sit illud universale.

Quæstionem hanc magno æstu discusserunt scholæ philosophicæ Medii Ævi. Solutiones vero quæ ad illam dirimendam adinventæ et propugnatæ fuerunt, ad tres præcipuas possunt revocari.

26. Opinio Nominalistarum. — Roscelinus, canonicus compendiensis seculo XI, objectivitatem essentiarum, quatenus aliquid universale exprimentes, denegavit. Nihil enim, juxta ipsum, a parte rei existit, præter res individuales. Universale igitur nihil aliud est, ut aiebat, quam flatus vocis, id est, merum nomen quo ad

collectionem plurium individuorum designandam uti solemus. Hinc Roscelini doctrina *nominalismi* appellatione in scholis designari consuevit.

27. Opinio realistarum. — Nominalismo directe opponitur *Realismus*. Sic nuncupant doctrinam quæ essentiis in se spectatis, seu, ut olim dicebatur, *universalibus*, aliquam a parte rei objectivitatem tribuit. Inter illius patronos præcipue citari merentur: S. Anselmus, cantuariensis archiepiscopus, seculo XI; Guillelmus a Campellis, seculi XII initio; Joannes Scotus, seculo XIV.

Omnes realistæ in eo quidem concordant quod *universalibus* realitatem tribuant; quomodo autem hæc realitas concipi debeat, non omnes eodem modo explicant.

1° Nonnulli, qui *realistæ minus rigidi* dici possent, in hoc cum nominalistis consentiebant, quod nullam a parte rei admittebant realitatem, præter individua. Non tamen qualibet realitate destitui existimabant universalia; sunt enim varii respectus sub quibus quodlibet individuum spectari potest. Scilicet, in essentia cujuslibet individui, aliud invenitur per quod simile est cæteris individuis, aliud vero per quod nulli alii simile invenitur: prius *speciem* illius, posterius ejusdem *differentiam* constituit. Hæc autem duo in hoc a se invicem discrepant, quod differentia individualis exprimit aliquid indivisibile in plura; dum species exprimit rem ex natura sua multiplicem, id est, pluribus individualitatibus convenientem; et ideo dicitur communis seu universalis. Sic v. g. *socratitas* non designat nisi rem individuam, scilicet *Socratem*; *humanitas* vero designat rem quæ, ex natura sua, convenit pluribus, omnibus scilicet hominibus. Porro, si in aliquo individuo consideratur pars illa, quæ est indivisibilis in plura, illius individualitas tunc apprehendi dicitur. Si, e contra, in illo consideratur pars altera, quæ concipi non potest nisi tanquam unitas alicujus collectionis, quod tunc consideratur, vocatur illius *species* (Cf. *Suares*, *Metaphysicæ*, *Disp.* 5, *sect.* 1).

2° Alii realistæ universalia habent ut realitates ab individuis prorsus independentes; ita ut v. g., licet nulla *individua humana* existerent, *humanitas* tamen suam servaret realitatem. Hi autem iterum inter se discrepant, tum circa naturam hujusce realitatis, tum circa modum quo individua distinguuntur a specie, et a se invicem. — Quod spectat ad naturam realitatum universalium, alii eis tribuunt existentiam distinctam, independentem et increatam, et in hoc sensu intelligunt percelebrem theoriam Platonis de *ideis*. Alii, dum tribuunt universalibus existentiam

distinctam, illa a Deo fuisse creata existimant. Alii demum universalibus non concedunt realitatem distinctam : illa autem nihil aliud esse dicunt quam archetypa æterna, in essentia Dei necessario contenta, ad quorum normam omnia creata fuerunt. — Relative ad illud per quod constituuntur et secernuntur individua, multiplex quoque distinguitur opinio. Juxta quosdam, individualitas non est nisi merum *accidens* quod, universali adjectum, individua constituit. Nonnulli cum Scoto admittebant quoque realitatem universalem eamdem substantialiter inveniri in omnibus individuis ; hæc autem constituuntur, per entitatem quamdam, universali superadditam, quam *hæcceitatis* nomine designabant. Illius entitatis ope, individua tum a specie, tum a se invicem distinguebantur.

28. Opinio conceptualistarum. — Nominalistarum et realistarum opiniones oppositas conciliare tentavit Abailardus, seculi XII celeber philosophus. Juxta illum, ideæ universales nec realitates sunt *a parte rei* existentes, nec ad *flatus vocis* inanitatem reducuntur ; sed habent realitatem *a parte mentis*. Sunt scilicet meri conceptus intellectus nostri qui, ad naturam individuorum attendendo, eorum differentias abstrahit, eorumque tantum similitudines considerat. Hinc *conceptualismi* nomen quod huic systemati in scholis tribuitur.

29. Conceptualismum in nominalismum recidere ostenditur. — Antequam mentem nostram aperiamus, observandum est systema, postremo loco expositum, quæstionem solvendam prorsus intactam relinquere, aut potius in nominalismum recidere. Cum enim nominalistæ universalia reducant ad mera nomina, procul dubio supponunt mentem intelligere sensum quem illa nomina exprimunt. Porro, mens intelligere nequit sensum nominis cujuscumque, quin, rei per illud expressæ, conceptionem quamdam sibi effingat. Universalia igitur esse conceptus mentis, diffiteri non possunt nominalistæ, nec in hoc videtur esse punctum difficultatis inter illos et realistas agitatæ. Tota quæstio versatur circa objectivitatem illis essentiis extra mentem concedendam. Relative autem ad illud punctum opinio conceptualistarum a nominalismo nullatenus discrepat.

30. Quæstiones expendendæ. — His positis, tria nobis erunt expendenda : 1° utrum universalia sint a parte rei, an in mente tantum ; 2° utrum independenter ab individuis in suo esse constituantur ; 3° cujusnam sint naturæ.

31. Thesis prima. — *Universalia sunt a parte rei.*

Probatur. Ut thesis admitti debeat, tria requiruntur et sufficiunt : 1° ut nullus in nobis conceptus esse possit, qui non habeat aliquod fundamentum in re ; 2° ut universalium aliquem conceptum habeamus ; 3° ut ille conceptus aliud in re fundamentum habere non possit quam universalium realitatem a parte rei. Atqui, hæc tria constant. Ergo, etc.

Major evidentior est quam ut probatione indigeat.

Probatur itaque minor per partes.

Et quidem 1° *Nullus in nobis conceptus esse potest qui non habeat aliquod fundamentum in re.* — Hanc assertionem, quæ in ipsamet conceptus notione includitur, certissimam esse, imo totius certitudinis fontem existere, fusius ostendemus in Psychologia. Cæterum ab ipsismet adversariis admittitur, quippe qui libenter concedunt cuilibet conceptui fundamentum in re esse assignandum ; sed negant tantum hoc fundamentum, pro universalibus, in aliqua realitate universali esse reponendum.

2° *Universalium aliquem conceptum habemus.* — Illud in confesso est apud conceptualistas ; ipsique nominalistæ, prout modo ostendimus, idem, quin sibi manifeste contradicant, non possunt denegare. Et reipsa, experientia constat nos de generibus et speciebus quotidie cogitare ; imo nullum, hujusmodi ideis deficientibus, cogitationis exercitium possibile foret.

3° *Conceptus quos de universalibus habemus, aliud fundamentum habere non possunt quam universalium realitatem a parte rei.* — Etenim, cum nihil a parte rei existere possit præter essentias universales et individua, si prioribus realitas denegetur, dicendum est universalum ideas ab ideis individuorum, abstractionis mentalis ope, obtineri. Et illud reipsa contendunt sive nominalistæ, sive conceptualistæ, ut constat ex superiori expositione. Atqui, illud dici nequit. — Nam 1° hæc hypothesis supponit nos individua ante essentias concipere. Id autem falsum esse omnino constat. Antequam enim concipiamus individuum, ut individuum, necesse est ut concipiamus illud per quod est individuum talis potius quam alterius naturæ, seu, ut aiebant, illius *quidditatem*. Sic, ut concipiam *Petrum* necesse est ut concipiam prius *τὸ esse homo*, quod illi competit ; alioquin ipsum, ut talem hominem, non possem concipere. Quidditas autem necessario concipitur tanquam aliquid universale, quippe quæ aliquid dicit quod a numero individuorum indeterminato participari potest. Ergo, antequam concipiatur individuum, universale concipitur ; proinde ad hoc posterius concipiendum prius inservire non potest. — 2° Etsi

un individu aurait l'universel et l'individualité.

autem conceptus individuorum, absque prævio conceptu universalium, haberi posset, nihilominus rueret adversariorum hypothesis. Etenim, ut ex aliqua idea mens aliam ideam abstractionis ope efformet, saltem requiritur ut hæc majorem extensionem quam illa non habeat. Repugnat enim magis extensum in minus extenso contineri, aut ab illo produci. Porro, universale magis profecto extenditur quam individuum. Ergo, ex conceptu individuorum, si solus in mente existeret, ad conceptum universalium nequaquam assurgere possemus, quæcumque adhiberetur abstractio. Ce n'est pas l'individu comme individu, mais l'universel, comme universel

Ergo, conceptus rerum universalium aliud fundamentum habere non possunt quam hujusmodi rerum, prout apprehenduntur a mente, objectivam realitatem.

Ergo, demum, *universalia sunt a parte rei*, sed ubinam resideat universale restat inquirendum.

32. Thesis secunda. — *Universalia independenter ab individuis in suo esse constituuntur.*

Prob. — Vel, prout fert thesis, universalia independenter ab individuis in suo esse constituuntur, vel dicendum est, cum nonnullis realistis supra citatis, ipsa nihil aliud esse quam illæ individuorum proprietates quæ, ex natura sua, pluribus individuis convenire possunt. Atqui, posterius dici nequit.

Majoris veritas per se patet. Essentiæ enim, si realitatem independentem ab individuis non habent, nihil aliud manifeste esse possunt quam partes individuorum constitutivæ.

Probatur minor. — 1° In hypothesi quam confutamus, individuum contineret universale; tunc enim universale foret pars illius integrans et ad illud constituendum concurreret. Atqui, individuum nihil continere potest nisi individuale; alioquin non jam individuum, sed universale dici deberet. — 2° Quando dicuntur universalia in individuis, ut illorum pars integrans, contineri, vel illud intelligitur in eo sensu quod in individuis aliqua realitas inveniatur, quæ sit prorsus eadem in omnibus; vel in eo sensu quod in singulis individuis distingui possint nonnulli respectus sub quibus ad se invicem, non quidem identica sunt, sed similia tantum. Atqui, neutro in sensu dici potest universalia in individuis inveniri. *Non quidem in priori sensu.* Tunc enim, non magis ad unum individuum quam ad aliud pertinere dici possent; in partem igitur individuorum, ut sic, reipsa non venirent, ab illisque prorsus independentia forent in suo esse. Sic v. g. supponamus quod *humanitas* sit aliquid identicum in ***Petro***, ***Jacobo***, etc... Cum individualitas sit illud

quod *Petrum* constituit a *Jacobo* distinctum, eo ipso humanitas ab utriusque individualitate distingui debet. Tunc vero individualitas non concipietur nisi ut accidens, quod eamdem essentiam diversimode et contingenter afficere potest. Sicque humanitas ab individuis humanis independens erit. *Non etiam in posteriori sensu.* Etenim, plura individua sibi invicem similia esse non possunt, sub aliquo respectu, quin sint, sub illo respectu, individuationes ejusdem naturæ universalis ab unoquoque eorum distinctæ. Sic non possum pronuntiare *Petrum* et *Jacobum* similes esse, sub respectu humanitatis, nisi concipiam archetypum quoddam cui uterque conformis inveniatur, et a quo tamen uterque sit distinctus. Porro, naturæ illæ universales seu illa archetypa sunt ipsamet universalia, de quibus agitur in thesi. Hæc igitur universalia in individuis, tanquam illorum partes, in nullo sensu inveniri possunt. — 3° Essentiæ, uti probabimus in sequenti thesi, sunt aliquid absolutum et necessarium in cujus nempe conceptu nihil hypotheticum includitur. Individua e contra concipiuntur tanquam aliquid contingens et hypotheticum. Sic fieri posset nullos prorsus existere homines ; omnino autem impossibile est aliquam effingere hypothesim in qua hominis essentia non posset concipi, in qua proinde realitas, quæ ipsi competit, destrueretur. Porro, quod est necessarium et absolutum procul dubio independens esse debet, in suo esse, ab eo quod est contingens et relativum. Ergo, etc...

33. Scholium. — Universalia, licet independenter ab individuis quibuscumque in suo esse constituantur, concipi tamen non possunt, ut universalia, nisi per aliquem respectum ad individua, saltem possibilia. Duo scilicet in conceptibus, de quibus agitur, distingui possunt : 1° gradus realitatis seu entis, qui illos constituit, et per quem menti perceptibiles sunt ; 2° participabilitas illius gradus a numero individuorum indeterminato. Cum autem posterior ille respectus sit illud per quod essentiæ dicuntur universales, evidentissimum est ipsas, ut tales, concipi tantum posse per conceptum individuorum. Thesis igitur modo probata intelligi non debet in eo sensu quod concipi possit universale, quin concipiantur individua ; sed in eo sensu quod realitas universalis eadem foret, etsi nulla de facto existerent individua.

34. Thesis tertia. — *Universalia nihil aliud sunt, a parte rei, quam rerum omnium archetypa in essentia Dei ab æterno contenta.*

Prob. — Thesis constabit modo probemus 1° rerum omnium

quæ existunt aut existere possunt realia archetypa in essentia Dei esse admittenda; 2° hæc archetypa omnes conditiones adimplere ut conceptus, quos de essentiis habemus, objective terminare possint; 3° nullam aliam realitatem objectivam hujusmodi conditiones adimplere. Atqui, hæc tria omnino constant.

Probatur minor per partes.

Et quidem 1° *rerum omnium quæ existunt aut existere possunt realia archetypa in Deo sunt admittenda.* — Horum archetyporum existentiam realem abunde in decursu probabimus, simulque eorum naturam exponemus. Quod ad præsens attinet, observare sufficiat illa necessario exigi, ut cognitionem rerum omnium possibilium Deus habeat. Primum enim, hæc cognitio in Deo esse non potest, quin aliqua realitate terminetur. Deinde cum eadem cognitio sit essentialis et necessaria, realitas, quæ illam terminat, iisdem dotibus pollere debet. Demum in ipsamet essentia Dei inveniri debet, alioquin realitas necessaria extra Deum existeret, quod repugnare infra ostendemus.

2° *Archetypa, in Deo contenta, omnes conditiones adimplent ut conceptus, quos de essentiis habemus, objective terminare possint.* — Tres enim sunt dotes quæ objectis conceptuum, de quibus agitur, competere debent : *prima*, ut sint aliquid reale; *secunda*, ut independenter ab individualitatibus quibuscumque contingentibus in suo esse constituantur; *tertia*, ut a numero indeterminato individuorum distinctorum participari possint, id est ut sint universalia. Atqui, tres illas dotes adimplent archetypa in Deo contenta. — *Primam* quidem : uti enim modo diximus, cognitio divina nonnisi ad objectum reale terminari potest. — *Secundam* quoque : etsi enim nullæ prorsus forent existentiæ contingentes, in quibus archetypa divina individuarentur, hæc archetypa, utpote ad essentiam divinam pertinentia, non minus existerent. — *Tertiam* tandem : universalitas enim essentiæ non exigit nisi ut illa essentia, eadem remanens, a pluribus individuis participetur, sitque inter illa similitudinis fundamentum. Illud porro invenitur in archetypis de quibus agimus, et quæ sunt quasi exemplaria communia quæ Deus, in variorum individuorum productione, sibi imitanda proponit. Ergo 2° archetypa in Deo contenta omnes conditiones, etc...

3° *Nulla alia realitas hujusmodi conditiones adimplere potest.* — Etenim, rejecta hypothesi archetyporum in Deo existentium, duæ tantum hypotheses circa objectivam realitatem essentiarum fingi possunt, vel scilicet dicendo, cum veteribus

platonicis, realitatem increatam, sed a Deo distinctam, illis competere; vel cum scholasticis, de quibus supra, illas esse entia creata. Atqui, neutrum dici potest. Non prius; nam uti jam observavimus, extra Deum nihil necessarium et increatum inveniri potest. Non posterius; tunc enim illæ essentiæ nihil aliud forent quam individuationes contingentes, quod ex dictis, propugnari nequit. Ergo, etc...

35. Nota. — Nova de essentiis tractanda hic occurrit quæstio, præcedenti intime connexa, quomodo nempe essentiæ ab individuis participentur, ita scilicet ut individua hæc, tum ab ipsamet essentia de qua participant, tum a se invicem, distingui possint. Aliis verbis, solvenda nobis foret controversia olim percelebris de *Principio individuationis*. Quidnam autem circa illud punctum sentiamus patebit ex dicendis in Sectione sequenti.

CAPUT TERTIUM.

De Characteribus Essentiæ.

36. Characterum essentiæ notio et divisio. — Characterum essentiæ nomine designamus varias dotes per quas essentia ad terminandam cogitationem redditur idonea; quæ proinde illi competunt, præcise ut essentiæ, et independenter ab illius notis specificis. — Hinc dotes hujusmodi vel *proprietates* vel *notæ communes* entium sæpe sæpius ab auctoribus appellantur.

Tres numero distingui solent : *unitas,* scilicet, *veritas* et *bonitas.*

ARTICULUS PRIMUS.

De Unitate.

37. Unitatis definitio. — Scholastici unitatem vulgo definiunt : *Characterem quo ens concipitur indivisum in se et divisum a quolibet alio ente.*

Dicitur 1° *character quo ens concipitur indivisum in se.* — Hæ voces exprimunt ad unitatem requiri ut ens, cui competit, in plura entia dividi non possit; sed totum quoddam efformet quod sit ens tale. Hinc ad unitatem non exigitur ut in ente nulla concipiantur elementa distincta; his enim non obstantibus, ens tamen concipi potest in plura entia indivisibile; modo nempe hæc elementa ad idem ens constituendum ita coalescant, ut unumquodque eorum ens distinctum et completum non constituat.

Dicitur 2° *Nota qua ens concipitur divisum a quolibet alio.* — Ens dicitur divisum a quolibet alio quatenus illius *esse*, cum *esse* alterius entis non confunditur, seu, quod idem est, quatenus non est *aliud a seipso.*

38. Controversia circa unitatis definitionem. — Definitio unitatis modo allata vulgaris est apud auctores. Plurimi tamen posteriorem illius partem expungendam esse existimant. Juxta illos nempe, ut unitas entis constituatur, sufficit illud esse *indivisum in se*, minime vero requiritur ut sit etiam *divisum a quolibet alio.* Divisio enim ab alio necessaria est tantum ut objectum aliquod sit *unum ex pluribus.* Porro, ens potest concipi unum, quin concipiatur unum ex pluribus. Præterea, fieri potest ut, præter ens aliquod, alia non sint entia a quibus dividi possit; talis nempe foret Deus posito quod non creavisset: attamen ens illud unum nihilominus dici deberet.

39. Opinio Suaresii. — Duplicem hanc opinionem conciliare nititur Suaresius (*Metaph. Dist. IV*, Sectio prima, Caput XVI et XVII). Animadvertit primum *divisionem ab alio* unitatis notioni essentialem esse in eo sensu quod quisquis de aliquo ente unitatem affirmat, necessario supponit ens illud non esse *aliud a seipso;* quemadmodum enim uni enti non potest convenire ut sit aliud, ita necessario illi convenit ut non sit aliud. Sed duplici modo intelligi potest quod *divisio ab alio*, in hoc sensu intellecta, de ente uno debeat affirmari: vel nempe quatenus unitatem formaliter constitueret: vel quatenus, unitate entis constituta, tanquam consectarium necessarium illius unitatis admitti deberet. Hunc posteriorem

modum veriorem judicat auctor laudatus. Hac posita distinctione, facile inter se conciliari posse existimat duas opiniones, de quibus agitur. Supponit scilicet priorem opinionem dicere tantum *divisionem ab alio* enti quatenus uni, necessario competere; posteriorem vero nihil aliud contendere nisi *divisionem ab alio* ad ipsammet unitatem notionem non pertinere.

40. Opinio nostra. — In hac opinionum varietate, hæc nobis tenenda videntur. — 1° Cum patronis secundæ opinionis et cum Suaresio existimamus *divisionem ab alio* non constituere unitatis notionem; etiamsi enim mens ad illam non attendat, ens in sua unitate constitutum sufficienter concipit, dummodo nullam in illo divisionem deprehendat. — 2° Admitteremus tamen cum eodem Suaresio et primæ opinionis propugnatoribus *divisionem ab alio* cuilibet enti necessario competere; eo ipso enim quod concipiuntur entia, quæ sunt alia ad se invicem, contradictorium foret supponere illa entia a se invicem non dividi. — 3° Hæc autem prærogativa ab unitate profluere nobis non videtur, uti contendit Suaresius. Si enim res ita se haberet, ex eo quod ens conciperetur indivisum in se, eo ipso divisum ab alio conciperetur. Porro, hæc duo essentialiter inter se connexa non videntur. — 4° Sufficienter igitur et adæquate unitas definiri potest: *Illud vi cujus ens est indivisum in se.*

41. Utrum quælibet essentia unitatem habeat. — Unitatis natura determinata, altera quæstio nobis est expendenda, utrum unitas, prout illam definivimus, omnibus essentiis reipsa conveniat, sicque tanquam character generalis essentiæ possit prædicari.

De hoc puncto ne minima quidem difficultas esse potest. Essentia enim est quidditas rerum, proindeque nihil aliud exprimit quam *esse* in aliquo gradu. Porro, quilibet gradus entis est aliquid indivisum in se. — Nam 1° idea *esse* est aliquid simplicissimum, a cujus conceptu quælibet compositio, ideoque quælibet possibilitas divisionis penitus excluditur. — 2° Nedum idea *esse* compositionem divisionisque possibilitatem includat, facile constat hanc ideam ideæ compositi et divisi-

bilis necessario præviam esse. Compositum enim et divisibile concipi nequeunt, nisi prius concipiantur eorum partes. Partes autem cujusvis compositi nihil aliud menti exhibent quam *esse* in aliquo gradu. Porro, objectum cujus idea ideæ compositi et divisibilis præit, cujuslibet compositionis et divisibilitatis expers esse debet.

42. Difficultates contra essentiarum unitatem enumerantur et solvuntur. — Hæc satis per se patent. Pauca autem dicenda sunt de difficultatibus quæ contra essentiarum unitatem erui posse videntur, tum ex diversitate notarum quibus insigniuntur, tum ex earum inclusione in invicem, tum denique ex earum universalitate, seu ab innumeris individuis participabilitate.

1° Primum quidem, facile constat diversitatem notarum in eadem essentia, ipsius unitati nullatenus officere. Illæ enim notæ non efformant tot entia realiter distincta, sed nihil aliud sunt quam varii aspectus ejusdem essentiæ; unde, licet plures existant in eadem essentia, non impediunt quin sit *indivisa in se et divisa a qualibet alia.*

2° De inclusione essentiarum in invicem, ex qua sequi videtur unam essentiam in plures alias dividi posse, idem dici debet. Hæc enim inclusio essentiarum in invicem non consistit in eo quod essentia superior essentias inferiores contineat distincte et formaliter, id est, tanquam partes ex quarum unione coalesceret; sed, uti infra dicemus, eminenter tantum, quatenus realitas, quam possident essentiæ superiores, realitati essentiarum inferiorum æquivaleat.

3° Restat ut explicemus quomodo unitas essentiarum cum earum universalitate, seu ab innumeris individuis participabilitate, conciliari possit. Hoc autem facillimum erit, modo attendamus essentiam concipi non debere ut collectionem individuorum; sed, prout supra diximus, tanquam archetypum seu formam exemplarem ad cujus normam individua efficiuntur. Hoc posito, multiplicitas individuorum essentiæ unitati manifeste non detrahit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Veritate.

43. Veritatis definitio. — Veritas in genere a scholasticis definitur : *Adæquatio inter rem et intellectum.* — Hæc definitio, si applicetur veritati essentiarum, duplici in sensu intelligi potest. Adæquatio nempe, qua constituitur, consistit vel in aliqua conformitate inter rem intellectam et subjectum quod illam intelligit ; vel in conformitate inter rem prout est in se, et eamdem rem prout apprehenditur a mente, id est, inter rem et ejus intellectionem. Ex his duobus sensibus, solus posterior admitti potest ; priore enim admisso identitas absoluta pantheistarum, quam certe scholastici non propugnabant, induceretur.

Definitionem sic intellectam libenter admittimus : perfecte enim naturam veritatis, prout ab omnibus intelligitur, exprimere videtur. Omnes scilicet per veritatem intelligunt aliquid quod ad intellectum relationem habeat : cum autem intellectus aliud munus non habeat quam intelligere, et intellectio necessario includat conformitatem inter intellectionem et rem intellectam, in hac igitur conformitate veritas consistere debet.

44. Veritatis duplex ~~species~~ respectus. — Veritas, quatenus consistit in relatione rei ad intellectum, in utroque igitur fundamentum habere debet.

Veritas *in intellectu* nihil aliud est quam operatio intellectus rem apprehendentis, prout est in se. Sub hoc respectu spectata, veritas dicitur quandoque *veritas subjectiva.*

Veritas *in re* est qualitas qua res sunt ab intellectu apprehensibiles, proindeque consistit, ut aiunt, in earum *intelligibilitate.* Quomodo hæc intelligibilitas concipi debeat, utrum nempe nihil aliud dicat quam meram potentialitatem, utrum

vero aliquem actum per se designet, infra dicemus. Veritas rei nuncupatur etiam *veritas objectiva.*

45. Falsitatis definitio. — Definitionem veritatis subsequi debet notio *falsitatis* quæ veritati, tanquam ipsius contrarium, opponitur.

Apposite ad ea quæ præcedunt, falsitas definiri potest: *Defectus adæquationis inter rem et intellectum.* — In intellectu igitur spectata, consisteret in eo quod conceptus mentales rem, prout est in se, non apprehenderent. — In re autem foret defectus intelligibilitatis.

46. Utrum quælibet essentiæ veritatem habeant? — Expendendum nunc utrum veritas ad quaslibet essentias necessario pertineat, ideoque utrum inter illarum characteres communes sit annumeranda.

Rem ita se habere ne dubium quidem suboriri potest.

Etenim essentiæ, ex dictis, nihil aliud menti exhibent quam varias entis determinationes. Unde si inter illas aliqua inveniretur quæ veritate, seu, juxta præcedentes definitiones, intelligibilitate careret, tunc eo ipso aliquod ens foret quod intelligi non posset. Hoc autem entis notioni contradicit. Ens enim, prout supra dictum est, illud est quod terminat intellectum. Unde sequitur intelligibilitatem in ipsomet entis conceptu essentialiter includi.

Et vero variæ determinationes entis, quibus essentiæ constituuntur, nihil aliud esse possunt quam participationes in diverso gradu de Ente simpliciter dicto, seu absque restrictione et limite. Modo igitur huic competat intelligibilitas et illis competere debet. Enti autem simpliciter dicto competit profecto intelligibilitas; cum, conscientia teste, illud intellectu apprehendamus. Ergo, etc...

47. Utrum quilibet intellectus veritate gaudeat? — Ex eo quod nulla essentia existat, quæ veritate non gaudeat, sequitur de quolibet intellectu idem dici debere. Cum enim intellectus nihil intelligere possit quod non sit intelligibile, et

intelligibile cum essentia identificetur; evidens est intellectum non posse essentias apprehendere, nisi prout sunt in se, ideoque veritatem essentialiter habere.

48. Non datur falsitas essentiæ aut intellectus. — Non datur igitur falsitas quæ vel in essentiam, vel in intellectum cadat, et veritati essentiæ et intellectus opponi possit. Nec enim essentia, nec intelligentia veritate carere possunt.

49. Notio pulchri. — Ex notione veri deducitur notio *Pulchri*, quod, juxta Platonem, nihil aliud est quam *splendor veri*. Pulchrum est verum quatenus, expressum menti nostræ per aliquod sensibile, jucundo sensu nos afficit. Hæc de hujusmodi conceptu quoad nunc sufficiant. De eo enim speciatim tractabimus in *Æsthetica*.

ARTICULUS TERTIUS.

De Bonitate.

50. Bonitatis definitio. — Quemadmodum veritas consistit in respectu quem habet ens ad intellectum; ita bonitas aliquem respectum dicit ad voluntatem. Potest igitur definiri: *Convenientia inter rem et voluntatem*, seu aptitudo rei ut terminet voluntatem, seu iterum rei *amabilitas*. — Huic definitioni congruunt definitiones tum Aristotelis, juxta quem bonum est: *Illud quod omnia appetunt*; tum sancti Thomæ, juxta quem: *Ratio boni in hoc consistit quod aliquid sit appetibile*. Nam per *appetere*, idem ac nos per *amare* hi intelligunt. — Ipsam aliunde legitimam esse constat per modum quo omnes homines bonitatem intelligunt. Nullus est enim qui per bonum aliud intelligat quam aliquid amore dignum. Hinc quæstioni cur res aliqua amari debeat, non alia fit responsio nisi quia bona est.

51. Mali definitio. — Ut falsum vero, sic malum bono opponitur. Malum igitur consistit in defectu amabilitatis in

ente. Est autem absolutum aut relativum prout vel omnino amabilitas abest, vel in aliquo gradu tantum.

52. Utrum quælibet essentia bonitatem habeat. — Utrum cuilibet essentiæ bonum necessario competat nunc dicendum. Quæstio hæc evidenter affirmative solvi debet.

Quemadmodum nempe nulla est essentia quæ, ex dictis, nullam habeat intelligibilitatem; ita et nulla est quæ non sit amabilis, saltem in aliquo gradu.

Ut illud constet duo requiruntur et sufficiunt : 1° ut saltem quædam entia sint amabilitate prædita; 2° ut illud de quibusdam entibus dici non possit, quin de omnibus dicatur. Atqui, hæc duo vera sunt. — *Prius quidem* : etenim inter entia quæ a nobis intelliguntur, quædam saltem sunt nobis objectum amoris. Atqui, ens non potest esse nobis objectum amoris, quin sit in se amabilitate præditum; alioquin actus noster terminaretur ad nihilum, quod profecto dici nequit. Ergo, etc... — *Posterius quoque* : posito enim quod in aliquo ente sit amabilitas, hæc prærogativa necessario competere debet cuilibet rei de eadem natura participanti. Sed omnia entia de eadem natura, de ente scilicet participant, licet in diverso gradu. Ergo, omnia entia amabilitate gaudent (1).

Corollaria.

53. Corollarium primum. — Tres characteres modo enumerati in ente non concipiuntur per alicujus realitatis negationem. Sic unitatem per divisum seu multiplex, verum per falsum, bonum

(1) Contra hanc assertionem aliqua difficultas desumitur ex scientiarum mathematicarum objectis, quæ intelligibilitate quidem fruuntur, nulla autem bonitate præditæ apparent. Unde sequitur bonitatem tanquam characterem communem omnium essentiarum prædicari non posse. — Huic difficultati cum S. Thoma (1 p. q. 5, art. 4, ad 4) respondetur res mathematicas in se quidem bonitatem habere; per scientiam autem mathematicam non considerari quatenus bonæ sunt, sed præcise et abstracte, sub respectu quantitatis, prout alibi fusius exponemus.

per malum mens non apprehendit. Econtra, divisio concipi non potest, nisi tanquam separatio duarum unitatum, quarum proinde conceptus præcedit ; quemadmodum falsum et malum, cum nihil sint in se, nonnisi per verum et bonum, quorum sunt negatio, apprehendi possunt. Fatendum est tamen triplicem conceptum, de quo agitur, distincte et reflexe a mente haberi non posse, nisi simul triplicis conceptus oppositi idea aliqua habeatur.

54. Corollarium secundum. — Unitas igitur veritas et bonitas sunt in ente aliquid positivum et reale ; alioquin, positive concipi non possent. Exinde tamen cum quibusdam male concluderetur tres illas notas consistere in entitatibus realibus enti supperadditis, et ab ipso separabilibus. Hæ enim entitates forent in illa hypothesi aliquid entis. Hoc posito, vel unitatem, veritatem et bonitatem per se possident, vel non. Si prius, cur illæ notæ cuilibet enti eodem modo non competerent, non videtur. Si posterius, entitates, de quibus agitur, has dotes cæteris entibus conferre non possunt ; nemo enim dat quod non habet. — Dicendum igitur præsentiam unitatis, veritatis et bonitatis in ente, nullam entitatem illi superadditam supponere ; triplicem autem hunc characterem non discrepare ab ipsomet ente quatenus est in se absque divisione, vel quatenus est aliquid sive per intellectum, sive per amorem apprehensibile.

55. Corollarium tertium. — Unitatem, veritatem, bonitatem singulis essentiis competere, modo probavimus. Ex dictis præterea facile deduci potest nullam aliam notam, hac prærogativa gaudere, proindeque characteres essentiarum communes ad tres præfatas dotes merito reduci. Etenim characteres communes essentiarum ad has notas merito reducuntur, quibus tantum positis, ens in sua essentiali quidditate statim concipitur, adeo ut entis essentialis conceptus cum eorum conceptu prorsus identificetur. Atqui, tales sunt notæ, de quibus agitur. Ens enim *illud est quod cogitationem objective terminat* (n. 7). Sed cogitatio, quatenus indiget termino objectivo, tota consistit in intellectu et amore. Illius igitur terminus objectivus, seu ens, nihil aliud in sua essentiali constitutione esse debet, quam aliquid quod intelligatur et ametur, id est, unitatem quamdam veritate et bonitate præditam.

56. Corollarium quartum. — Veritas et bonitas, cum in intelligibilitate et amabilitate consistant, essentialiter includunt relationem ad aliquem intellectum et ad aliquem amorem ; ideoque dotes illæ realiter enti inesse non possunt, quin eo ipso ens

realiter intelligatur et ametur. Nunc vero, non solum veritas et bonitas singulis essentiis realiter competunt; facile constat præterea utramque hanc notam, non secus ac ipsasmet essentias, prorsus necessariam esse, et independentem tum a cogitatione nostra, tum a cogitatione cujuslibet alterius entis contingentis. Hinc nobis concludere licet, ens aliquod necessarium inveniri, per quod, ut pote intelligentia et amore præditum, universæ essentiæ in suo esse vero et bono constituantur. Hæc fusius evolventur in Theodicea.

SECTIO SECUNDA.

DE EXISTENTIA.

Triplex erit Caput : primum de Definitione existentiæ, secundum de Elementis existentiæ, tertium de Characteribus communibus existentiæ.

CAPUT PRIMUM.

De Definitione Existentiæ.

57. Existentiæ notio generalior. — Existentia illud est cujus notionem in mente modo confuso volvimus, dum quærimus de aliquo ente : An sit?

Nulla quidem est notio quæ nobis familiarior sit. Quotidie enim de innumeris entibus quæstionem hanc proponimus ac resolvimus, nec profecto quid tunc inquiramus aut pronuntiemus, ignoramus.

58. Existentiæ definitiones nonnullæ expenduntur. — Vulgo eam definiunt auctores per conceptum possibilitatis, cui opponitur tanquam positivum negativo. Dicunt nempe

existentiam esse vel *Complementum possibilitatis*, vel *Status essentiæ quo ea est plus quam nude possibilis*.

In hoc autem peccare videntur istæ definitiones quod 1° magis exprimant quid non sit, quam quid sit existentia; quod 2° conceptum possibilitatis magis notum supponant quam conceptum existentiæ, dum econtra posterior ille conceptus ad priorem habendum necessario prærequiritur; quod demum 3° supponere videantur ens quodvis existens a statu meræ possibilitatis ad statum existentiæ transiisse, attamen unum ens admitti debere cujus existentiam possibilitas non præcessit, ex infra dicendis omnino constabit.

59. Definitio existentiæ juxta scholasticos. — Strictius et profundius, nostro judicio, existentiam definierunt scholastici : *Essentiam in actu*, seu, quod idem est *Essentiæ actuationem*. Possibile actuatum; possibilitas actuatio. Potentia in actu.

Juxta illos nempe ut concipiamus existentiam, sufficit ut ideæ essentiæ addatur idea *actus*. Hinc, ut illorum definitionem quam omnino nostram efficimus, vindicemus, duo nobis præstanda sunt : 1° quid per actum intelligi debeat explicare, 2° ostendere quomodo hæc idea cum idea existentiæ, prout in omnibus nobis invenitur, penitus identificetur.

60. Actus natura. — Quid sit *actus* definitione stricta exprimere omnino impossibile est; hæc enim notio inter ideas nostras primitivas reponi debet, nec aliud ante se supponit, per quod, utpote magis notum, definiri possit. A nobis igitur exigi non possunt nisi quædam explicationes. — Quidquid mente apprehendimus a nobis tanquam aliquis gradus entis necessario concipitur. Vel autem proprietates quæ hujusmodi gradum constituunt, habent realem determinationem, seu ad aliquod exercitium reducuntur; vel nihil aliud in ipsis pro præsenti invenitur quam aptitudo quædam ad hunc statum in futuro habendum. In posteriori casu, essentia dicitur *in potentia* tantum; in priori vero dicitur *in actu*. Actus igitur definiri potest *exercitium præsens proprietatum entis*. Ille

actus duplex esse potest, *purus* scilicet et *mixtus* : est *purus* quando includit omnes determinationes quæ enti sunt possibiles : est *mixtus*, quando unam tantum ex his determinationibus in præsenti exhibet, cæteras vero in potentia includit. Ex hac notione actus sequitur *agere* nihil aliud esse quam vel seipsum, vel ens a seipso distinctum, in aliquo exercitio proprietatum constituere. Sic, quando ab una cogitatione ad aliam transimus, *agere* dicimur.

61. Actus et existentia identificantur. — Quomodo actus cum existentia penitus identificetur, nunc facile ostendere possumus. Ad hoc nempe sufficit ut probemus 1° negata existentia, quemlibet actum eo ipso negari ; 2° quolibet actu negato, idem de existentià dici debere. Atqui hæc duo constant. — *Prius* quidem : ens enim quod existentia caret, ex omnium consensu, inter entia computari non debet, sed est merum nihilum : porro, habere exercitium reale suarum proprietatum nonnisi enti convenire potest. Ergo, quisquis negat existentiam, eo ipso quemlibet actum negat. — *Posterius* quoque : gradus enim entis cui nullum competit reale exercitium, seu de quo negatur *actus*, jam concipi nequit nisi tanquam mera potentialitas. Porro, mera potentialitas existentiæ quidem possibilitatem, neutiquam vero existentiam includit. Ubi enim est mera potentialitas, ibi ens affirmari non potest; existentia autem ab omnibus concipitur tanquam ens. Ergo...

62. Existentia dici potest actus primus aut actus ultimus essentiæ. — Hic obiter observandum est scholasticos, qui actum cum existentia nobiscum identificant, inter se tamen circa existentiæ definitionem aliquatenus dissentire ; dum ipsam esse dicunt : alii *actum primum*, alii vero *actum ultimum essentiæ*. — Hoc autem dissidium, ut recte notat Suaresius, magis in verbis quam in rebus esse videtur. Priores enim dicendo existentiam esse *actum primum essentiæ*, dicere volunt tantum existentiam, cum sit illud per quod ens realitatem habet et constituitur, *primum* esse relative ad actus omnes,

qui in ente jam constituto sibi succedunt. Posteriores vero, dum dicunt existentiam esse *actum ultimum* essentiæ, per has voces exprimere intendunt existentiam illud esse quod essentiæ *ultimum* addit complementum ut sit realis. Porro, hæc duo, illæsa veritate, pariter dici possunt.

63. Corollarium primum. — Posito quod existentia nihil aliud sit quam *actus essentiæ*, evidens est illam haberi non posse tanquam realitas essentiæ jam constitutæ superaddita ad ens aliquod efformandum. Hæc enim realitas essentiam quidem quantitative adaugeret, illam vero non actuaret. — Et vero, facile ostendi potest hunc modum existentiam concipiendi, a quibusdam scholasticis, ut videtur, olim admissum, contradictionem involvere. Si enim essentiæ existentia per realitatem ipsi additam constituitur, contradictorium est supponere, antequam hæc additio peragatur, vel essentiam in existentia, vel existentiam in essentia. Atqui tamen hæc duo admitti debent. *Prius* quidem: nulla enim realitas concipi potest quæ non sit *qualis*, quæ proinde essentiam aliquam non habeat, porro, existentia, in hypothesi de qua agitur, foret realitas. *Qualis* igitur esse, ideoque essentiam aliquam habere debet. *Posterius* quoque : ut enim essentiæ jam constitutæ aliquid addatur, necesse est ut ipsa sit quid reale ; realitas enim nonnisi realitati addi potest : atqui, quidquid est reale aliquam actuationem proindeque existentiam habet.

64. Corollarium secundum. — Ex dictis ulterius sequitur nullam essentiam concipi posse quæ aliquam existentiam non supponat. Supra enim probavimus quamlibet essentiam objectiva realitate præditam esse, id est, independenter a mente nostra in suo esse constitui. Hoc autem posito, omnino necessarium est ut sit aliquo modo actuata ; quod enim actu non est, necnisi potentialiter existit, de facto esse aliquid reale dici non potest.

Hæc tamen aliqua explicatione indigent.

De subordinatione essentiarum inferius agendo, ostendemus quamlibet earum in altera, sibi superiore, eminenter contineri, proindeque omnes essentias, quæ possunt concipi, in essentia summa seu absolute superiori eo modo inveniri. Hinc sequitur

nullam esse essentiam, una excepta, quæ duobus modis concipi, quæ duobus pariter modis actuari non possit: in se nempe, cum limitibus quibus, ut talis essentia, circumscribitur, seu, ut aiunt, *formaliter*; aut in essentia summa, seu *eminenter*. Porro, quando dicimus quamlibet essentiam in actu esse debere, hoc assertum nonnisi de essentiis hoc posteriori modo conceptis intelligi debet. Possunt quidem eædem essentiæ in se et in suo esse formali actuari. Hæc autem actuatio omnino contingens est, sine illa etenim essentiæ constitutæ concipi possunt.

Hinc sequitur omnia entia, quoad existentiam, in duas classes generaliores recte dividi. Prior continet ens cujus essentia, utpote superiorem non habens, nonnisi formaliter concipi potest, cui proinde actuatio formalis, et distincta ab alterius entis actuatione, necessario convenit. Posterior classis continet entia quorum essentia duobus modis supra enuntiatis concipi valet, ex quorum proinde conceptu actuatio formalis inferri nequit.

65. Corollarium tertium. — Posito quod aliqua essentia eam actuationem habeat quæ illi sufficit ut conceptus nostros objective valeat terminare, jam nullam aliam actuationem in seipsa recipere potest; in actuatione enim impossibile nobis est ullos gradus concipere. Hinc, quando dicimus essentiam aliquam per omnipotentiam divinam libere actuari, illud intelligi non debet in eo sensu quod ipsamet essentia quæ nostrum conceptum terminat, quando illud pronuntiamus, novum gradum actuationis recipiat; sed in eo sensu, quod Deus extra seipsum actuet gradum entis respondentem essentiæ, quam in illo concipimus, et quæ semper apud illum in eodem statu permanet.

66. Principium individuationis. — Ultimum hoc corollarium facilem nobis responsionem suppeditat quæstioni percelebri de *Principio individuationis* quam supra insolutam reliquimus.

Admisso enim quod essentia ipsammet individui existentis

constitutionem, tanquam illius pars, non ingrediatur, sed sit tantum archetypum seu exemplar quod, idem remanens, in individuo quasi de novo producatur ; non jam adeo arduum videtur explicare quomodo individuum differat tum ab essentia, tum ab aliis individuis de eadem essentia participantibus. Cum enim, in hypothesi facta, essentia nihil aliud exprimat quam possibilitatem individuationis, dicendum est individuum discrepare ab essentia, quemadmodum actus distinguitur ab ipsius potentia. Item, cum individuum consistat in actuatione essentiæ, dicendum est plura individua ejusdem essentiæ inter se discrepare tanquam varii actus ejusdem potentiæ.

Sic, v. g. *essentia hominis* et *Petrus* inter se differunt in eo quod prior non exprimat nisi exemplar ad cujus normam homines effici debent, proindeque meram hominis potentialitatem : dum posterior est homo realis proindeque prioris actuatio. Sic iterum, *Petrus* et *Jacobus* inter se quoad essentiam sunt identici; uterque enim ad ejusdem archetypi normam effectus est, ideoque ejusdem potentialitatis actum exprimit. Differunt autem ut actus diversi hujus potentialitatis, id est, ut termini distincti voluntatis quæ illis existentiam contulit.

CAPUT SECUNDUM.

De Elementis Existentiæ.

67. Entium existentium elementa enumerantur. — Entium existentium analysis attenta duplex nobis in illis elementum detegit : *substantiam* nempe et *modos*.

De his igitur duobus elementis sive in se, sive ad invicem spectatis nunc dicendum.

I° *De Substantia.*

68. Substantiæ notio generalior. — Vox *substantia* idem sonat ac *quod stat sub*. Reipsa, quod hac voce designamus a nobis concipitur ut realitas per phænomena sese mani-

festans, ideoque quasi sub illis latens. — Cavendum tamen est ne sub imagine sensibili hoc nobis effingentes, existimemus substantiam esse corpusculum quoddam valde imminutum quod sub phænomenis, quasi sub cortice aut pictura, delitesceret. Quantum enim veræ substantiæ notioni hæc repræsentatio opponatur, satis dici nequit.

69. Definitio substantiæ juxta scholasticos. — Tres præcipuæ distingui possunt substantiæ definitiones.

Veteres scholastici, et post ipsos cartesianorum schola, substantiam definiebant : *Illud quod in se existit.* Per hoc autem non intelligebant, uti perperam a pantheistis insimulati fuerunt, ens quod a seipso existentiam habet, seu quod nihil *ante se supponit quoad existentiam.* Substantiam vero *illud esse quod in se existit* in eo sensu dicebant, quod non indiget subjecto cui inhæreat, seu cujus sit determinatio et phænomenon. Substantiam sic definiebant per oppositionem ad modos, qui non possunt concipi nisi tanquam alterius rei status, qui proinde non existunt in se, sed indigent subjecto cui inhæreant. — Hæc definitio legitima quidem videtur. Substantia enim, utpote primum fundamentum actus existentialis, in verissimo sensu dici potest in se existere. Ipsi tamen exprobraremus quod substantiam per illius primarium attributum non definiat. Quando enim pronuntiamus substantiam *in se existere,* modum vero in substantia tantum realitatem habere, illud utique non pronuntiamus arbitrario; sed quia in natura utriusque aliquid detegimus vi cujus, prior nonnisi in se, posterior autem nonnisi in alio existere potest. Existentia igitur sive in se, sive in alio, alicujus rei attributum primarium non constituit, proindeque, ad hujusmodi rem definiendam, non sufficit hanc enuntiare prærogativam.

70. Definitio substantiæ juxta Wolfium. — Est et alia definitio substantiæ quæ a pluribus, et in primis a Wolfio admittitur, juxta quem hæc foret : *Subjectum perdurabile et modificabile.* Subjectum *perdurabile* illud dicitur quod per

aliquod tempus identicum sibi remanet : per hanc dotem substantia distinguitur a modis, qui non durant, sed, statim ac producuntur, evanescunt. Addit definitio *et modificabile*, id est aptum ad recipiendos modos. — De hac definitione, hæc notanda videntur. 1° Non convenit nisi substantiis creatis quæ reipsa perdurabiles sunt et modificabiles. Substantiæ autem divinæ applicari nequit ; hæc enim nec in tempore existit, cum sit æterna; nec modificabilis est, cum, utpote immutabilis, suas determinationes ab essentia sua habeat. 2° In idem vitium incidit ac definitio præcedens ; substantiam nempe non definit per illud quod in ea primario concipitur. *Durabilitas* enim et *modificabilitas*, non secus ac *existentia in se*, in natura substantiæ rationem habere debent. 3° Vox *modificabile* redundans videtur ; ex infra enim dicendis, nihil perdurare potest nisi successivis modificationibus afficiatur, nisi proinde sit modificabile.

71. Definitio substantiæ juxta Leibnitzium. — Plurimi demum, Leibnitzio duce, substantiam definiunt *Vim activam*. Hanc definitionem, cum præ cæteris nobis arrideat, paucis explicare debemus.

Substantia igitur dicitur 1° *Vis*. Quid sit vis perfecte cognoscimus ; vix enim in mente nostra inveniri posset alia notio quæ nobis familiarior sit, cujus frequentior nobis sit usus. Sic Deus, quatenus rerum omnium quæ concipi possunt principium existit, *vi* infinita præditus dicitur. Sic iterum anima nostra, quæ indesinenter volitiones producit, *vis* intelligens dicitur. In ordine pariter physico, causam quorumlibet motuum *vim* appellamus, eamque majorem aut minorem esse dicimus, prout motus productus magis aut minus intensus nobis videtur. Demum per analogiam, et in sensu metaphorico, *vim* nuncupamus ratiocinii efficaciam ad aliquam conclusionem statuendam. Generatim igitur loquendo, *vim* appellamus quidquid alicujus rei principium esse potest, quidquid proprietatem producendi in aliquo gradu continet.

Substantia dicitur 2° *vis activa*. Hæc posterior vox primo intuitu redundans dici potest, eo quod nulla sit vis vera et proprie dicta quæ non agat, quæ proinde *activa* non sit. Non tamen sine causa vox illa in definitione substantiæ addita fuit. Per hanc enim vis quæ constituit substantiam, distinguitur non solum a vi metaphorice intellecta, quæ demonstrationibus tribuitur; sed etiam a mera potentialitate quæ et ipsa vis nonnunquam dicitur, licet nulla gaudeat activitate. Vis enim, quæ constituit substantiam, est vis sese indesinenter exerens; non quidem in eo sensu quod necessario illud omne quod producere potest semper producat, sed in eo sensu quod semper in aliqua productione actuetur.

72. Leibnitzianæ definitionis legitimitas astruitur. — Hæc postrema definitio cæteris præcellere nobis videtur, ideoque illam adoptamus. Sit itaque

Thesis. — *Substantia recte definitur : vis activa.*

Prob. — Substantia, omnibus fatentibus, illud est quod primario in ente existenti, seu, quod idem est, in actu concipitur. Probata igitur erit præfatæ definitionis legitimitas, modo ostendatur 1° in quolibet actu vim aliquam esse agnoscendam; 2° vim hujusmodi illud esse quod in actu primario concipitur. Atqui, hæc duo constant. — *Prius quidem.* Impossibile est enim actum concipere, nisi concipiatur in illo aliquod principium quod agat, sicque actus fundamentum existat; actus nempe est exercitium et determinatio, proindeque exigit aliquid quod se exerceat, aliquid quod determinetur. Porro, principium illud, quod actum producit et sustinet, quod per illum sese exercet et determinat, est illud ipsum quod *vim* nuncupamus. Ergo, constat in quolibet actu vim aliquam esse agnoscendam. — *Posterius* quoque; *vim* nempe *illud esse quod in actu primario concipitur.* Nihil enim in aliqua re magis primario concipitur quam illud per quod constituitur in *esse*. Atqui, actus non constituitur in *esse* nisi per vim quæ illum sustinet. Ergo, etc.

Merito igitur concludere possumus substantiam cum vi activa penitus identificari, proinde per hanc legitime posse definiri.

73. Substantia prorsus iners esse non potest. — Hinc tanquam contradictoria rejici debet opinio quorumdam, qui admittunt substantias omnino passivas et inertes. Tales enim substantiæ nullatenus in actu forent. Porro, quod in actu non est, revera nihil est, præter meram potentialitatem. — Et vero, illud utique admitti non potest ex quo sequeretur passivitatem et inertiam in Deo inveniri. Atqui, tale foret consectarium opinionis quam nunc impugnamus. Hac enim admissa, passivitas et inertia aliquid forent reale et positivum. Porro, quidquid est reale et positivum in Deo invenitur. Deus igitur, saltem aliquatenus, passivus et iners dici deberet.

IIº *De Modis.*

74. Modorum notio generalior. — Quemadmodum vox *substantia* ad exprimendam, si ita loqui fas est, partem interiorem entis existentis, adhiberi solet; ita, *modorum* nomine, pars illius exterior vulgo designatur. Modi scilicet sunt phænomena, per quæ substantia sese manifestat et sub quibus quasi delitescit.

75. Modorum definitio. — Hinc sequitur naturam modorum omnino correlativam sese naturæ substantiæ; ideoque tot modorum quot substantiæ definitiones dari posse.

Itaque 1º quotquot substantiam definiunt: *Ens in se subsistens*, modos definire debent: *Entia existentia in alio*. Juxta illos nempe modorum nomine designatur quidquid a mente concipi non potest, nisi ut inhærens alicui subjecto, quod sit quasi illius fulcrum et sustentaculum.

2º Si, cum Wolfio, substantia definiatur: *Ens perdurabile et modificabile*, modi erunt status varii quibus indesinenti

+ Non pas Étant en sens que cela soit une réalité

successione ens afficitur. Proinde definiri poterunt : *Illud omne quod mutat in ente*, seu, quod ens, illæsa identitate sua, amittere aut acquirere potest.

3° Apposite demum ad Leibnitzianam definitionem, quâ scilicet substantia dicitur *Vis activa*, modi concipiuntur tanquam variæ evolutiones, variaque exercitia, quibus vis hujusmodi in actum indesinenter erumpit. Admissa igitur hac definitione substantiæ, modi erunt definiendi : *Vis activæ determinationes.*

De diversis hisce modorum definitionibus, eadem observanda veniunt, quæ supra observavimus de definitionibus substantiæ quibus respondent. Unaquæque scilicet, absolute loquendo, legitima est ; tertiam tamen anteponeremus, eo quod, utpote a strictiori definitione substantiæ derivata, intimam modorum naturam melius exprimere videtur.

76. Non dantur modi mere passivi. — Ex eo quod modi sint determinationes vis activæ, sequitur nullos modos existere, qui mere passivi dici possint. Repugnat enim quod vis activæ determinatio, non sit aliquid activum.

Non tamen exinde concludi debet nulla prorsus passivitate modos admisceri. Si enim divinam substantiam excipiamus, cæteræ omnes in earum evolutione limitibus externoque influxui subjacent; ideoque non sunt activitates puræ. Hinc modificationes, quas induunt, concipi debent ut aliquid activum simul et passivum ; activum nempe, in eorum esse positivo, seu quatenus sunt determinationes vis activæ ; passivum quoque in eorum esse negativo, seu quatenus limitibus et finitudini subjacent.

Quando substantia conscientiæ capax invenitur, nunc uno, nunc altero ex his respectibus vividius afficitur. Exinde nata est divisio modorum in *passivos* et *activos*. Hanc divisionem retinere possumus, modo nec modis activis tribuatur activitas pura, quæ soli Deo competit ; nec modis passivis tribuatur passivitas pura, quæ merum nihilum exprimit. Juxta nos igitur,

modi activi et modi passivi non differunt ab invicem nisi tanquam duo elementa cujuslibet modi realis constitutiva, quorum unumquodque, mentalis abstractionis ope, ut factum distinctum spectari potest.

III° *De Respectibus substantiæ et modorum ad invicem.*

77. Quæstiones expendendæ circa substantiam et modos, ad se invicem comparata, enumerantur. — Notionibus tum substantiæ, tum modorum, seorsum expositis, nobis solvendæ occurrunt nonnullæ quæstiones, quæ circa utriusque respectus ad invicem moveri possunt. Inquirunt nempe auctores : 1° an modi existere possint sine substantia ; 2° an substantia ipsa sine modis esse possit ; 3° quodnam, ex his duobus existentiæ elementis, in alterum prioritatem obtineat.

78. Modi sine substantia esse non possunt. — Primæ quæstionis solutio ex definitionibus modorum supra allatis ultro profluit. Apposite enim ad illas definitiones, modi a nobis concipiuntur vel tanquam *entia existentia in alio*, vel tanquam *status successivi entis*, vel tanquam *vis activæ determinationes*. Atqui, quæcumque ex his definitionibus admittatur, modos sine substantia existere pariter repugnat. Nam 1° ens cujus essentia est existere in alio, ab hoc alio separari sine contradictione supponi non potest. — 2° Repugnat *statum* existere, ubi non existit aliquid quod in hoc statu versetur. — 3° Repugnat demum determinationes inveniri, nisi sint determinationes alicujus rei determinatæ.

Hinc patet admitti non posse opinionem eorum qui sibiipsis modos effingunt velut entitates propriam existentiam habentes, et a substantia separabiles. Modi enim sic intellecti, hoc nomine donari non deberent ; sed ab ipsismet substantiis non discreparent.

79. An substantia sine modis esse possit expenditur. — Quod spectat ad secundam quæstionem, distinctione opus

est. Vel nempe *modi* nomine nihil aliud intelligi debet quam *determinatio, status, res in alia existens.* Vel, cum Wolfio, huic modorum notioni additur idea successionis ; ita ut modus sit aliquid quod, ex sua natura, substantiæ permanenter non inhæreat, sed illam in perpetuo fluxu constituat.

1° Admissa priori modorum notione, absolute statuendum est nullam sine modis substantiam esse posse. Talis enim substantia nihil aliud foret quam vis indeterminata, id est, ad nullum exercitium reducta, quæ proinde non esset *talis*. Non igitur in actu esset, sed in potentia tantum, proindeque existentia non frueretur. — Hæc probatio omnino generalis est et ideo cuilibet enti existenti applicatur. Hinc Deus ipse, in hoc sensu, modos habere dici debet. Ens enim, quo constituitur, non est utique ens indeterminatum. Modum igitur existendi sibi proprium non habere non potest.

2° Admissa autem posteriori modorum notione, idem dici nequit. Etenim, absque contradictione concipi potest substantia, quæ in aliquo modo existendi ita constituatur, ut ad alium non transeat. Hoc quidem 1° necessario admitti debet de Deo, in quo, prout infra astruemus, non solum immutabilitas in modo existendi possibilis est ; sed ita essentialis, ut quælibet successio in eo essentialiter repugnet. — 2° Quod spectat ad substantias a Deo distinctas, in his quidem mutabilitatem modorum concipere possumus ; nulla tamen repugnantia esse videtur in eo quod Deus creet substantiam in eodem statu interno immobiliter defixam.

80. Substantia in modos prioritatem habet. — Ultima quæstio solvenda versatur circa prioritatem substantiæ et modorum in invicem.

Generatim loquendo, res illa prioritatem in alteram habere dicitur, quæ hujus rei rationem includit, proindeque ut illius principium concipitur. Prioritas, sic intellecta, substantiæ in modos evidenter competit. Cum enim modi non concipiantur nisi tanquam determinationes substantiæ, non

existunt nisi vi substantiæ, quæ illos sustinet, et in qua, si ita loqui fas est, eorum radix invenitur. Substantia igitur concipi debet tanquam principium, in quo continetur ratio existendi modorum. His proinde prior existit.

81. Notio imputabilitatis et subsistentiæ. — Ex conceptu prioritatis substantiæ in ipsius modos, quatenus illorum existendi rationem includit, profluit notio non prætermittenda *imputabilitatis*. Hoc scilicet alicui subjecto *imputari* dicitur quod in illo subjecto suam existendi rationem habere enuntiatur, proindeque eidem subjecto, velut aliquid ipsi proprium, tribuitur. Cum igitur substantia sit subjectum vi cujus modi existunt, sequitur ipsam esse quoque subjectum cui proxime debent imputari.

Advertendum tamen hanc modorum imputationem ad substantiam duplici modo fieri posse. Vel nempe modi alicujus substantiæ ita illi imputantur, ut ad alterum imputabilitatis subjectum simul non referantur. Vel, e contra, substantia non est, relative ad proprios modos, ultimum imputabilitatis subjectum; sed ad aliam substantiam pertinet, cujus nomine agit, cui proinde et ipsa et ipsius modi referri debent.

Prout substantia est ultimum imputabilitatis subjectum, aut illa prærogativa privatur, *subsistere* aut *non subsistere* dicitur.

Subsistentia igitur, quam alio nomine *hypostasim* appellant, definiri debet : *Illa proprietas qua substantia est ultimum imputabilitatis subjectum*. — Hinc substantia subsistens merito dicitur esse *suiipsius domina, sui juris, suorum actuum principium adæquatum*, etc... Hæc enim omnia ex eo quod sit ultimum subjectum et quasi centrum imputabilitatis, ultro profluunt.

Quando substantia, prærogativa subsistendi prædita, suiipsius conscientiam habere potest, suam existentiam sibi testificari, dicereque *Ego*, appellatur *persona*. Quando e contra absque conscientia agit, dicitur *suppositum*. — Observandum

Il y a des choses qui existent et qui ne subsistent pas.

tamen hanc posteriorem denominationem ipsismet personis nonnunquam attribui; unde, sumi posse videtur tanquam exprimens potius subsistentiam in genere, quam hujus speciem determinatam.

CAPUT TERTIUM.

De Characteribus communibus existentiæ.

82. Objectum et divisio capitis. — Characteres communes existentiæ sunt variæ qualificationes entibus existentibus quibuscumque convenientes, quæ proinde de illis omnibus enuntiari possunt. Characteribus essentiæ communibus, supra enuntiatis, exacte respondent, tum quoad numerum, tum quoad denominationem. Dicemus igitur 1° de unitate existentiali, quæ etiam *individualitas* appellatur, 2° de veritate existentiali, 3° de bonitate existentiali.

ARTICULUS PRIMUS.

De Unitate existentiali, seu de Individualitate.

De unitate existentiali expendemus 1° quid sit, 2° quotuplex sit, 3° utrum de quolibet ente debeat affirmari.

I° *Natura individualitatis.*

83. Individualitas definitur. — Unitas existentialis, seu *individualitas*, in eo consistit quod *res existens sit indivisa in se,* id est, *in plures existentias similes dividi non possit.* — Hinc videtur individualitatem se habere ad existentiam, eodem prorsus modo ac unitas essentiæ ad essentiam. In hoc tamen discrepant hæ duæ unitatis species, quod hæc

non tam stricte ac illa divisionis possibilitatem excludit. Essentiæ enim unitas exigit quidem ut essentia una in plures essentias non dividatur; non impedit autem quin hæc concipiatur ut aliquid universale, quod proinde innumeram multitudinem individuorum possibilium sub se continet. Existentiæ autem unitas nihil nisi singulare menti exhibet, omnemque a quacumque individuorum multitudine participabilitatem prorsus excludit. Hanc specialem unitatis existentialis proprietatem designat vox *individualitas,* qua sæpius designatur.

II° *Individualitatis species.*

84. Respectus diversi individualitatis ex quibus illius species desumuntur. — Ens existens sub triplici respectu *individuum* dici potest : 1° quatenus est substantia, 2° quatenus est subsistentia, 3° quatenus ad alicujus finis assecutionem sub hoc utroque respectu sese manifestat. Hinc triplex individualitatis species : *ontologica* nempe, *hypostatica* et *collectiva.*

85. Individualitas ontologica. — Individualitas *ontologica* seu *substantialis,* in eo consistit quod res existens indivisibilis existat quoad substantiam, seu quoad ens ipsum. De illa nihil speciale dicendum hic occurrit.

86. Individualitas hypostatica. — Individualitas *hypostatica* seu *subsistentialis*, in eo consistit quod subjectum imputabilitatis, ad quod variæ entis existentis modificationes referri debent, in plura imputabilitatis subjecta dividi non possit.

Si novam hanc individualitatis speciem ad præcedentem comparemus, nobis constabit triplici modo illas ad invicem se habere posse. Fieri scilicet potest ut inveniatur in aliquo ente existenti 1° individualitas hypostatica cum individualitate ontologica, 2° individualitas ontologica cum multiplicitate hypos-

tatica, 3° individualitas hypostatica cum multiplicitate ontologica. — De primo casu nulla specialis difficultas. — Secundus casus ille est in quo substantiæ modi talem haberent inter se distinctionem, ut subjecta imputabilitatis distincta, proindeque plures subsistentias in eadem substantia supponerent. Hoc in substantia divina inveniri edocemur fide catholica, juxta quam unum Deum in tribus personis profiteri debemus. — Tertius casus est ille in quo fit inter plures substantias *unio hypostatica*, vi cujus ens quoddam pluribus constans substantiis, unica tamen gaudeat subsistentia. De hac unione nonnulla veniunt inquirenda.

87. Unionis hypostaticæ natura. — Et primum quæri potest quænam sit natura unionis hypostaticæ, id est, quanam ratione fieri possit ut, ex pluribus substantiis, una eademque subsistentia constituatur.

Ad hanc quæstionem solvendam triplex occurrit responsio. — Juxta primam, in nulla ex substantiis, quæ compositum subsistentiale efformare supponuntur, exclusive resideret subsistentia; hæc vero esset quasi divisa inter omnes substantias, ita ut ex imputabilitatibus peculiaribus uniuscujusque earum, unica et totalis imputabilitas effloresceret. — Juxta secundam, imputabilitas, proindeque subsistentia, in nulla ex substantiis, de quibus agitur, ne partiario quidem resideret. Tota igitur inveniretur extra illas, et concipi deberet quasi centrum quoddam commune, in quo tantummodo imputabilitas fieret. — Juxta tertiam hypothesim, individualitas subsistentiæ in pluribus substantiis conciperetur per aliquam subordinationem earum erga unam ex ipsis, quæ quasi primatum teneret, solaque imputabilitatis centrum existeret; adeo ut cæteræ omnes, amissa propria subsistentia, illius nomine agerent.

Ex his tribus hypothesibus, ultima tantum nobis propugnari posse videtur. Etenim, subjectum imputabilitatis, per quod hypostatica individualitas constituitur, debet esse 1° aliquid unum, alioquin individualitatem producere non posset; 2° aliquid substantiale, soli enim substantiæ aliquid imputari potest. Porro, duplicem hanc conditionem sola adimplet hypothesis tertio loco enuntiata. *Adimplet quidem*, ut patet. *Sola quoque adimplet*. Ex duabus enim aliis, uti facile constabit cuilibet attento, prior

unitatem destruit subjecti imputabilitatis; posterior autem illius realitatem substantialem.

88. Unionis hypostaticæ causa. — Soluta hac prima quæstione, expendendum nunc esset quænam sit unionis hypostaticæ causa, id est, undenam provenire possit quod plures substantiæ, subsistentia propria amissa, subsistant in altera substantia, cui eorum modi referantur. Variæ, ad id explicandum, excogitatæ fuerunt hypotheses, quarum expositio requiri potest apud Theologos, in Tractatu de *Incarnatione Verbi*. Has hypotheses nec exponere, nec discutere in præsenti possumus. Animadvertere sufficiat difficultatem, de qua agitur, a nulla earum penitus elucidari. Unio hypostatica est factum, quod quidem ut possibile admittere debemus, cum plures substantiæ existentes eo modo uniantur; cujus vero causa nos penitus latet. Alia forsan hujus facti explicatio dari non potest quam voluntas Creatoris quæ, substantias creando, ita illas per suum decretum potuit ordinare, ut nonnullæ earum non existerent nisi propter alias, quarum dominio subjicerentur, sicque non ad seipsas pertinerent.

89. Unionis hypostaticæ consectaria. — Quædam addere debemus de consectariis, quæ profluunt ex unione hypostatica. Tria vulgo distinguuntur. — Primum in eo consistit quod actiones quælibet, in composito subsistentiali peractæ, soli subsistentiæ tribuantur; quod exprimi solet hoc axiomate: *Actiones sunt suppositorum*. — Secundum consistit in *communicatione idiomatum*. Per *idiomata* hic intelliguntur proprietates unicuique substantiæ, in compositionem individui subsistentis venienti, competentes. Idiomatum autem communicatio in hujusmodi individuo fieri dicitur, quando de illo enuntiantur proprietates, quæ conveniunt substantiis ipsius constitutivis. Hoc legitimum esse facile constat. Sic legitime dicitur de homine ipsum esse corporeum et intelligentem, de Christo ipsum esse mortalem et immortalem, etc... — Tertium consectarium, ex unione hypostatica profluens, in eo consistit quod quidquid fit in substantiis, per hujusmodi unionem inter se conjunctis, contrahit dignitatem aut indignitatem substantiæ in qua subsistentia residet. Sic, quidquid in Christo fiebat, divinum erat et infiniti valoris.

90. Individualitas collectiva. — Individualitas *collectiva* quæ et *teleologica* (τέλος *finis*) dici posset, ea est *qua ens quoddam existens ad unicum finem assequendum tendit*.

Ad hanc individualitatem efformandam, non solum plures

substantiæ, sed et plures subsistentiæ concurrere possunt. Non repugnat enim quod plures sive substantiæ, sive subsistentiæ, ad eumdem finem assequendum concurrant. Porro, cum duplex sit subsistentia, una quæ *personis*, altera quæ meris *suppositis* convenit, hinc duplex etiam individualitas collectiva, ex pluribus subsistentiis provenire potest, prout ex *personis* aut ex *suppositis* coalescit. Prior *moralis* dicitur, constituiturque v. g. per varias societates quas inter se homines ineunt. Posterior *physica* appellatur, illiusque exemplum habemus in variis aggregatis materialibus quæ mundum hunc aspectabilem constituunt.

III° *Individualitas, entis existentis character exclusive proprius.*

91. Individualitas soli enti existenti competere potest. — Ut constet individualitatem inter characteres existentiæ exclusive proprios merito annumerari, primum inquirendum est utrum aliis rebus quam existentiis competere possit.

Huic quæstioni omnes negative respondent. Si enim ab entibus separetur existentia, nihil jam de ipsis remanet, præter essentiam metaphysicam. Porro essentia metaphysica individualitatem habere non potest. Hæc enim, in se spectata, nihil aliud est, ex dictis, quam complexio quarumdam proprietatum quæ ipsæ concipiuntur tanquam participationes de ente divino in tali vel tali gradu. Atqui, illæ proprietates individualitatem per se non constituunt; sunt enim aliquid generalissimum quod proinde innumeris individuis convenit. Ergo, nonnisi entibus existentibus individualitas competere potest.

92. Individualitas cuilibet enti existenti competit. — Iterum inquirendum venit utrum omnibus prorsus existentiis individualitas competat; ita ut nihil existere possit præter individua.

Huic quæstioni non eodem modo respondent auctores. — Juxta plerosque omnibus entibus existentibus individualitas necessario competit. In hac itaque opinione, quidquid existit est individuum quoddam sive substantiale, sive hypostaticum, sive collectivum; seu, quod idem est, est objectum quod universalitatem, id est, indefinitam multiplicitatem individuorum excludit.

Sententiam tamen huic contrariam teneri audivimus, nostris temporibus, ab asseclis cujusdam scholæ philosophicæ, quæ propugnat Deum non solum individua, sed et species ipsas ad existentiam perducere. Species enim, utpote exprimens individuorum multiplicitatem, universalitate gaudet. Ens igitur existens potest non esse merum individuum. — Hanc opinionem rejiciendam esse existimamus. Etenim res universalis per se extenditur ad numerum individuorum indeterminatum. Eo ipso nempe quod de duobus affirmari potest, nil obstat quin de tribus, quatuor, etc... affirmetur : per se igitur aliquid infiniti in suo conceptu dicit res generalis. Hoc autem posito, concipi quidem potest ipsam habere realitatem in ente divino, cujus reipsa potentia est infinita. Ipsam vero, ut rem generalem, extra illud ens realitatem habere, absolute repugnat. Non potest enim, ut sic, existentiam obtinere, quin simul actuentur omnia individua ad quæ extenditur. Porro illa individua ex hypothesi sunt numero infinita, nec propterea possunt omnia simul ad existentiam perduci, prout alibi ostendemus. Ergo quidquid existit individualitate gaudet, ipsaque inter characteres existentiæ exclusive proprios merito annumeratur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Veritate existentiali.

93. Veritatis existentialis notio. — Veritatem essentiæ in intelligibilitate consistere supra ostendimus. Hujusmodi

veritas rebus existentibus necessario non convenit; alibi enim ostendemus plures inter illas, omnes nempe quæ nonnisi contingenter existunt, nullatenus, in se spectatas, intelligibiles esse.

Res tamen existentes qualibet veritate, ut sic, non destituuntur. Etenim, existentia ex dictis, nihil aliud est quam essentiæ actuatio, hæcque actuatio concipi debet tanquam effectio quædam essentiæ, vi cujus essentia, non jam in causa tantum, sed extra causam incipit existere. Posito itaque quod essentia habeat veritatem, necesse est ut existentia quoque aliquatenus sit vera; non quidem in se et immediate, sed mediante essentia, quatenus nempe fideliter illius imaginem exhibet. Hinc essentia vera est quatenus, utpote intelligibilis, apprehenditur ab intellectu prout est; existentia autem vera dici debet, quatenus conformitatem habens cum re intelligibili, sua nempe essentia.

Hinc veritas existentialis recte definiri potest : *Conformitas rei existentis cum suo archetypo intelligibili, id est, cum sua essentia quatenus intelligibilitate prædita.*

Talem esse notionem veritatis, prout vulgo enuntiatur de rebus existentibus, constat usu loquendi hominum ordinario. Quando enim dicimus rem aliquam esse veram, v. g. aurum, quod nostros ante oculos ponitur, esse *verum* aurum; sensus est, objectum præsens perfecte repræsentare rem, quam mente concipimus, quando cogitamus de auro. Porro, res illa nihil aliud est quam ipsamet essentia auri. Veritas igitur, quæ rebus existentibus vulgo tribuitur, nihil aliud est quam earum conformitas cum earum essentia intelligibili.

94. Veritas existentialis omnibus existentiis convenit. — Veritatis existentialis natura determinata, inquirere debemus, utrum rebus omnibus existentibus conveniat, sitque illarum character essentialis.

Ut huic quæstioni satisfiat triplicem ordinem realitatum de quibus veritas existentialis affirmari potest, distinguere debe-

mus, nempe: 1° Deum; 2° res a Deo creatas; 3° tandem res hominum arte elaboratas, quæ non consistunt in creationibus proprie dictis, sed in quibusdam formis quas materiæ jam existenti ars humana imprimere novit.

1° Quoad Deum, veritatem ipsi summopere competere facile constat. Si enim veritas existentialis consistit in conformitate existentiæ cum essentia intelligibili, ens illud præ cæteris veritate hac præditum esse debet, cujus essentia et existentia realiter non distinguuntur. Atqui, talis est Deus, uti ex infra dicendis abunde constabit.

2° Quoad res a Deo creatas, illis omnibus veritatem competere facile constat. Deus enim vim creandi exercere non potest, quin conformiter ad suas ideas agat; alioquin absque intellectu ageret. Necesse est igitur ut quælibet res creatæ archetypo, quod sibi illas creando effinxit Deus, conformes existant, proindeque ut in existendo sint veræ.

3° Quoad res artificiose seu per humanam industriam factas, aliqua difficultas occurrit, eo quod sæpe hominum opera archetypo quod effinxerunt non respondent, ut multis exemplis probari posset: et exinde quidam asseruerunt veritatem ab his operibus nonnunquam abesse. Hic distinctione opus esse nobis videtur. Vel enim opera de quibus agitur intellectui opificis, cui in hujusce intentione conformia esse debuissent, comparantur, vel abstrahendo ab hoc intellectu in se considerantur. — Si prius, illa veritate destitui posse, experientia teste, fatendum est. — Si posterius, nil obstat quin in quacumque hypothesi hæc vera dicantur. Etenim opera, in quantum sunt ab intellectu opificis discordantia, ab hoc intellectu tanquam regula certo certius non procedunt; proinde illorum causa, sub hoc respectu, in intentione opificis reponi non debet.

Igitur, relative ad veritatem, idem de illis dicendum est, ac de cæteris naturæ objectis quibus omnino assimilantur. Vera sunt nempe, quatenus eorum formæ respondent alicui

archetypo in intellectu divino contento. Hic enim omnes formæ possibiles, quas materia induere potest, suum habent archetypum intelligibile, unde suam desumunt veritatem.

95. Non dantur objecta falsa. — Hinc sequitur falsitatem nulli objecto competere Quando autem dicitur de quibusdam rebus quod falsæ sint, illud intelligi non debet de falsitate absoluta, qua nempe earum essentiæ conformes non forent; sed de falsitate relativa qua nempe res aliqua haud conformis existit essentiæ quæ immerito illius archetypum esse affirmatur. Sic dii paganorum falsi dicuntur, eo quod entia quæ ut dii a paganis celebrabantur, licet conformia fuerint ad propriam essentiam, hanc conformitatem non habuerint relative ad naturam divinam. Sic iterum æs quod aurum existimatur, est quidem falsum relative ad essentiam auri, quæ illi male tribuitur; non est autem falsum relative ad essentiam æris, quæ est illius propria essentia, et cui perfecte conforme existit.

96. Variæ species veritatis et falsitatis existentialis. — Veritas et falsitas, prout illas modo definivimus, dici possunt veritas et falsitas metaphysicæ. Dantur præterea, in entibus existentibus, veritas et falsitas sive logicæ, sive morales, de quibus brevem hic mentionem facere debemus, licet de iis tractare ad Ontologiam non pertineat.

Veritas logica, quæ et *veritas judiciorum* appellari potest, consistit in conformitate inter res et affirmationes mentales, quæ de illis proferuntur. Unde definiri potest: *Conformitas judiciorum cum objectivitate.* — Defectus hujus conformitatis *falsitatem logicam* seu *errorem* constituit.

Veritas *moralis* quæ et *veritas in significando* nonnunquam dicitur, consistit in conformitate inter judicia a mente prolata, et signum externum cujus ope exprimuntur. Ideo definiri potest: *Conformitas judicii cum illius expressione.* — Hujus conformitatis defectus constituit *mendacium.*

ARTICULUS TERTIUS.

De Bonitate existentiali.

97. Bonitatis existentialis notio. — Res existentes eadem ratione ac essentiæ bonæ non sunt; uti sufficienter constat ex dictis supra de Veritate existentiali. Quemadmodum res existentes, Deo excepto, conceptus intelligibilis objectum esse non possunt, ita per se objectum amoris esse nequeunt; voluntas enim non amat nisi quod intellectus apprehendit. Bonitate igitur quæ in amabilitate consistit res existentes, ut sic, penitus destituuntur.

Attamen, cum existentia consistat in actuatione essentiæ, proindeque illam aliquatenus repræsentare debeat, res igitur existens, licet per se bona non sit, bona tamen dici potest per suam conformitatem cum essentia.

Bonitas igitur existentiæ definiri potest : *Conformitas rei existentis cum suo archetypo, quatenus amabilitate prædito.*

Hinc patet bonitatem existentialem a veritate existentiali eodem modo discrepare ac bonitas et veritas essentiæ differunt inter se. Duæ nempe posteriores consistunt in duplici respectu quem habent essentiæ ad intellectum et voluntatem. Duæ autem priores consistunt in duplici conformitate quam res existentes habent ad essentiam, cujus sunt actuationes, sive sub respectu illius intelligibilitatis, sive sub respectu illius amabilitatis.

In hoc autem sensu intelligi debere bonitatem, prout convenit rebus existentibus, melius adhuc patet attendendo ad usum loquendi ordinarium. Etenim, vulgo entia existentia bonitatem habere dicuntur, quatenus finem, ad quem assequendum destinata fuerunt, apte perveniunt : sic v. g. bona dicitur lex quæ utilitatem reipublicæ, finem omnium legum, obtinet. Porro, finem suum obtinere nihil aliud est quam conformitatem habere cum voluntate productrice, id est, quam perfecte repræ-

sentare essentiam quam entis existentis causa sibi proposuit imitandam, non solum quatenus intelligibilem, sed etiam quatenus amabilem.

98. Bonitas existentialis objectis omnibus existentibus competit. — Nunc expendendum foret utrum quibuslibet rebus existentibus, bonitas, prout definita a nobis fuit, reipsa conveniat, sicque ut character universalis existentiæ haberi possit. Hujus assertionis probatio eadem foret quam supra attulimus ad veritatem quarumlibet rerum existentium astruendam. Tam enim impossibile est ut res existens non sit conformis voluntati causæ, a qua vere tanquam effectus procedit, quam ut eadem res non sit conformis intellectui ejusdem causæ.

99. Non dantur objecta mala. — Igitur, quemadmodum inter res existentes nulla est quæ falsa, ita et nulla est quæ mala dici possit. Hæc autem vox, quando rebus existentibus applicatur, intelligi debet vel de malo voluntatis, vel de malo physico seu dolore, prout infra explicabimus.

100. Bonitatis existentialis species. — Bonitas, cujus definitionem modo attulimus, bonitas *metaphysica* dici potest. Observandum est autem triplicem aliam bonitatis speciem rebus existentibus vulgo attribui, prout vel *bonum morale*, vel *bonum physicum* seu *delectabile*, vel *bonum utile* in illis invenitur. — *Bonum morale* consistit in eo quod facultatem amandi ita exerceamus, ut ens non amemus, nisi in quantum est amabile; prout fusius explicatur in Ethica. — *Bonum physicum* seu *delectabile* consistit in variis sensibus jucundis quæ sensibilitatem afficere possunt. — Denique *bonum utile* consistit in eo quod res aliqua sit apta ad aliquod bonum obtinendum (1).

(1) Stricte loquendo, utile inter bona computari non deberet, saltem in eo sensu quod speciem distinctam boni constituat. Rei enim quatenus *utili* alia bonitas non competit quam bonitas rei ad cujus consecutionem deducit.

Triplici huic bono respondet triplex species mali, quo res existentes affici possunt. Scilicet, bono morali respondet *malum morale* seu *peccatum* in quo incidimus quoties res, prout sunt amabiles, libere non amamus. Bono physico respondet *malum physicum* seu *dolor;* adest quando sensibus injucundis afficimur. Bono demum utili respondet tertia species mali existentialis in eo consistens quod res aliqua sit noxia, id est mali cujusdam causa aut instrumentum.

101. Notio perfectionis. — Nonnulli bonitatem entium existentium cum eorum perfectione identificant. Et fatendum usui communi hoc conformius esse. Existimaremus tamen hæc duo, juxta rigorem metaphysicum, confundi non debere.

Quid per bonitatem entium existentium stricte intelligi debeat, modo definivimus.

Quod ad illorum perfectionem spectat, in duplici præsertim sensu intelligi posse videtur.

1º Perfectio entium existentium exprimit gradum intensitatis juxta quem unumquodque eorum de ente absoluto participat. Singula nempe entia existentia de ente participant, non tamen omnia in eodem gradu. Eo autem *perfectiora* dici debent quo in majori gradu *ens* in illis invenitur, quo nempe magis distant a nihilo, proindeque ad Ens simpliciter propius accedunt.

2º Perfectio entis exprimit etiam gradum evolutionis illius entis. Scilicet, in uniuscujusque entis existentis activitate plures evolutiones possibiles concipiuntur. Inter illas una invenitur, quæ summa dici debet, in qua nempe ens plene et complete potentias suas exercet, sicque finem suum obtinuit. Talis erit evolutio animæ nostræ, quando beatitudine perfruetur. Sic constituitur *perfectio absoluta* cujuslibet entis. Hinc cæteræ evolutiones, in quibus nempe plene et complete conformiter ad suam naturam ens non agit, magis aut minus perfectæ dicendæ sunt, prout magis aut minus ad hunc supremum terminum accedunt.

Perfectio, in quocumque ex his duobus sensibus intelligatur, gradus admittit. Sive enim in eorum *esse*, sive in eorum evolutione activa spectentur entia existentia, magis aut minus perfecta dici possunt; prout ex modo dictis satis patet.

Sub hoc respectu, perfectio differt a bonitate proprie dicta, in qua diversitas graduum non distinguitur. In conformitate enim entis existentis cum essentia, magis aut minus esse non potest. Bonitate igitur entia existentia alia aliis non præcellunt. Quando autem, in usu loquendi ordinario ens aliquod alio melius dicitur, v. g. homo bellua, de perfectione, non autem de bonitate hoc intelligi debet.

ONTOLOGIÆ GENERALIS

PARS SECUNDA.

DE RELATIONIBUS ENTIS.

102. Relationis notio generalior. — Ex dictis in Prima Parte, aliqua in ente multiplicitas invenitur. Non solum enim concipiuntur plures species, seu plures determinationes entis in genere, quarum unaquæque essentiam distinctam constituit; sed singulæ iterum species actuabiles concipiuntur in indefinita individuorum multitudine. Hinc plures cogitationis termini objectivi seu plura entia. Hæc autem entia adeo non sunt ab invicem separata, quin aliquo nexu inter se devinciantur, vi cujus illa necessario conjungimus in nostra cogitatione. Nexus ille conceptum *relationis* nobis suppeditat.

103. Relationis definitio. — In relatione definienda omnino non concordant auctores.

1° Illam communius olim definiebant : *Respectum unius ad alterum.* — Hæc autem definitio re definita clarior non est. Vox enim *respectus* ideam magis distinctam menti non exhibet quam vox *relatio ;* proinde hæc per illam definiri non debet.

2° Juxta P. Buffier, relatio foret *occasio quam invenimus in aliquo objecto cogitandi de altero.* — Hæc quidem definitio nihil continet nisi verum. Objectum enim quod relationem habet cum altero, eo ipso nobis præbet occasionem de hoc posteriori cogitandi. Imo, absolute propugnari posset nullum objectum nobis præbere occasionem de altero cogitandi, quin, inter hæc duo objecta, aliqua relatio intersit. Præfatæ tamen definitioni exprobraremus quod relationem non definiat per illud quod illam formaliter et primario constituit ; sed per unum e consectariis quæ ex ipsa profluunt. Non enim adest relatio inter duo quia unum dat nobis occasionem cogitandi de altero ; sed potius hoc posterius evenit eo quod relatio adest.

3° Alia igitur inquirenda nobis est relationis definitio. Cum relatio nihil aliud sit quam modus quo ad invicem se habent duo *correlativa*, quid illa sint primum debemus determinare. Correlativa dicuntur entia quæ talis sunt naturæ, ut conceptus unius alterius conceptum includat. Sic, v. g. cum conceptus *patris* includat conceptum *filii* (*pater* enim concipi non potest, nisi ut *habens filium*), hi duo termini sunt ad se invicem correlativi. Sic iterum, cum *ens majus* concipi non possit, nisi concipiatur *aliud ens quod minus sit illo,* hæc duo inter se sunt quoque correlativa. Hinc videtur relationem nihil aliud esse quam *proprietatem qua duo aut plura entia ita se habent ad invicem, ut unius conceptus conceptum alterius includat aut supponat.*

104. Relationis elementa. — In qualibet relatione duplex distinguitur elementum : *termini* et *fundamentum*.

Termini sunt entia quæ ad invicem referuntur, aut, juxta definitionem modo allatam, quorum conceptus se invicem supponunt aut includunt. Constituunt, ut ita dicam, *materiam*

relationis. V. g. in hac relatione : *Petrus est doctior Paulo* ; *Petrus* et *Paulus* sunt termini.

Fundamentum est illud vi cujus relatio existit : constituit proinde relationis *formam*. Duplex iterum distingui potest : *remotum* nempe et *proximum*. — Fundamentum relationis *remotum* est distinctio inter terminos ad se invicem referendos. Hanc vulgo definiunt : *Illud per quod res aliqua non est altera*. In ea reponitur fundamentum remotum relationis ; eo quod prærequiritur quidem, sed tamen per se non sufficit ad relationem constituendam. — Fundamentum relationis *proximum* est ipsamet proprietas, qua posita, statim relatio adesse concipitur inter duos terminos.

105. Relationis species. — Relationes dividuntur in *naturales* et *arbitrarias*, prout vel in qualitate rebus inhærente, vel in mera hominum conventione, earum fundamentum reponitur. Sic, relationes *creaturæ* ad *creatorem*, *filii* ad *patrem*, sunt relationes naturales : relationes autem *olivæ* ad *pacem*, *lauri* ad *victoriam* sunt arbitrariæ. — De prioribus tantum, ut satis patet, agendum nobis est.

Porro, entia duplici modo ad se invicem, vi qualitatis ipsis inhærentis, referri possunt : vel nempe tanquam essentiæ, vel tanquam existentiæ. Hinc duplex relationum series de qua in duplici Sectione agemus.

SECTIO PRIMA.

DE RELATIONIBUS INTER ESSENTIAS.

Circa relationes hujusmodi expendendum nobis est 1° utrum admitti debeant, 2° quomodo constituantur, 3° quinam conceptus ex illis profluant.

I° *Utrum inter essentias relatio existat?*

106. Relationum inter essentias natura. — Admissa relationis notione superius allata, evidens est relationem inter essentias, si qua existat, consistere non posse, nisi in eo quod variæ essentiæ sese invicem aliquatenus contineant. Essentia enim nihil aliud dicit quam meram alicujus rei quidditatem: quidditatis autem alicujus conceptus, alterius quidditatis conceptum includere aut supponere non potest, quin illæ quidditates in se invicem aliquatenus contineantur. An porro hæc, ut ita dicam, inclusio essentiarum in invicem admitti debeat, et quomodo sit intelligenda nunc dicendum.

107. Quæstio solvenda. Opiniones. — Essentias sese invicem includere, saltem quatenus singulæ earum de eodem genere, hoc est de ente participant, in confesso est apud omnes. Quæstio est autem utrum de iis, quatenus specifice distinguuntur, idem dici possit. Licet quæstionem propositam cum hac præcisione auctores vulgo non expendant, ex principiis tamen quæ ab illis ponuntur, duplicem hoc de puncto sententiam existere conjici datur.

Juxta priorem opinionem, differentia cujuslibet speciei esset positivum quoddam in unaquaque diversum et oppositum. Unde, inter essentias, quatenus specifice distinctas, oppositio quidem, nequaquam vero relatio inveniretur. Ita illi sentire debent qui materiam v. g. in eo a spiritu specifice discrepare existimant, quod illa per extensionem, hic vero per cogitationem specifice constituatur.

Juxta posteriorem opinionem, species inter se distinguerentur, in eo quod singulæ earum de ente participarent, juxta gradum plus minusve intensum. Hinc variæ essentiæ sibi invicem non opponerentur, sed potius sese continerent;

minor enim gradus entis in majori gradu manifeste continetur.

Quid sentiamus aperiet sequens

108. Thesis. — *Inter essentias specifice distinctas, aliqua relatio inclusionis inveniri debet.*

Prob. — Nota enim enti in genere superaddita, qua unaquæque essentia in sua specie constituitur, nihil aliud esse potest quam aliquis gradus entis. Porro, in variis gradibus entis nullum aliud discrimen quam plus et minus seu intensitas concipi potest : alioquin ens enti opponeretur, quod repugnat. Essentiæ igitur quoad speciem inter se non differunt, nisi per entis intensitatem. Hoc autem posito, sese invicem continent, et ideo inter illas relatio inclusionis invenitur. Ergo, etc...

Præterea, in hypothesi quod variæ essentiæ aliæ in aliis non continerentur, sed per notas sibi invicem oppositas singulæ constituerentur, ens igitur quod in se omnes essentias possibiles contineret, foret aliquid contradictorium in terminis. Atqui tamen, ens tale existit, uti demonstrabimus in Theodicea. Ergo, etc...

II° *Quomodo relatio inter essentias constituatur.*

109. Quæstionis solvendæ sensus exponitur. — Quomodo relatio inter essentias concipi possit nunc videndum. Singulæ scilicet essentiæ specifice distinguuntur per gradum entis diversum de quo unaquæque participat. Videndum igitur quonam modo diversi gradus entis se invicem includant et quasi compenetrent.

110. Opiniones. — Duplex suppetit explicationis modus.

Juxta priorem, essentiæ in invicem continerentur modo distincto. Scilicet, unaquæque essentia tot in se contineret entitates distinctas, quot existerent essentiæ ipsi subordinatæ. In hac hypothesi, varii gradus entis, relative ad singulas essentias,

concipi deberent sicut unitates quantitativæ, relative ad numerum.

Juxta posteriorem modum, essentiæ se invicem continent indistincte. Singulæ scilicet essentiæ concipi debent ut aliquid simplicissimum, in quo nulla quantitas, nullaque partium distinctio supponi possunt. Ita tamen se habent ad invicem, ut positivum unius, non obstante sua simplicitate, alterius positivo æquivaleat; quatenus scilicet quidquid perfectionis in hac invenitur, illa possideat et aliquid amplius. Sic v. g. facultas ratiocinandi, seu veritatem detegendi per argumentorum discursus, in facultate veritatem immediate et sine discursu contemplandi, distincte et juxta propriam formam, non invenitur. Hæc tamen posterior facultas priorem continet; positivum enim, quo constituitur, omne positivum alterius æquivalenter habet et aliquid amplius.

Ad secundam hypothesim tuendam sint duæ theses sequentes.

111. Thesis prima. — *Essentiæ in invicem distincte non continentur.*

Prob. — Tunc enim unaquæque essentia nihil aliud foret quam plurium essentiarum collectio, sicque unitate careret. — Præterea, in hac hypothesi, essentia infinita impossibilis foret; quod enim ex unitatibus distinctis coalescit, sine fine incrementa suscipere, nec ideo unquam in sensu proprio infinitum esse potest.

112. Thesis secunda. — *Essentiæ in invicem continentur indistincte et æquivalenter.*

Prob. — Hujus thesis veritas ex iis quæ præcedunt logice deducitur. Etenim, ex una parte, nobis constat varias essentias se invicem continere; ex altera parte, ostensum fuit inclusionem hanc essentiarum in invicem entitates distinctas in essentiis superioribus nequaquam arguere. Admittendum igitur relationem essentiarum ad invicem ita intelligi debere, ut gradus entis, per quem una constituitur, gradum entis, per quem altera constituitur, in seipso æquivalenter contineat.

III° *Conceptus, ex relatione essentiarum ad invicem profluentes, enumerantur.*

113. Horum conceptuum notio et divisio. — Conceptus hujusmodi ii sunt quorum ope apprehendimus essentias, quatenus ad invicem relationem habent.

Essentiæ, sub hoc respectu spectatæ, quasi duplicem ordinem entium constituere concipiuntur. In priori reponitur ens cujus essentia cæteras omnes continet, quod proinde complectitur totum ens, ita ut nulla proprietas positiva concipi possit, quæ æquivalenter in illo non inveniatur. In posteriori ordine reponuntur varia entia quorum essentiæ in hujusmodi ente continentur, quæcumque sit earum determinatio specifica.

Porro, triplex est conceptus, cujus ope, uterque ille entium ordo, vi relationis quam habent ad invicem, apprehendi potest.

114. Conceptus quibus apprehenduntur essentiæ in altera inclusæ. — Etenim, quod ad posteriorem spectat, entia, ex quibus coalescit, apprehendi possunt, vi relationis quam habent ad ens prioris ordinis, vel ut participantia de realitate, quæ huic competit, juxta aliquem gradum ; vel ut carentia eadem realitate, juxta cæteros gradus ; vel demum, sub utroque respectu simul, id est, quatenus continentur in ente de quo agitur, simulque ab illo superantur.

Sub primo respectu, concipiuntur ut *entia secundum quid ;* sub secundo, ut *entia finita ;* sub tertio, ut *entia inferiora* seu *subordinata.*

115. Conceptus quibus apprehenditur essentia in qua cæteræ omnes continentur. — Ens item prioris ordinis, quod nempe cæteras essentias continet, debet, vi hujusce relationis, conceptibus omnino oppositis apprehendi. Concipitur nempe, vel ut continens omne ens, proindeque quidquid

cæteræ essentiæ habent aut habere possunt, vel ut nullo gradu entis carens, vel ut, per suum esse, singulas et omnes essentias superans.

Sub primo respectu, concipitur ut *Ens simpliciter*; sub secundo, ut *Ens infinitum*; sub tertio, ut *Ens supremum*.

NOTA. — Utramque hanc conceptuum seriem speciali cura elucidare conabimur tum in Theodicea, cum in Cosmologia. Illos enumerasse quoad nunc nobis sufficiat.

SECTIO SECUNDA.

DE RELATIONIBUS INTER EXISTENTIAS.

116. RELATIONES, QUAS EXISTENTIÆ AD INVICEM HABERE POSSUNT, ENUMERANTUR. — Entia existentia, ut sic, triplicem relationis speciem ad invicem habere possunt. — Prima est *operatio*, id est, relatio qua ens existens ad suum existendi principium, seu ad suam *causam*, devincitur. Hanc relationem *dynamicam* vocamus, eo quod *causatio* non concipitur nisi tanquam vis alicujus evolutio. — Secunda complectitur relationes per quas entia existentia totum illud, quod mundum appellamus, efformare concipiuntur. Has ideo relationes *cosmicas* appellamus. — Tertia demum complectitur relationes quas entia existentia habent ad invicem, non præcise tanquam entia; sed per eorum *quantitatem*. Hinc relationes hujusmodi *mathematicas* appellamus; quantitas enim est objectum proprium circa quod versatur *Mathesis*.

CAPUT PRIMUM.

De Relationibus dynamicis seu de Operatione.

Dicemus 1° de operatione generaliori modo considerata; 2° de variis illius speciebus; 3° de attributis entium existentialium ex operationis conceptu profluentibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Operatione generatim.

117. Operationis definitio. — Per operationem intelligimus *relationem quam habent inter se duæ res quarum una est principium alterius, ita tamen ut, hac non existente, illa nihilominus concipi possit.*

Dixi 1° *quam habent inter se duæ res*: ut enim relatio concipiatur, ante omnia necesse est ut distinctio qualiscumque adsit inter illius terminos.

Dixi 2° *quarum una est principium alterius.* Principium, modo generalissimo intellectum, est *illud omne quod aliquo modo in se continet rationem cur res aliqua sit potius quam non sit.* Sic, axioma generale dicitur *principium*; continet enim rationem, cur veræ sint conclusiones particulares in ipso inclusæ. Sic iterum Deus est *principium* mundi, est enim ratio cur existat. — Quod a principio profluit vocatur *principiatum.*

Dixi 3° *ita tamen ut, hac non existente, illa concipi possit.* Id est, ut vere operatio intersit, necesse est ut subjectum in suo esse constituatur independenter a termino cujus supponitur principium; ita ut, vel ante termini productionem, subjectum jam existens concipiatur (1).

(1) Prætermittere tamen non debemus vocabulum *operatio* sensum adeo strictum in usu ordinario non habere; sæpe enim adhibetur ad designandas

118. Operationis elementa enumerantur. — Definitione operationis sic determinata, necesse est ut varia ipsius elementa seorsim expendamus, sicque illius naturam profundius perscrutemur.

Ut operatio constituatur, tria essentialiter requiruntur. Requiritur 1° principium quod in se vim habeat aliquid producendi; principium istud *causæ* nomine vulgo designatur. Requiritur 2° ut per hujus principii efficaciam aliquid producatur; secundum hoc operationis elementum vocatur *effectus*. Requiritur 3° ut effectus ille producatur propter aliquid, id est, ut detur scopus per effectum obtinendus, qui ideo sit simul motivum et ultima meta evolutionis activæ causæ; *finis* nomine designari solet. Hinc quævis operatio æquivalere dici potest duplici alii relationi, quarum una incipit a causa et terminatur ad effectum, altera incipit ab effectu actuato et terminatur ad finem.

De *causa* igitur, de *effectu* et de *fine*, seorsim nobis tractandum est.

I° *de Causa.*

119. Causæ definitio. — Causa definiri potest : *Principium productivum alicujus rei ipsi ad existendum non essentialis.* — Hujus definitionis verba ex iis quæ præcedunt satis intelliguntur, nec ulteriori indigent explicatione.

120. Causæ divisio. — Causæ divisio desumitur ex diversa ratione qua in effectus productionem erumpere potest. Sub hoc respectu causa dividitur 1° in *independentem* et *non inde-*

quasdam actuationes, in quibus non invenitur independentia *principii a principiato*, quam in operatione exigit definitio nostra. Sic theologi operationem appellant generationem Verbi a Patre, in SS. Trinitate; licet Pater sine Verbo nullo modo esse possit. De operatione autem, in hoc sensu intellecta, hic non agimus; hancque vocem, nonnisi prout modo definita fuit, in decursu adhibebimus.

x La force est le principe d'un acte qui lui est [illegible]. [illegible] nécessairement [illegible] nécessairement comme il produit alors nécessairement tous les effets qu'il peut produire. [illegible] force est [illegible] par rapport à cause. Une force n'est pas par elle-même cause, elle [illegible] essentiellement ce qui n'est pas [illegible]; [illegible] la Ste Trinité et [illegible] dans la création du monde, il [illegible]

pendentem, 2° in *intelligentem* et *cæcam*, 3° in *liberam* et *necessitatam*.

Causa est 1° *independens* aut *non independens*. — Ea causa dicitur *independens* quæ, in productione effectus, perfecta gaudet spontaneitate, ita ut absque ullo influxu exteriori, erumpat in actum. — Dicitur *non independens*, quando alterius causæ influxui subjacet, per quem illius activitas aliquatenus dirigatur.

Causa est 2° *intelligens* aut *cæca*. — Ea causa dicitur *intelligens* quæ producit suum effectum cum cognitione et intentione, quæ nempe cognoscit tum naturam effectus a se producendi, tum finem propter quem illum producit. — Causa *cæca* ea est quæ hujusmodi cognitione destituitur; in qua nempe nihil invenitur præter activitatem.

Causa est 3° *libera* aut *necessitata*. — Causa *libera* dicitur quando effectum suum ponit vi electionis spontaneæ; ita ut illum ponere possit aut non ponere. — Est *necessitata* quando ad producendum effectum ineluctabiliter et absque electione determinatur.

121. Quæstiones expendendæ. — Circa divisionem hanc causarum duo quæri possunt: 1° utrum independentia, intelligentia et libertas a quibusdam causis reipsa abesse possint, 2° utrum tamen, saltem in aliqua earum, necessario debeant inveniri

Hanc duplicem quæstionem solvet sequens

122. Thesis. — *Nec independentia, nec intelligentia, nec libertas causæ, ut sic, essentialiter competunt; necesse est tamen ut, in serie causarum, aliqua inveniatur quæ iis dotibus sit insignita.*

Prob. prima pars. — Nempe, *nullam ex proprietatibus enuntiatis causæ, ut sic, essentialiter competere.* — Illud enim tantum causæ, ut sic, essentiale dici debet, quod in ejus idea ita includitur, ut sine eo concipi non possit. Atqui, de independentia, intelligentia, libertate, illud dici non potest. Idea namque causæ dicit tantum vim effectum producendi. Vis

autem illa concipi potest, absque tribus præfatis dotibus. Et vero, inter causas omnia entia annumerari debent; nullum est enim quod, utpote activitate præditum, causandi prærogativa penitus destituatur. Porro quodlibet ens creatum independentia, plurima vero intelligentia et libertate penitus carent. Ergo, etc.

Prob. secunda pars. — Nempe, *in serie causarum, aliquam inveniri debere quæ illas dotes possideat.* — Etenim in serie causarum, necesse est ut una inveniatur quæ sit prima, seu quæ a nulla altera causa proveniat. Alioquin, daretur progressus in infinitum. Atqui causa prima tum independentiam, tum intelligentiam, tum libertatem necessario possidet.

1° *Independentiam.* — Etenim, si causa prima perfecte independens a quocumque extrinseco influxu in suis actibus non esset, influxus ille cui subjiceretur, vel a causis ipsi subordinatis, vel ab aliis causis primis sibi coæqualibus proveniret. Atqui, neutrum dici potest. — *Non primum* : cum enim causæ illæ, quæ subordinatæ supponuntur primæ, nonnisi ab ipsa vim agendi, imo et existentiam habeant, evidens est causam hanc priusquam aliæ existerent, vim agendi jam exercuisse, proindeque independenter ab ipsis hanc exercere posse. — *Non secundum :* cum enim ex se et independenter ab hujusmodi causis existat, vimque causandi possideat, ex se pariter, et independenter ab iisdem causis, habere debet quidquid requiritur ad hujusmodi vim exercendam. Præterea, supponamus causam A, v. g. quæ prima est juxta hypothesim, indigere ad agendum auxilio causæ B, quæ pariter prima foret : tunc vel causa B est ipsamet a quacumque alia independens, vel non. Si prius, ergo verum est in serie causarum aliquam esse independentem. Si posterius, idem rursus instituere possumus ratiocinium, usque dum perveniamus ad causam quæ in perfecta versetur independentia. Ergo, 1° causa prima *independentiam* habet.

2° **Intelligentiam.** — Hæc enim dos causæ primæ assignanda

Il faut considérer la cause avant qu'elle ait agi; son effet en lui n'est pas dans sa nature, car elle l'aurait toujours produit.

est, sine qua ipsius exercitium, ad talem vel talem producendum effectum, omnino impossibile foret. Atqui, talis est intelligentia. Triplici enim tantum hypothesi causæ cujuslibet exercitium explicari potest : nempe 1° supponendo ipsam talem actum peragere, neglectis aliis, ex necessitate absoluta suæ naturæ ; 2° admittendo influxum quemdam extrinsecum quo ad hunc potius quam ad illum, vis illius causandi applicetur ; 3° dicendo hanc causam, per electionem proprie dictam, talem actum aliis anteposuisse. Ex his autem tribus hypothesibus, duæ priores fieri non possunt, ubi agitur de causa prima : postrema autem assertum invicte astruit. Et quidem 1° dici nequit causam primam per absolutam necessitatem determinari, tunc enim, termino non producto, causa concipi non posset, quod notioni causæ supra allatæ contradicit. — 2° Non magis dici potest determinationem provenire ab extrinseco influxu ; causa siquidem, de qua agitur, independens supposita fuit. — 3° Si demum dicatur actum provenire ex electione causæ primæ, ipsam intelligentia præditam esse necessario admitti debet. Electio enim mere spontanea, prout est illa de qua agitur, supponit quod eligens res eligendas apprime cognoscat, et ipse consequenter ad hanc cognitionem sese determinet ad unam potius quam ad aliam. Atqui, si non intelligens foret, illud efficere non posset. Præterea, hæc electio, vel fit ex prævia cognitione, ideoque cum intelligentia, vel casu fortuito. Atqui, posterius dici non potest ; casus enim fortuitus nihil est præter verbum sensu vacuum. Denique actio nihil aliud est quam motus seu tendentia causæ ad finem assequendum per media. Ubi igitur nullus influxus exterior admitti potest, necesse est ut ipsamet causa finem hunc quasi ex proprio fundo educat, ut illum sibi assequendum proponat. Atqui, illud efficere nequit, nisi prius finis illius cognitionem proprie dictam habeat. Ergo 2° causa prima *intelligentiam* habet.

3° *Libertatem* demum ipsi competere facile constat. Libertas enim causæ in eo consistit quod possit pro libito suo

hunc vel illum actum peragere. Atqui, talis est causa prima. Si enim ad aliquem actum necessario determinaretur, vel ex necessitate suæ naturæ, vel ex influxu externo : neutrum autem, ex dictis admitti potest ; unde in ea omnimodam libertatem debemus agnoscere.

123. Scholium. — Causa, de qua hucusque egimus, ea est quæ *causæ efficientis* nomine in scholis vulgo designatur. Ut hujusce denominationis ratio intelligatur, sciendum est veteres, post Aristotelem, nomen causæ attribuisse pluribus rebus quæ inter causas hodie non computantur.

Etenim, per causam generatim intelligebant quidquid quocumque modo continet rationem existentiæ alicujus rei, quidquid proinde de aliqua re quæritur, quando de illa proponitur hæc quæstio : *Cur existat?* Porro, quinque sunt quæ ad alicujus rei existentiam concurrunt, nempe : 1° idea quam de illa sibi effinxit intellectus entis, a quo provenit, seu illius *exemplar* intelligibile ; 2° illius *materia ;* 3° illius *forma;* 4° *efficacia* activitatis, vi cujus, a posse ad actum transivit; 5° *finis* propter quem effecta est.

Hinc quintuplex causa : *exemplaris, materialis, formalis, efficiens* et *finalis.*

Ex his quinque causis, sola causa efficiens hoc nomine hodie designatur et merito quidem. Licet enim aliæ ad productionem rei aliquatenus concurrant, hujus tamen productio, in sensu stricto hujus vocis, soli causæ efficienti tribui debet.

II° *De Effectu.*

124. Definitio effectus. — Notio effectus ultro deducitur ex notione causæ, tanquam aliquid huic notioni correlativum. Itaque definiri potest : *Illud quod producitur a causa,* seu *Quidquid suam existendi rationem habet in principio cui ad existendum essentiale non est.*

125. Duplex status effectus. — Ex eo quod productio

effectus causæ non sit essentialis, sequitur productionem hanc necessariam non esse, ideoque effectum absque contradictione non existentem supponi posse. Imo, omnino requiritur ut illi causa præexistat, proindeque ut ipse non semper exstiterit. Hinc duo status in quibus effectus concipitur: *potentia* et *actus*. In priori statu, constituitur per suam *possibilitatem* in causa; in posteriori, per suam *actuationem* per causam. De utroque statu seorsim agemus.

De Effectu in statu Potentiæ seu de Possibilitate.

126. Possibilitatis definitio. — Possibilitas difficile definiri potest; est enim aliquid omni definitione clarius. Hac nempe voce exprimitur *illud vi cujus effectus aliquis ad actum reduci potest*. — Hinc 1° possibilitas stricte affirmari non potest nisi de entibus aut modis quæ essentialiter, et vi naturæ suæ, ad actum non reducuntur. — Hinc 2° possibilitas, vel antequam actuetur effectus, ad cujus productionem tendit, aliquid positivum dicit per quod a mero nihilo distingui debet. — Hinc 3° possibilitas est aliquid omnino necessarium et increatum. Nihil enim contingenter existere aut, quod idem est, creari potest, quin ad actum reduci valeat, quin proinde jam *possibilitatem* habeat; unde sequitur possibilitatem cuilibet actuationi contingenti præexistere. Porro, quod omnem actuationem contingentem præcedit, est omnino necessarium et increatum. Ergo...

127. Possibilitatis intrinsecæ et extrinsecæ notio. — Possibilitas, qualem illam modo definivimus, confunditur cum vi causandi qua entia, *causarum* nomine donata, prædita sunt, et per quam operationis subjectum esse possunt. Porro, ad vim illam causandi concipiendam, duo requiruntur: 1° ut effectus producendus contradictionem non involvat, sed vel gradum entis, vel accidens quoddam mente perceptibile constituat; 2° ut causæ competat efficacia sufficiens, ut illum

effectum valeat ad actum deducere. — Quando possibilitas non spectatur nisi sub priori respectu, dicitur *intrinseca*; quando spectatur sub posteriori respectu, dicitur *extrinseca*. Patet autem priorem respectum, si a posteriori separetur, nihil aliud per se dicere quam meram alicujus rei essentiam: possibilitas igitur, quatenus ab essentia discrepat, per hunc respectum unice constituitur.

128. Duæ possibilitates, intrinseca nempe et extrinseca, ab invicem separari non possunt. — Hic quæri potest an duo illi possibilitatis respectus, quos tanquam duas possibilitatis species vulgo exhibent auctores, a se invicem reipsa sint separabiles; ita ut res aliqua unam possibilitatem habere possit, dum altera privatur. Hæc statuenda nobis videntur:

1° Quoad possibilitatem extrinsecam, evidentissimum est hanc absque intrinseca existere non posse: potestas enim causæ, ad aliquem producendum effectum, supponit hunc in se non repugnare, seu esse intrinsece possibilem.

2° Altera pars quæstionis propositæ, ea nempe quæ spectat ad connexionem inter possibilitatem intrinsecam et possibilitatem extrinsecam, triplicem sensum habere posse videtur. Per illam nempe inquiri potest 1° utrum res, eo ipso quod per intellectum concipitur, ad actum reduci possit; 2° utrum res illa aliquam actualitatem necessario habeat sive *formaliter*, sive *eminenter*; 3° utrum tandem in secunda hac hypothesi, in qua nempe aliqua essentia, saltem eminenter actualitatem haberet, eo ipso possibile sit existere ens aliquod in quo formaliter actuetur.

Si quæstio in primo sensu intelligatur, negative solvi debet. Repugnat enim quod res omnes, quæ concipi possunt, sint actuabiles; cum una saltem esse debeat, uti infra dicemus, et, ex jam dictis, facile concludi potest, cui actus est omnino essentialis.

Si secundus sensus admittatur, quæstionem propositam

affirmative esse solvendam non minus evidenter constat. Eo ipso enim quod mens concipit aliquem gradum entis, ille gradus entis menti objicitur, proindeque a mero nihilo necessario distingui debet. Porro, quod nec in se, nec in alio actualitatem habet, a mero nihilo nequaquam discrepat.

Denique examinandum foret utrum ens, quod in actu alterius entis eminenter continetur, possit eo ipso extra ens illud actuari. Cum autem quæstio sic intellecta recidat in quæstionem in Theodicea expendendam, circa possibilitatem creationis, ab illa discutienda pro præsenti abstinemus.

129. Gradus possibilitatis. — Possibilitas intrinseca nullos gradus admittit; at non idem est de possibilitate extrinseca. Cum enim pendeat non solum a natura rei possibilis, sed ab efficacia causarum externarum; multiplicis generis distingui debet. Triplex potissimum distinguitur: *absoluta*, *physica* et *moralis*. — Prima quæ et *supernaturalis* a quibusdam nuncupatur, ea est quæ ad omnia interne possibilia extenditur: nonnisi in Deo complete inveniri potest; nulla est enim causa creata quæ vim habeat efficiendi quidquid est possibile. — *Physica* possibilitas iis competit rebus quæ a tali vel tali potentia creata effici possunt. Sic, quoad nos, physice possibiles sunt res omnes quas, non adhibitis nisi mediis naturalibus, possumus efficere: v. g. ambulare, movere brachium, etc... — Possibiles possibilitate *morali* dicuntur res quæ, illæso cursu eventuum ordinario, evenire supponi possunt. Sic, v. g. moraliter possibile est ut indigenti eleemosynam petenti vir beneficus succurrat.

130. Impossibilitatis definitio. — Ex iis quæ de possibilitate diximus, sponte fluit notio impossibilitatis quæ est possibilitatis negatio, ipsique opponitur, tanquam nihilum enti. Hanc igitur definire possumus: *Illud vi cujus res aliqua nec habet actum, nec habere potest;* seu *illud vi cujus res aliqua nec actu existit, nec potentia.*

131. Impossibilitas intrinseca et extrinseca. — Sub

duplici quoque respectu spectari potest, nempe *intrinsece* et *extrinsece*. — Intrinsece spectata nihil aliud est quam contradictio quæ inveniretur inter alicujus entis proprietates : hac impossibilitate v. g. impossibilis est *circulus quadratus*. Extrinseca impossibilitas est defectus causæ sufficientis ad effectum aliquem producendum.

132. Impossibilitatis gradus. — Impossibilitas extrinseca eosdem habet gradus ac possibilitas extrinseca ; ideoque distinguitur etiam in *absolutam, physicam* et *moralem*.—Prima non extenditur nisi ad ea quæ internam repugnantiam involvunt. — Secunda locum habet quoad omnia quæ vires naturæ superant ; v. g. lunam manibus contrectare. — Tertia demum applicatur iis quæ quidem absolute possibilia sunt, sed non illæso ordinario rerum cursu. V. g. impossibile est moraliter quod vir pius et sui compos per fenestram sese projiciat. Hinc impossibilitas moralis æquivalet summæ improbabilitati.

Distinguunt quoque impossibilitatem *hypotheticam* quæ locum habet quando res, in se possibilis, non potest fieri, eo quod facta sit hypothesis contraria. V. g. absolute possibile est homini ut sedeat, sed posito quod stans remaneat, non potest simul sedere. Hæc autem impossibilitas in absolutam nobis recidere videtur : intrinseca enim est contradictio, in eo quod res aliqua efficiatur in instanti quo, ex hypothesi, ab eodem agente res prorsus contraria efficitur.

De Effectus Actuatione.

133. Actuationis definitio. — Actuatio est *operatio vi cujus effectus transit a potentia ad actum*. Ipsam possibilem esse, id est, nullam adesse repugnantiam in eo quod res mere possibilis, per efficaciam alterius rei, ad existentiam perducatur, invicte probant ideæ tum causæ, tum rerum contingentium. Etenim hæ ideæ in mente nostra nequaquam esse

possunt, nisi aliquam objectivitatem habeant, nisi proinde transitus a posse ad actum sit possibilis.

134. Quæstio expendenda circa actuationis naturam. — Quomodo quidem fiat ille transitus explicari nequit; hicque agnoscere cogimur mysterium omnibus philosophorum tentaminibus adhuc impervium. Non tamen omnino prætermittere debemus controversiam hoc de puncto inter philosophos agitatam, ex cujus solutione plurimas maximi momenti difficultates elucidari posse existimamus.

Inquirunt nempe auctores utrum mediate an immediate causa suum producat effectum, seu utrum, in relatione causationis, aliquod intermedium, inter effectum productum et causam producentem, admitti debeat.

135. Opinio scotistarum. — Partem affirmantem tenent Scotistæ. Juxta illos scilicet, cum causa tam possit non producere, quam producere suum effectum, est relative ad illum in perfecta indifferentia. Quandiu autem causa in hujusmodi indifferentia remanet, nihil prorsus producere potest. Ut igitur in actum erumpat, necesse est hanc indifferentiam cessare, proindeque ad aliquem effectum producendum, potius quam ad non producendum, determinari. In qualibet igitur actuatione tria distinguenda sunt : 1° *causa*, in statu perfectæ indifferentiæ, relative ad productionem talis vel talis effectus ; 2° *determinatio* causæ ad aliquem effectum producendum ; 3° demum *effectus* productus.

136. Opinio thomistarum. — Partem negantem tenent cæteri philosophi, et in primis universa Thomistarum schola. Hi, in causatione, nonnisi duo distinguunt : *causam* nempe et *effectum*. Licet autem causa sit de se indifferens ad productionem suorum effectuum, ita ut illos producere aut non producere possit ; non tamen indiget determinatione speciali ut in actum erumpat. Ipsius enim indifferentia per positionem effectus sufficienter destruitur. Hinc sequitur causam posse effectum producere, quin ullam experiatur internam muta-

tionem. Et illud reipsa semper evenit, quando effectus ponitur extra causam, ut in creatione. In cæteris casibus, aliqua quidem mutatio provenit in causa ex productione effectus : hæc autem mutatio non tam ex natura actuationis provenit, quam ex natura effectus, qui in his casibus intra substantiam productricem remanet.

137. Opinio nostra. — Inter hæc, posteriori huic opinioni plane adhærendum putamus, ideoque medium, quod inter causam et effectum Scotistæ excogitaverunt, tanquam inutile figmentum rejicimus. Illa enim determinatio media, quam supponunt, cum a vi productiva causæ procedat, est reipsa effectus relative ad ipsam. Vel igitur productus fuit immediate, vel non. Si prius ; major non videtur esse difficultas in eo quod causa quemlibet alium effectum immediate producat. Si posterius ; de novo termino medio, quem adversarii admittere coguntur, idem ratiocinium instituere possumus, et sic in infinitum. Etsi igitur quomodo id fieri possit perfecte non assequamur, tanquam factum inconcussum admittere cogimur, causam effectus suos immediate et absque ullo intermedio, producere, causationemque nihil aliud esse quam respectum activum causæ ad suæ actionis terminum.

III° *De Fine.*

138. Definitio finis. — Finis definiri solet : ***Illud quod, per effectum a se productum, causa vult obtinere.***

Nulla causa modo intelligenti agere potest, quin talem finem in agendo sibi proponat, et eo determinetur ad actum. Causæ intelligentia carentes hunc quidem in actibus suis non intendunt cum conscientia. Non ideo tamen existimandum est earum actus fine carere : finis autem ille determinatur a causa prima, quæ etiam ad ejus assecutionem illarum operationes dirigit. Hinc omnia, quæ fiunt, ad aliquem finem tendunt.

139. Divisio finis. — Multiplex divisio finis apud auctores invenitur, de qua inter alios adiri potest Suaresius (*Metaph.*, Disput. 23, sect. secunda). Nos vero brevitati et utilitati consulentes, nonnulla tantum dicemus de celebriori finis divisione in *proximum, remotum* et *ultimum*.

Finis *proximus* ille est quem agens immediate intendit, et, ante omnem alium, per actum vult obtinere. Porro, fieri potest ut, fine proximo obtento, voluntas nihil aliud intendat, et tunc alterum finem distinguendi non erit locus. Sed fieri potest etiam ut voluntas agentis ulteriorem finem sibi proponat, qui iterum vel ad alium refertur, vel non. Si prius, finis quem secundo loco intendit voluntas, *remotus*, et ille ad quem refertur *ultimus* vocatur. Si posterius, finis *remotus* simul *ultimi* vices gerit. Hæc finis divisio exemplo sequenti elucidari potest. Sit, v. g., ægrotus qui medicinam sumit. Illius finis *proximus* est sanitas recuperanda ; finis autem *remotus* poterit esse vacare labori assueto, ut v. g., scientiarum culturæ. Demum supponi potest quod hæc omnia ad gloriam Dei referat ; itaque gloria Dei erit ipsius finis *ultimus*. — Postremus ille finis iterum dividitur in *absolute* ultimum et *relative* ultimum. Finis *absolute* ultimus ille est qui, in se et objective, est ultimus, ita ut ad illum alii omnes debeant referri, ipse vero ad alium referri non possit : ille finis est Deus in quo totum hominis bonum totaque felicitas consistit, ut alibi probabimus. Finis *relative* ultimus ille est quem de facto voluntas agentis ad alium non refert, licet referre posset : sic in exemplo modo citato, sanitas foret finis relative ultimus, in hypothesi quod ægrotus hanc nonnisi propter se appeteret.

Hujus ope distinctionis inter finem absolute et relative ultimum, facile intelligi potest illud quod vulgo dicunt auctores, hominem semper finem ultimum in suis actibus appetere. Illud quidem falsum est de fine absolute ultimo ; constat enim hominem sæpe sæpius a vero fine, quem sibi proponere deberet, deflectere. Verum est autem, si de fine relative ultimo

intelligatur. Evidens est enim ens intelligentia prædītum, ut homo, reflexe agere non posse, quin sive alicujus, sive aliquorum bonorum consecutionem intendat. Necesse est autem ut, inter illa bona, unum saltem inveniatur quod ad aliud non referat, quod proinde sit illius finis ultimus ; etenim si res aliter se haberet, daretur progressus in infinitum, qui, non minus in finibus quam in causis, repugnantiam involvit.

140. Definitio medii. — Effectus, quatenus tendit ad finem a causa intentum, vocatur *medium*. Sub hoc respectu definiri potest : *Illud per quod causa vult finem obtinere.* — Observant auctores quod licet in ordine actuationis medium præcedat finem, in ordine tamen cognitionis et volitionis, contrarium evenit. Etenim, illud quod ad aliquid ordinatur, concipi non potest, quin illud ad quod ordinatur primum concipiatur : sic via non sumitur nisi præconcepto loco ad quem ducit. Hinc axioma pervulgatum : *Finis est primus in intentione et ultimus in operatione.*

141. Divisio mediorum. — Quemadmodum inter fines subordinatio quædam existit, ita ut unus ad alium referatur ; ita etiam contingit pro mediis quæ ideo, ad instar finium, in *proxima*, *remota* et *ultima* dividi possunt. Hæc autem divisio spectari potest tum in ordine *intentionis*, tum in ordine *executionis*.

1° In ordine *intentionis*, medium *proximum* illud est quod, ad finem assequendum, primum venit in mentem ; consecutionem igitur finis immediate præcedere debet, et ideo est proximum quidem in intentione, sed ultimum in executione. Cum autem, ad illud medium ponendum, aliud forsan antea ponere sit necessarium ; hinc novum medium, quod *remotum* aut *ultimum* dicitur, prout per aliud, aut per se, poni potest. Hoc igitur erit ultimum in intentione, proximum vero in executione. Sic, v. g., suppono quod intentionem habeam talem librum perlegendi, en finis quem assequi volo : sed ut illum finem obtineam, liber mihi emendus est ; itaque emptio erit medium

quod mihi primum proponere debeo, id est, medium *proximum* in intentione. Nunc autem, ut medium illud assumam, plurima alia ponenda sunt : sic necesse est ut e cubiculo egrediar, ut tabernam librariam ingrediar, ut librum petam, et de pretio conveniam, etc.... Inter hæc media, illud mihi primum propono quod immediate emptionem libri præcedit, ut, v. g., conventio circa pretium; cætera vero eodem ordine sibi succedunt, ita scilicet, ut quo magis a finis consecutione sunt remota, eo magis quoque in mea intentione sint remotiora. Medium autem, quod a fine est remotius, medium erit *ultimum*.

2º In ordine *executionis*, eadem invenitur mediorum series, sed cum hoc discrimine quod, in casu præsenti, ordo seriei invertatur; id est, medium proximum, in ordine executionis, respondet medio ultimo, in ordine intentionis. Sic, ut eodem utar exemplo, medium proximum in ordine executionis erit egressio e cubiculo, quæ ultimo loco venerat in intentione; emptio autem libri, quam primum mihi proposueram, post omnia alia media executionem obtinebit.

142. Mediorum et finis discrimen essentiale. — Media quandoque cum fine confunduntur, quasi ipsa nihil aliud essent, quam fines intermedii, ad ultimi finis consecutionem ordinati. Essentiale tamen inter hæc duo discrimen adest. Finis nempe quicumque sit, et licet ad alium referatur, semper includit in se aliquid appetibile, propter quod ad illum, tanquam ad bonum, tendi potest. Sic, in exemplo ægroti sanitatem appetentis, sanitas, etsi ad alium finem non referretur, foret in se bona et appetibilis. Medium econtra in se nullam boni speciem offert, nisi quod deducat ad finem. Sic in exemplo modo allato, egressio e cubiculo, conventio circa pretium libri, etc..., bonæ non sunt, nisi propter scientiam aut jucunditatem, quam ex lectione libri empti me consecuturum esse spero.

143. Ordinis definitio. — Relatio, quæ intercedit inter

medium et finem, nobis suppeditat ideam *ordinis*. Ordo enim nihil aliud est quam *apta dispositio mediorum ad finem.* Ubi scilicet animadvertimus quod medium perfecte tendat ad finem ad quem destinatum fuit, ibi ordinem adesse pronuntiamus, sicut, in casu contrario, deordinationem. Hinc sequitur ordinem in aliquo opere detegi non posse, nisi primum finem ad quem tendit cognoscamus.

144. Ordinis divisio. — Ordo dividi potest 1° in *simplicem* et *compositum*; 2° in *materialem* et *formalem*.

1° Ordo *simplex* ille est qui constituitur apta dispositione alicujus medii ad finem. Ordo autem *compositus* ille est quem producit unio plurimorum mediorum ad finem communem. Animadvertendum est, in posteriori casu, ordinis compositionem desumi tantum ex parte mediorum, non vero ex parte finis qui semper unicus esse debet. Hinc verum est quod vulgo dicitur, unitatem esse unum e præcipuis ordinis characteribus.

2° Ordo *materialis* est aptitudo mediorum ad finem assequendum in se spectata, id est, independenter ab intentione agentis aptitudinem hanc determinantis. Ordo *formalis* est eadem aptitudo mediorum, quatenus a causa intelligenti determinata fuit. — Proprie loquendo, solus hic posterior nomen ordinis meretur : ubi enim nulla est intelligentia finem determinans, ibi dispositio mediorum ad finem esse nequit. Ordo igitur materialis a formali separatus, si possibilis foret, nihil aliud esset quam ordo apparens.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Variis speciebus operationis.

145. Operationis divisio. — Operatio in duplicem speciem distinguitur, prout illius effectus extra substantiam, quæ in ea causæ vices gerit, producitur, vel intra eamdem subs-

tantiam remanet. Idcirco prior appellatur *operatio ad extra*, posterior vero *operatio ad intra*.

§ 1. *De Operationibus ad extra.*

Operationes illæ sunt 1° *creatio*, 2° *influxus*.

I° *De Creatione.*

146. CREATIONIS DEFINITIO. — Creatio est *quædam operationis species cujus duo termini sunt duæ substantiæ distinctæ*; seu, aliis verbis, est relatio vi cujus aliqua substantia rationem includit, cur existat altera substantia.

Illius relationis termini sunt *creator et creatura*.

Utrum existere possit, et, in hac hypothesi, quibusnam entibus competat tum creari, tum creare, dicemus tum in Theodicea, tum in Cosmologia.

II° *De Influxu.*

147. INFLUXUS DEFINITIO. — Per *influxum* illud intelligimus operationis genus *quo aliqua substantia in altera substantia jam existente modificationes producit*. Talis est v. g. actio animæ nostræ in corpus ad illud movendum.

148. VARIÆ SPECIES INFLUXUS. — Triplici modo ille influxus inter duas substantias existere concipi potest, *physice, occasionaliter* et *harmonice*. — Adest influxus *physicus*, quando modificationes alicujus substantiæ sunt effectus immediati et proprie dicti actionis alterius substantiæ. Talis est, v. g. influxus quem Deus indesinenter exercet in creaturas. — Adest influxus *occasionalis*, quando modificationes alicujus substantiæ sunt ratio quæ movet aliam substantiam ad influxum physicum in tertiam substantiam exercendum : tunc nempe, licet prima substantia in tertiam proprie non agat,

dicitur tamen causa occasionalis modificationum quas hæc experitur. Talis est, juxta plures, influxus qui existit inter substantias creatas; hæ siquidem non nisi mediante Dei actione, in se invicem agere possunt. — Adest demum influxus *harmonicus*, quando duæ aut plures substantiæ ita fuerunt ab earum existentiæ initio constitutæ, ut uniuscujusque earum modificationes aliarum modificationibus perfecte respondeant. Hæc est hypothesis quam adhibet Leibnitzius ad influxum creaturarum in se invicem explicandum.

149. Quæstiones circa influxum expendendæ. — De his tribus modis influxum concipiendi, duæ quæstiones moveri possent : 1° utrum influxus physicus reapse differat a creatione, utrum proinde alteri quam causæ creatrici attribui possit ; 2° in hypothesi quod huic quæstioni negative respondeatur, quisnam ex duobus aliis modis influxum explicandi admitti debeat relative ad substantias creatas. — Harum autem quæstionum solutionem remittimus ad Cosmologiam.

§ 2. *De Operationibus ad intra.*

150. Operationes ad intra definiuntur. — Per operationes ad intra generatim intelliguntur quælibet evolutiones activæ quarum terminus substantiæ productricis limites non excedit. Porro duplicis speciei distinguuntur evolutiones hujusmodi. — Alia scilicet consistit in ipsomet actu quo substantia quælibet in sua realitate existentiali constituitur, id est, in determinatione vis activæ cuilibet enti existentiali propriæ. — Alia concipitur tanquam transitus alicujus substantiæ ab uno statu ad alium statum, seu ab actu ad alium actum.

Ex his duabus evolutionis activæ speciebus, de priori hic quæstio esse non potest. Cum enim sit illud ipsum per quod substantia constituitur, *causam* et *effectum* proprie dicta in ea distinguere non possumus.

Operatio igitur ad intra, prout hic intelligitur, definiri potest : *operatio vi cujus aliqua substantia transit ab uno statu interno ad alium statum.*

De hujusmodi operatione, tria inquirenda nobis proponimus : 1° utrum, in quibusdam saltem substantiis, sit possibilis ; 2° quomodo concipi debeat ; 3° quænam conditiones ad illius existentiam exigantur.

151. Operationis ad intra possibilitas. — Et quidem quoad possibilitatem operationis, de qua agitur, saltem in quibusdam substantiis, nulla difficultas esse potest. Ad hanc enim possibilitatem, duo requiruntur et sufficiunt : 1° ut substantia quævis modorum suorum rationem in se contineat, 2° ut quandoque illorum rationem contineat præcise tanquam causa. Atqui, hæc duo constant. — *Prius* quidem, prout sequitur ex dictis supra de natura subtantiæ et modorum. — *Posterius* quoque. Plures enim sunt substantiæ quæ talis sunt naturæ, ut illarum modi ipsis non sint essentiales, ita ut, in aliquo modo constitutæ, illum amittere possint, ut novum induant. Atqui, in hoc casu, modi sunt ad substantiam, tanquam effectus ad causam. Cum enim, juxta hypothesim factam, substantia constituta censeatur independenter a quolibet e suis modis, alioquin ipsi forent essentiales, vere sine illis existere potest. Atqui, causationis relatio existit ex dictis supra inter principiatum et principium, quoties hoc sine illo existere potest.

Substantia, in qua possibilis est hujusmodi operatio, apte dicitur *activitate* prædita. Hæc enim substantia concipi debet ut aliquid quod nec *pura potentia* est, nec *purus actus*. Non quidem pura potentia ; alioquin nihil foret existentiale. Non tamen purus actus ; interne enim mutari nequit, quin fiat in ea transitus potentiæ ad actum, quin proinde aliquid potentiale in suo actu contineat. Est igitur *actus admixtus potentiæ*, seu actus quod indesinenter efficitur.

Hinc, stricte loquendo, activitas in substantia, quæ nonnisi modos necessarios haberet, nempe in substantia divina, existere non potest. In hac enim, cum substantia sine modis constitui non possit, non est ad illos tanquam causa ad suos effectus. Deus, igitur, *actus purissimus*, meliori jure quam *activitate præditus*, dici deberet.

152. Quomodo operatio ad intra concipi debeat expenditur. — Duplex suppetit hanc operationem explicandi modus. — Juxta

priorem, operatio ad intra ita concipi posset, ut illius causa foret substantia, independenter a quolibet modo considerata, id est substantia nuda; ejusdem vero effectus essent varii modi qui successive substantiam afficerent. Juxta hunc modum, substantia conciperetur tanquam realitas quædam completa quæ in varietate modorum, quos successive produceret, identica prorsus remaneret. — Juxta alterum modum relationem inter substantiam et modos concipiendi, hujus relationis causa non esset substantia nuda, sed substantia modificata; ita ut relatio existeret non proprie inter substantiam et modos, sed potius inter varios status ejusdem substantiæ, qui alter alterius causa existerent.

Ex his duobus explicationis mediis, solum posterius admittendum videtur. Etenim 1° causa relationis realis et concretæ, qualis est relatio de qua nunc agitur, non potest esse mera abstractio. Atqui, substantia nuda et a quibuslibet modis separata, est mera abstractio; substantia enim realitatem non habet, nisi quatenus sese manifestat per modos. 2° Hæc hypothesis sola est quæ possit explicare successionem quæ, omnibus fatentibus, inter varios ejusdem substantiæ modos admitti debet, prout constabit ex infra dicendis de *successione.*

153. Conditiones requisitæ ut operatio ad intra perficiatur. — Circa conditiones requisitas ut substantia jam modificata, alios modos recipiat, quæritur utrum substantia per se solam istud efficere possit, utrum vero auxilio externo ad id indigeat. Hæc quæstio fuse a nobis tractabitur in Theodicea, ubi de *Concursu Dei.* Illius igitur expositionem hic omittimus.

ARTICULUS TERTIUS.

De Attributis entium existentium ex operationis conceptu profluentibus.

154. Horum attributorum notio et divisio. — Attributa, hic a nobis enumeranda, sunt variæ enuntiationes quæ de rebus existentibus proferri possunt, prout sunt aut non sunt termini passivi alicujus operationis.

Hæc attributa in duplicem seriem distribui possunt, prout primario aut secundario e conceptu operationis profluunt.

155. ATTRIBUTA EX CONCEPTU OPERATIONIS PRIMARIO PROFLUENTIA. — Hæc attributa sunt *necessitas* et *contingentia.* — Prior convenit rebus quæ existere concipiuntur independenter a qualibet causa. Res enim hujusmodi talis naturæ esse debent, ut earum existentia cum earum essentia intimam connexionem habeat, nec una sine altera concipi possit. Contradictio igitur esset in eo quod res hujusmodi non existant: ideoque sunt *necessariæ.* — Posterior, id est, contingentia, convenit rebus quæ existere non possunt, nisi mediante causa. Res hujusmodi eæ sunt quarum essentia absque existentia actuali concipi potest, quæ proinde non existentes supponi possunt, quin ulla sit contradictio. Quod autem sine contradictione non existens supponi potest, *contingens* dicitur.

156. ATTRIBUTA EX CONCEPTU OPERATIONIS SECUNDARIO PROFLUENTIA. — Hæc attributa sunt : 1° *aseitas* et *existentia ab alio*, 2° *impassibilitas* et *passibilitas*, 3° *immutabilitas* et *mutabilitas.*

Aseitas et *existentia ab alio* duo sunt attributa quæ rebus convenire concipiuntur, quatenus, utpote necessariæ aut contingentes, existendi principium habent vel in seipsis, vel in actione creatrici causæ ab ipsis distinctæ.

Impassibilitas et *passibilitas* exprimunt duplicem statum entis relative ad causas exteriores prout iterum necessarium est vel contingens. — Hoc nempe, cum vi solius essentiæ suæ non existat, ab influxibus externis independens non est ; est itaque *passibile.* — De illo autem, propter rationem oppositam, idem dici nequit ; est scilicet *impassibile.*

Immutabilitas et *mutabilitas* exprimunt statum entis relative ad vim causandi ipsi propriam, prout nempe, quatenus necessarium, seipsum mutare non potest, aut, quatenus contingens, a statu ad statum potest transire.

157. ENTIUM EXISTENTIUM DIVISIO. — Illorum attributorum ope, variæ existentiæ in duas generaliores classes distribui possunt. Prior includit existentiam *absolutam*, quæ *neces-*

sitatem existendi, *aseitatem*, *impassibilitatem* et *immutabilitatem* possidet. Posterior complectitur existentias relativas, quæ *contingentia*, *existentia ab alio*, *passibilitate* et *mutabilitate*, ab ente absoluto distinguuntur.

CAPUT SECUNDUM.

De Relationibus Cosmicis seu de Spatio et Tempore.

Hic iterum, paucis præmissis de spatio et tempore generatim, tractabimus tum de utroque hoc conceptu seorsim spectato, tum de characteribus entium existentium ex conceptu temporis et spatii profluentibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De spatio et tempore generatim.

158. Relationum cosmicarum notio. — Cosmicas appellamus *eas relationes*, *quarum ope*, *varia entia creata devinciuntur*, *modo apto ad mundum constituendum*.

Quamvis scilicet entia, quæ creabilia concipimus, nullum essentialem nexum inter se habeant, cum alia absque aliis perfecte possint existere ; talis est tamen mentis nostræ lex, ut invincibiliter illa judicemus sibi invicem concatenata, id est, ordinata inter se ad aliquam unitatem efformandam. Hæc unitas illud est quod *mundum* (græce κοσμος) nuncupamus.

159. Relationum cosmicarum divisio. — Tres numero distingui debent relationes cosmicæ.

Scilicet : 1° nullum ens mundi a nobis concipi potest, quod non sit aliis entibus *præsens*, *præteritum* aut *futurum*.

2° Varia entia, quæ præsentia sunt sibi invicem, iterum concipiuntur tanquam sibi invicem *contigua*, aut alia ab aliis plus minusve *distantia*.

3° Quælibet demum entia moveri possunt, id est, relationes,

contactus aut distantiæ, quas habent ad alia entia, amittere, ut novas acquirant.

160. Spatium et tempus relationum cosmicarum fundamentum. — Variæ illæ relationes in duplici conceptu fundamentum habent, in conceptu nempe *temporis*, et in conceptu *spatii*. Prioris ope, entia concipiuntur tanquam *præsentia, præterita et futura*. Posterioris ope, menti nostræ exhibentur tanquam *contigua* aut *distantia*. Ope demum utriusque conceptus temporis et spatii simul juncti, entia concipi possunt in *motu* constituta.

161. Controversia circa spatii et temporis objectivitatem. — Circa duplicem hunc conceptum generatim consideratum, a nobis non prætereunda movetur quæstio, quamnam objectivitatem habeant extra mentem. De qua tres præcipuæ proferuntur opiniones.

162. Opinio Kantii. — Prima opinio eorum est qui, cum Kantio, propugnant ideas temporis et spatii nullam prorsus objectivitatem habere, seu nihil dicere extra mentem. Juxta illos, nihil aliud de his ideis affirmare possumus, nisi quod sunt sensibilitatis nostræ formæ. — Quæ voces aliqua explicatione indigent.

Sensibilitas, in philosophia Kantiana, ea est facultas qua apprehendimus facta individualia cujuscumque sint generis, sive nempe interna sint, sive externa. Hæc facultas, non secus ac aliæ quibus præditi sumus, quasdam habet leges, seu quibusdam subjacet conditionibus sine quibus sua objecta apprehendere non posset. Leges illæ sunt illud quod Kantius nuncupat *sensibilitatis formas*, easque præcise reponit in duobus conceptibus de quibus hic agimus. Scilicet, in notionibus, seu, ut ait Kantius, in *intuitionibus* quæ, sensibilitatis ope, in mente nostra producuntur, duplex distinguere possumus elementum : unum nempe, quod consistit in notis cuilibet intuitioni peculiaribus, et cujus ideo præcipuus character est variabilitas : alterum quod idem prorsus invenitur in omnibus

intuitionibus, imo quod concipitur tanquam conditio necessaria cujuslibet intuitionis. Hoc elementum *a priori* dicitur, eo quod, cum sit conditio prærequisita ad quamlibet experientiam, ab ea provenire dici nequit. Propter rationem oppositam, aliud elementum dicitur *a posteriori;* eo quod ab experientia unice proveniat.

Exinde sequitur elementum *a posteriori* habere quidem fundamentum in objectivitate. De elemento autem *a priori*, idem dici nequit. Cum enim ab experientia non proveniat, nihil aliud esse potest quam aliquid ipsimet sensibilitati inhærens, quod ab ipsa imprimitur quibuslibet objectis quæ illam afficiunt. Nunc vero elementa *a priori* intuitionum nostrarum reducuntur ad *spatium* et *tempus ;* constat enim nihil nos intueri posse, nisi illorum ope conceptuum. Tempus igitur et spatium nihil aliud sunt quam meræ formæ sensibilitatis, aut, si fundamentum in rebus habent, nullum nobis suppetit medium illud detegendi.

163. Opinio Leucippi, Democriti et Epicuri. — Secunda opinio, huic directe opposita, habet tempus et spatium tanquam duas realitates sui generis, quæ independenter a quibuslibet entibus, in ipsis existentibus, ne Deo quidem excepto, subsistunt. In hac igitur sententia, ab æterno et necessario existunt tempus et spatium, receptacula universalia omnium entium. Prius concipitur tanquam immensa series instantium sibi succedentium sine initio et fine. Posterius tanquam capacitas seu vacuitas absque limitibus, quacumque ex parte. Quodlibet ens, eo ipso quod existit, suum locum in utroque necessario habet ; nihil enim concipere possumus quod nec in spatio sit, nec in tempore. — Hæc opinio circa tempus et spatium ea est quam vulgarem possemus appellare ; constat enim homines vulgo sibi eo modo utrumque repræsentare. Nonnulli etiam philosophi illam propugnaverunt, inter quos citare possumus, saltem quoad spatium, Epicurum et ejus antecessores Leucippum scilicet et Democritum.

164. Opinio Leibnitzii. — Est demum tertia opinio, quæ inter duas priores medium tenet; juxta quam scilicet relationum cosmicarum fundamentum, nec in mera sensibilitatis forma, objectivitate prorsus destituta, nec in realitate ab entibus quibuscumque independente, consisteret; sed in ipsismet entibus reponi deberet, quatenus tali vel tali modo ad invicem sese habentibus. Posito igitur quod nulla entia existerent, nullum quoque tempus, nullum spatium, nullum denique relationis cosmicæ fundamentum subsisteret. Statim ac autem entia concipiuntur, concipiuntur quoque relationes quas habent inter se et ex quibus, abstracte consideratis, nascuntur conceptus spatii et temporis. — Hujus opinionis præcipuus inter recentiores propugnator fuit Leibnitzius.

Quid de his opinionibus sentiamus, aperiet sequens

165. Thesis. — *Tempus et spatium nec ut meræ sensibilitatis formæ, nec ut realitates ab entibus quibuscumque independentes, sed ut relationes entium haberi debent.*

Tres sunt partes seorsim probandæ.

Probatur prima pars, nempe *tempus et spatium ut meras sensibilitatis formas haberi non posse.* — Tempus enim et spatium a nobis apprehenduntur tanquam objecta a mente nostra prorsus distincta, ita ut etiam concipiamus realitates externas in spatio et tempore existere, quamvis ipsi non existeremus. Hoc autem posito, illi conceptus necessario aliud sunt quam meræ sensibilitatis nostræ formæ. Formæ enim sensibilitatis nostræ sunt aliquid omnino subjectivum quod proinde a nobis ipsis distinguere non possumus. — Confutationem hanc systematis Kantiani hic tantummodo indicamus. Cum enim systema illud non solum temporis et spatii, sed conceptuum nostrorum quorumcumque objectivitatem destruat, illius completam confutationem remittimus ad Psychologiam, ubi nempe conceptuum nostrorum objectivitatem ex professo astruimus.

Probatur secunda pars, nempe *tempus et spatium non esse*

realitates ab entibus quibuscumque independentes. — Etenim 1° si res ita se haberet, possibile foret tempus et spatium concipiendi, abstractione facta cujuslibet entis etiam possibilis in ipsis existentis. Atqui, illud est omnino impossibile : nec enim tempus sine terminis saltem possibilibus sibi succedentibus, nec item spatium sine terminis juxta se invicem positis valemus concipere.

2° Cum possimus concipere entia in spatio et in tempore collocata absque limitibus, admisso quod hi duo conceptus realitatem independentem habeant, hæc realitas debet esse actu absque limitibus, proindeque infinita. Atqui, spatium et tempus actu infinita sunt aliquid contradictorium in terminis. Tempus enim et spatium quantumvis magna supponantur, semper tamen majora excogitari possunt.

3° Hypothesis spatii et temporis absolute et independenter ab entibus quibuslibet, existentium, nullum sensum habet. Etenim, realitas, qua constitui supponuntur, vel est aliquid extensione et duratione præditum, id est, habens partes *contiguas* et *distantes ; præsentes, præteritas* et *futuras :* vel utraque hac dote privatur. — *Si prius,* jam spatium et tempus nihil aliud erunt quam entia in tempore et spatio ipsamet existentia ; non enim alio modo explicari potest eorum partes esse sibi invicem *contiguas* aut *distantes ; præteritas, præsentes* aut *futuras.* Admittenda igitur erit altera realitas in qua collocentur, et sic in infinitum. — *Si posterius,* impossibile erit explicare quomodo realitas quæ, nec durationem habet, nec extensionem, conferre possit utramque hanc dotem cæteris entibus, entia hujusmodi in seipsa continendo. Ergo, etc...

Probatur tertia pars, nempe *tempus et spatium ut meras relationes entium haberi debere.* — Ex duabus assertionibus modo statutis, constat tempus et spatium, ex una parte, aliquid objectivum esse, ex altera vero, objectivum istud ab entibus, quæ in spatio et in tempore concipiuntur, non esse independens : unde sequitur hæc duo nihil aliud esse posse

quam rerum existentium qualitates. Hoc posito, vel sunt hujusmodi rerum qualitates absolutæ, vel qualitates relativæ. Prius nequaquam dici posse facile constat. Etenim, qualitates entium absolutæ sunt illorum entium dotes quæ concipi possunt absque ullo respectu sive ad aliud ens, sive saltem ad alium ejusdem entis statum. Atqui, nec tempus, nec spatium sine hujusmodi respectu concipi possunt. Quidnam enim tunc essent prioritas et posterioritas, contactus et distantia? Ergo, tempus et spatium in proprietatibus relativis entium, non autem in eorum proprietatibus absolutis, reponi debent.

166. Scholium. — Præter systemata modo expensa, aliud apud quosdam, et in primis apud Newtonem et Clarkium, propugnatum invenimus. Hi, ex una parte, libenter nobiscum agnoscunt tempus et spatium nihil aliud esse posse quam proprietates alicujus entis ; ex alia vero parte existimant unicum ens existere cujus tempus et spatium adæquate sumpta sunt proprietates, scilicet ens divinum. Ratio est quod conceptus temporis et spatii, cum eorum characteribus necessitatis et infinitudinis, per relationes entium contingentium et finitorum explicari non posse videantur. In hac theoria, entia contingentia in tempore et spatio non existerent, nisi quatenus alicui parti spatii et temporis in Deo infinite existentium responderent.

Ad hoc systema confutandum, ostendi posset illud 1° inutile esse, eo quod, ipso non admisso, spatii et temporis theoria nihilominus dari potest : 2° repugnare, eo quod quidquid ad spatium et tempus spectat, prorsus a Deo exsulare debet.

Ex his autem duobus, prius quidem patebit ex notione spatii et temporis in Articulo sequenti afferenda ; posterius in Theodicea ostendemus, ubi de Immensitate et Æternitate Dei.

Igitur a præfato systemate speciatim discutiendo quoad nunc abstinemus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De spatio et tempore seorsim spectatis.

167. Objectum Articuli. — In hoc Articulo, istud nobis muneris est, ut singularum relationum quas *cosmicas* nuncupamus, spatii nempe, et temporis, naturam seorsim exponamus.

§ 1. *De Spatio.*

168. Definitio spatii juxta Leibnitzium. — Leibnitzius definivit spatium : *Ordinem coexistentium, quatenus coexistentium.* Talis est quoque definitio quam, aliis postpositis, tenendam censemus, cujus proinde sensum exponere, simulque legitimitatem ostendere debemus.

Ad id autem : 1° quid sit relatio coexistentiæ inter entia determinabimus ; 2° quisnam ordo inter entia coexistentia, præcise sub respectu coexistentiæ, institui possit, inquiremus ; 3° demum ostendemus ordinem illum coexistentiæ cum spatii conceptu omnino confundi.

1° *Quid per entium coexistentiam intelligi debeat, determinatur.*

169. Coexistentiæ definitio. — Sibi coexistere dicuntur entia *quæ ita se habent ad invicem, ut existentia unius connectatur cum existentia alterius.* — Coexistentiæ conceptum nihil aliud includere facile intelliget quisquis ad hujusmodi conceptum, prout in mente nostra invenitur, sedulo voluerit attendere.

Quomodo autem entia quæ existunt, in hoc statu relative ad se invicem concipi possint ? Talis est difficultas quæ nobis expendenda incumbit.

170. Quomodo entia sibi invicem coexistere possint, expenditur. — Sic porro nobis solvenda videtur :

1° Ens quodlibet existens a nobis concipi debet tanquam vis in actu constituta, id est, ad aliquod exercitium determinata (n. 61).

2° Quælibet vis, saltem creata, aliquem influxum in vires alteras, item creatas, exercere potest; ipsaque reciproce eidem influxui subjacet. Quocumque modo explicetur ille influxus, sive nempe physice, sive harmonice, sive occasionaliter producatur, inter duas aut plures substantias existere non potest, quin illæ substantiæ versentur in dependentia mutua ad invicem. Hæc dependentia in eo consistit quod determinatio activa unius sit ratio determinationis alterius et vice versa; seu, quod in idem recidit, in eo quod una ex his substantiis in tali vel tali actu constituatur, propter præsentiam talis vel talis actus in altera substantia.

3° Porro, influxus substantiarum, sic intellectus, illud est quod coexistentiæ conceptum nobis suppeditat. Ex dictis enim duæ substantiæ sibi invicem coexistere concipiuntur, quando ita se habent inter se, ut existentia unius implicet existentiam alterius, et vice versa. Atqui, tales sunt substantiæ quæ in se invicem influunt, juxta modum a nobis supra enuntiatum. Etenim, in hoc casu, modus existendi unius rationem sufficientem non habet, nisi in modo existendi alterius. Cum autem aliunde constet modum existendi alicujus rei ab ejusdem rei existentia separari non posse; in verissimo sensu dici potest duas substantias, quæ in se invicem eo modo influunt, ita se habere ad invicem, ut unius existentia implicet existentiam alterius et vice versa. Aliis verbis, dicere verum est has substantias sibi coexistere.

II° *Utrum aliquis ordo inter res coexistentes, præcise sub respectu coexistentiæ, concipi possit, expenditur.*

171. Quæstionis sensus. — Ordinem inter res coexistentes in eo sensu inveniri concipitur, quod inter varios modos, quibus sibi invicem plura entia coexistere possunt, quædam dependentia et subordinatio inveniatur: adeo ut entia hujusmodi, vi eorum coexistentiæ ad invicem, totum quoddam et unitatem efforment.

Hinc, ut ordo ille sit possibilis, duo requiruntur: 1° ut diversi sint modi quibus sibi invicem entia coexistere possint; 2° ut ex hac diversitate, dependentia et subordinatio nascantur inter coexistentias.

Quæstio igitur duplicem habet partem seorsim expendendam.

172. I° Substantiæ sibi invicem pluribus modis coexistere possunt. — Coexistentia enim in hoc consistit quod duæ substantiæ in se invicem influxum exerceant, seu in eo quod ratio determinationis, quam una experitur in suo actu, invenitur in modo quo se habet actus alterius. Porro, influxus mutuos quos in se invicem exercent variæ substantiæ, modo apto ad coexistendum, diversos esse posse extra dubium est. Sint v. g. substantiæ S, S', S'', S''', S'''', etc... quas determinatas supponimus in actibus $S\,a$, $S'\,a'$, $S''\,a''$, $S'''\,a'''$, $S''''\,a''''$. Talem inter illas substantias influxum admittere possumus ut actus $S\,a$ substantiæ S, rationem includat determinationis substantiæ S' in actu speciali $S'\,a'$; ut iterum, substantia S', in actu $S'\,a'$ constituta, rationem includat determinationis substantiæ S'' in $S''\,a''$, etc... et sic deinceps.

Atqui, in hypothesi facta, plures distinguendi veniunt modi coexistendi.

Ex una enim parte, unaquæque præfatarum substantiarum singulis aliis vere coexistit; nulla est enim cujus actus aliarum actum non supponat. Scilicet, cum actus $S''''\,a''''$ supponat actum $S'''\,a'''$ qui est, ex hypothesi, ratio illius existentiæ, ipsi proinde coexistere dici debet. Sed actus $S'''\,a'''$, propter eamdem rationem, coexistit actui $S''\,a''$. Porro, $S''''\,a''''$ et $S''\,a''$ non possunt coexistere eidem actui $S'''\,a'''$ quin coexistant inter se. Pari ratiocinio ostenderetur actum $S''''\,a''''$ coexistere tum actui $S'\,a'$ tum actui $S\,a$. Ergo verum est unamquamque præfatarum substantiarum singulis aliis coexistere.

Ex altera autem parte, facile videtur coexistentiam, quam inter illas admittere cogimur, non pro omnibus eamdem esse. Sic actus $S''''\,a''''$ non eodem modo actui $S'''\,a'''$ et actui $S''\,a''$ coexistit; illi enim coexistit immediate, huic vero mediate tantum. Scilicet, non coexistit actui $S''\,a''$, nisi propter coexistentiam quæ invenitur inter $S''\,a''$ et $S'''\,a'''$. Sic iterum, propter eamdem rationem, coexistentia quam, idem actus $S''''\,a''''$ habet cum actu $S'\,a'$ aliquo modo discrepat a coexistentia quam habet tum cum actu $S'''\,a'''$, tum cum actu $S''\,a''$. Constat itaque substantias sibi invicem diversis modis coexistere posse.

173. II° Modus diversus, quo plures substantiæ sibi invicem coexistere possunt, alicujus dependentiæ et subordinationis inter coexistentias fundamentum existit. — Subordinatio et dependentia coexistentiarum ad se invicem, in eo consistunt quod una concipi non possit, nisi in hypothesi alius; hæc alia

iterum, nonnisi in hypothesi tertiæ, etc... Atqui, plurium entium coexistentias ita ad invicem se habere posse facile deducitur ex iis quæ, de diversis modis coexistendi, modo diximus. Sic, coexistentia actus $S'''' a''''$ cum actu $S\ a$, supponit coexistentiam prioris actus cum actu $S''' a'''$, actus $S''' a'''$ cum actu $S'' a''$, actus $S'' a''$ cum actu $S' a'$, actus demum $S' a'$ cum actu $S\ a$. — Unde inter hos actus, quatenus coexistentes, aliqua series et dependentia, aliquis proinde coexistentiæ ordo invenitur. Ergo, ex eo quod diversus esse possit modus coexistendi, sequitur ordinem coexistentiæ inter substantias concipi posse.

III° *Ordinem coexistentiæ inter substantias cum conceptu spatii omnino confundi ostenditur.*

174. Assertiones astruendæ enuntiantur. — Ostendendum hic nobis est conceptum spatii, prout invenitur in unoquoque nostrum, nihil aliud esse quam conceptum ordinis cujusdam coexistentiæ inter entia; id est, ordinem hujusmodi illud esse quod homines confuse et implicite in mente volvunt, quoties de spatio cogitant aut loquuntur. Porrò, conceptus illius præsentia in mente humana non manifestatur, nisi per varias enuntiationes quas de rebus, quatenus in spatio existentibus, quolibet instanti homines proferunt. Scopum igitur intentum assecuti fuerimus, modo, per attentam hujusmodi enuntiationum analysim, probaverimus illas omnes in aliquo ordine coexistentiæ affirmando unice consistere.

Ostendemus itaque 1° omnia judicia, quæ à nobis circa spatium proferuntur, in relationibus coexistentiæ enuntiandis unice consistere; 2° has relationes a diverso ordine, juxta quem entia sibi coexistere concipiuntur, non discrepare.

175. I° Omnia judicia, quæ a nobis circa spatium proferuntur, in relationibus coexistentiæ enuntiandis, unice consistunt. — Hæc enim judicia, uti omnibus notum est, semper pro objecto habent responsionem afferendam huic quæstioni : *ubi?* Porro, non minus constat hujusmodi quæstioni responderi non posse, nisi determinando relationes coexistentiæ entis, cujus *ubi* quæritur, cum aliis entibus; ita ut, si ens quoddam nulli alii coexisteret, ipsius *ubi* determinare impossibile foret; aut potius ens illud *ubi* non haberet.

Hoc magis patebit sequenti exemplo.

Supponamus inquiri *ubinam* inveniatur palatium celebre *Lupara* nuncupatum. Huic quæstioni respondebitur dicendo ipsum inveniri in civitate Parisiensi, ad oram dextram Sequanæ, prope ecclesiam sancti Germani Autissiodurensis, etc..., id est determinando varias res quibus, in civitate Parisiensi, immediate coexistit ; eodemque modo indicabitur *ubi* singulorum ædificiorum præfatæ civitatis. Hoc peracto, si quæratur *ubi* ipsiusmet civitatis Parisiensis, respondebitur assignando relationem coexistentiæ illius cum aliis civitatibus Galliæ, diceturque illam esse in tali Galliæ provincia, in tali distantia a cæteris ejusdem regionis civitatibus, etc... Eodem modo dici poterit Galliam esse in tali parte Europæ, Europam esse in tali parte Terræ, Terram esse in tali distantia a variis sideribus cognitis, quæ mundum constituunt, ideoque in tali parte *mundi*. Si autem quæratur ubinam sit *mundus*, jam responderi non poterit, nec ullum sensum menti exhibet hujusmodi quæstio. Porro, inquirenti cur ita se res habeat, nulla alia occurret ratio, nisi quod mundus totaliter sumptus, cum quælibet entia creata includat, nulli alii enti coexistit, cujus ope illius *ubi* possit determinari.

Verissime igitur concludere possumus omnia judicia nostra circa spatium, in relationibus coexistentiæ enuntiandis unice consistere.

176. IIº HÆ RELATIONES A DIVERSO ORDINE, JUXTA QUEM ENTIA SIBI INVICEM COEXISTERE CONCIPIUNTUR, NON DISCREPANT. — Etenim 1º relatio coexistentiæ quæ singulorum entium spatium constituit, non utique ejusdem est naturæ pro omnibus; alioquin omnia in eodem spatio locarentur, quod profecto non est. Porro, nulla diversitas inter varias entium coexistentias esse potest, præter eam quæ se tenet ex parte ordinis, juxta quem sibi entia coexistunt. 2º Relationes coexistentiæ quas de entibus, quatenus in spatio existentibus, affirmamus, in eo consistunt quod entia ita sibi coexistant, ut sint ad invicem vel contigua, vel plus minusve distantia. Porro, relationes contactus, et distantiæ longioris vel brevioris, nihil aliud menti exhibent quam varios ordines coexistentiæ supra enuntiatos. Contactus scilicet illa est coexistentia vi cujus duo entia ita sibi coexistunt, ut nullo intermedio ad id indigeant : illud autem cum coexistentia immediata, de qua supra, omnino confunditur. Pariter, distantia adest quando duo entia non coexistunt, nisi mediantibus aliis coexis-

tentibus : hoc autem nihil aliud est quam coexistentia mediata, cujus notionem supra exhibuimus.

174. Definitio Leibnitziana admittitur. — Ex his omnibus concludere possumus nos merito spatium cum Leibnitzio definire posse : *Ordinem coexistentium, quatenus coexistentium.*

175. Notio loci. — Notioni spatii connexa est notio *loci;* hæcque ex illa deduci debet.

Juxta communem hujus vocis significationem, locus exprimit spatium quod occupat corpus quoddam determinatum, v. g., ut exemplo jam allato utamur, palatium Luparæ. Hinc patet notionem loci diversam esse debere, pro diversitate opinionum circa naturam spatii in genere.

Quotquot nempe spatium sibi effingunt velut realitatem absolutam, quæ, ad instar immensæ cujusdam capacitatis, omnia corpora in se continet, locum concipiunt tanquam partem determinatam hujus capacitatis, id est tanquam vacuum quoddam limitatum et ad corpus aliquod continendum aptum.

Hanc loci notionem, uti facile constat, admittere non possumus. Apposite autem ad doctrinam modo propugnatam de natura spatii, diceremus locum cujuslibet substantiæ esse *complexionem relationum coexistentiæ quas hujusmodi substantia habet cum universis mundi substantiis.* Definitionis illius sensus ex iis quæ præcedunt satis intelligitur.

176. Corollarium. — *Vacuum purum non existit.* — Per vacuum purum non intelligimus proprie absentiam entium ; sed intelligimus spatium quoddam in quo nulla entia existerent, ut si v. g. conciperentur duo corpora a se invicem plus minusve distantia, inter quæ tamen nulla alia corpora existerent. Porro, facile constat vacuum sic intellectum esse notionem prorsus repugnantem, saltem admissa doctrina superius exposita. Etenim, juxta hanc doctrinam, spatium est *ordo coexistentiæ* : atqui, ubi nulla sunt entia, ibi nullus ordo coexistentiæ esse potest. Ubi igitur entia desunt, spatium quoque deesse debet.

§ 2. *De Tempore.*

177. Definitio temporis juxta Leibnitzium. — Quemadmodum notio coexistentiæ conceptum spatii nobis suppeditat, ita et idea

temporis in notione *successionis* fundamentum habet. Unde merito tempus a Leibnitzio definitum fuit : *Ordo successivorum quatenus successivorum.*

Ut hæc definitio elucidetur simulque astruatur, tres quoque circa illam quæstiones expendemus, nempe : 1° quid sit successio ; 2° utrum aliquis ordo inter res sibi succedentes, relative ad successionem, concipi possit ; 3° utrum conceptus temporis, cum istius ordinis conceptu identificetur.

I° *Quid per successionem intelligi debeat expenditur.*

178. Successionis notio. — Sibi succedere dicuntur *res quæ ita se habent ad invicem, ut initium existendi unius cum cessatione alterius in existentia connectatur*. Istius notionis legitimitas unicuique sufficienter constabit, modo ideæ successionis, quam intra se gerit, sedulo attendat.

Quæritur autem quodnam in entibus conceptus ille fundamentum habeat, seu quomodo fieri possit ut duo vel plura entia ita se habeant ad invicem, ut existendi initium pro uno, cessationem existendi implicet pro altero.

179. Quomodo duo aut plura facta sibi invicem succedere possint, expenditur. — 1° Quodlibet ens reale concipi debet tanquam actus quidam qui iterum duplici constat elemento, *vi* scilicet seu *substantia*, et hujus substantiæ determinationibus seu *modis* (n. 67).

2° Inter entia, plura concipiuntur in quibus posterius elementum non idem semper necessario remanet, quæ scilicet proprietatem habent ab uno statu ad alium transeundi, prout supra explicavimus (n. 140).

3° Duplici ratione concipi potest productio horum statuum, in entibus de quibus agitur. Juxta priorem, nullam productionis relationem ad invicem haberent hujusmodi status ; eorum vero causa unice foret vis seu substantia a quibuslibet modificationibus separata. Juxta posteriorem, causa modorum foret, non substantia pura, sed substantia jam modificata, imo quatenus tali vel tali modo modificata : sicque in verissimo sensu dici posset modos sese invicem producere.

4° Ex his duabus evolutionem substantiarum explicandi rationibus, solam posteriorem admitti posse jam supra diximus (n. 150).

5° Mutatio interna modorum, sic intellecta, successionis conceptum nobis suppeditat. Ex dictis enim duæ res sibi succedunt, quando ita se habent ad invicem, ut initium existendi unius cessationem alterius essentialiter supponat. Atqui, tales sunt ad invicem varii actus quibus substantia, mutationi obnoxia, afficitur. Hi nempe actus se invicem producunt, ideoque sunt alter ad alterum tanquam causa et effectus. At simul iidem actus talis sunt naturæ ut se invicem excludant, adeo ut præsentia unius in substantia cum præsentia alterius sit impossibilis; alioquin substantia, in his constituta, per unumquemque eorum diversimode non afficeretur. In productione igitur actuum, de quibus agitur, ad invicem, illud speciale invenitur, quod causa aliquatenus immutatur per ipsammet operationem qua producit effectum; effectus enim ille in eo præcise consistit quod substantia in aliquo modo constituta, alterum modum sibi conferat. Verissime proinde dici potest status diversos qui in eadem substantia concipi possunt, talem inter se relationem habere, ut initium existendi unius cessationem alterius in suo conceptu essentialiter includat. Porro, ex definitione superius allata, relatio hujusmodi illud est præcise quod successionem constituit.

6° Non solum autem substantia, quatenus modorum mutabilitati subjacet, conceptum successionis perfecte adimplet; addere possumus ex nullo alio fonte hunc conceptum provenire posse. Ut enim duo aut plures termini sibi succedere concipiantur, debent esse ad invicem tanquam potentia et actus; id est, necesse est ut quilibet eorum sit actus qui alterius actus potentialitatem includat, adeo ut in hunc posteriorem sese valeat transformare. Hæc autem relatio non invenitur nisi inter actus diversos et mutabiles quibus affici potest eadem substantia.

7° Non tamen exinde concludere debemus nonnisi inter actus ejusdem substantiæ successionem existere et concipi posse. Etenim, possibile est duas aut plures substantias sibi invicem coexistere, id est, ita unam ad alteram se habere, ut determinatio unius, rationem determinationis alterius includat (n. 168). Porro, supponamus duas substantias in tali relatione versari; sintque

C et C' duo actus per quos ad invicem coexistentiam habent. Vi hujus coexistentiæ, duo actus C et C', licet distincti, unum eumdemque terminum successionis constituunt, seu talem habent inter se connexionem, ut unus non possit alicui termino succedere, quin eidem termino alter succedere dici debeat, et vice versa. Etenim, sit B, v. g., terminus cui C succedit. Ex modo dictis, B et C erunt ad invicem, tanquam potentia ad actum. Sed B non potest esse potentia relative ad C, quin eamdem relationem habeat ad illud omne quod in C, utpote ei coexistens, suam existendi rationem habet, proindeque ad C'. Eo ipso igitur quod C succedit B, C' eidem termino succedere debet. Hinc, ubi duæ substantiæ sibi invicem coexistunt, quidquid de actibus unius, tanquam successionis terminis, enuntiatur, de actibus alterius, item tanquam successionis terminis, enuntiari debet. Unde demum concludere possumus successionem, licet in mutabilitate actuum ejusdem substantiæ primario fundatam, posse tamen existere non solum inter illos actus, sed etiam, mediante coexistentia, inter actus diversarum substantiarum.

II° *Utrum aliquis ordo inter res sibi succedentes, præcise sub respectu successionis, concipi possit, expenditur.*

180. Quæstionis sensus. — Ordinem inter res sibi invicem succedentes in eo sensu existere concipitur, quod inter varios modos quibus plura facta sibi invicem succedere possunt, quædam subordinatio et dependentia sit possibilis; adeo ut facta hujusmodi, vi eorum successionis inter se, totum quoddam efforment.

Hinc, ut ordo, de quo agitur, sit possibilis, duo requiruntur: 1° ut diversi sint modi quibus plura facta sibi invicem succedere possint; 2° ut ex hac diversitate nascantur surbordinatio et dependentia inter successiones.

Quæstio itaque duplicem habet partem seorsim expendendam.

181. I° Facta sibi invicem pluribus modis succedere possunt. — Etenim, possumus concipere seriem terminorum, qui ita sint ad invicem, ut inter unumquemque eorum successionis relatio

intercedat, adeo ut v. g., termino A succedat terminus B, termino B succedat C, termino C succedat D et sic deinceps. Porro, in hac hypothesi, inter præfatos terminos sunt successiones diversi generis. Scilicet, existit successio inter terminum A et terminum B, ut patet. Existit etiam inter terminum A et terminum C; nam si terminus C succedat termino B, succedit a fortiori termino A cui terminus B succedit. Attamen, hæ duæ successiones non sunt ejusdem generis, prior nempe est immediata, posterior vero mediata tantum. Itaque dari possunt successiones diversi generis.

182. II° Modus diversus quo plura facta sibi invicem succedere possunt, alicujus ordinis inter successiones fundamentum existit. — Etenim, ibi invenitur dependentia et ordo ubi plura ita se habent ad invicem, ut unum supponat alterum. Atqui, tales sunt successiones diversi generis quæ inter plures terminos concipi possunt. Etenim, manifestum est successionem mediatam necessario ante se successionem intermediam supponere, si sit mediata uno gradu tantum ; duas successiones, si sit mediata duobus gradibus et sic deinceps. Constat igitur inter varias successiones, aliquem ordinem necessario existere.

Complexio plurium factorum talem successionis ordinem inter se habentium, *seriei* nomine vulgo designatur. Ita concipere debemus varias modificationes, quæ in unaquaque substantia mutationi obnoxia, producuntur. Imo, vi coexistentiæ, qua diversas mundi substantias inter se uniri judicamus, uniuscujusque earum modificationes relationem quamdam successionis ad modificationes aliarum habere dici debent. Unde concipere possumus omnia facta mundi, ut sibi invicem in immensa serie succedentia, proindeque unicum successionis ordinem efformantia.

Ex eo quod singula facta, quæ seriem aliquam constituunt, sibi invicem succedunt, id est, sese ita producunt, ut uno cessante alterum incipiat, sequitur necessitatem existendi nulli eorum tribui posse. Suam igitur rationem existendi habere debent in aliquo ente quod extra seriem inveniatur. Hinc necesse est ut inter terminos cujuslibet seriei unus existat qui *primus* dici possit, et a quo series *initium* sumat. Terminus hujusmodi in eo a cæteris discrepat, quod transeundo a non ente ad ens, alteri proprie non succedat, in eo sensu quod ipsius existentia alterius facti cessationem non induxerit. Tunc enim primus in serie dici non deberet. Nil obstat tamen quin, in illius productione, virtualis et

improprie dicta successio admittatur, qua nempe diceretur succedere, tanquam *ens*, *non-enti suiipsius*.

III° *Ordinem successionis, inter plura facta, cum conceptu temporis omnino confundi, ostenditur.*

183. Assertiones astruendæ enuntiantur. — Ostendendum est conceptum temporis, prout invenitur in unoquoque nostrum, nihil aliud esse quam conceptum successionis inter facta; id est, hujus successionis conceptum illud esse quod homines confuse et implicite in mente volvunt, quoties de tempore cogitant aut loquuntur. Porro temporis conceptus sese in mente nostra non manifestat nisi per varias enuntiationes quas de rebus, quatenus in tempore existentibus, quovis instanti homines proferunt. Scopum igitur erimus assecuti modo, per attentam harum enuntiationum analysim, probaverimus illas omnes in aliquo ordine successionis affirmando unice consistere.

Ostendemus itaque 1° omnia judicia quæ a nobis circa tempus proferuntur, in variis relationibus successionis enuntiandis unice consistere; 2° has relationes a diverso ordine, juxta quem facta sibi succedere concipiuntur, non discrepare.

184. I° Omnia judicia, circa tempus a nobis prolata, in relationibus successionis enuntiandis unice consistunt. — Hæc enim judicia, prout cuilibet attendenti facile constabit, semper pro objecto habent responsionem afferendam huic quæstioni: *Quando?* Porro, constat quæstioni huic responsionem dari non posse, nisi determinando relationes successionis facti, cujus *quando* quæritur, cum aliis factis: ita ut si factum quoddam nec alii succederet, nec factum sibi succedens post se haberet, ipsius *quando* determinare impossibile foret, aut potius *quando* proprie non haberet.

Hoc magis patebit exemplo sequenti.

Supponamus inquiri quandonam Carolus Magnus ad imperium fuerit evectus, respondebitur hoc factum evenisse anno 800 a Christi nativitate. Si iterum quæratur epocha qua Christus natus est, respondebitur: circiter anno mundi creati quater vel quinquies millesimo. Petenti autem quandonam mundus fuerit creatus, responsio dari non poterit, nec ullum sensum habet hujusmodi

interrogatio. Ratio autem, cur res ita sit, nulla alia dari potest, nisi quod initium mundi, cum nulli alii rei succedat, tempus eo ipso proprie non habeat.

Ergo omnia judicia, quæ circa tempus possumus pronuntiare, ad relationes successionis enuntiandas reducuntur.

185. II° Relationes successionis, de quibus agitur, a diverso ordine juxta quem res sibi invicem succedunt non discrepant. — Etenim 1° relatio successionis qua uniuscujusque entis tempus constituitur, non utique eadem est pro omnibus; alioquin, omnes res in eodem tempore conciperentur. Porro, nulla diversitas inter rerum successiones esse potest, præter eam quæ se tenet ex parte ordinis juxta quem entia sibi invicem succedunt. 2° Relationes quæ de rebus, quatenus in tempore existentibus, affirmamus, in eo consistunt quod res ita sibi invicem succedant, ut sint ad invicem plus minusve remotæ in tempore. Atqui hoc nihil aliud est quam successionis ordinem enuntiare; res enim dici non potest magis aut minus ab alia distans in tempore, nisi relative ad ordinem juxta quem hæc illi succedit.

186. Definitio Leibnitziana admittitur. — Nobis igitur concludere licet tempus a Leibnitzio optime definitum fuisse: *Ordinem successivorum quatenus successivorum.*

187. Scholium primum. — Notio prioritatis et posterioritatis; præteriti, præsentis et futuri. — Concepta successione inter plures terminos, statim, tanquam consectaria, concipiuntur, inter illos terminos, relationes tum *prioritatis* et *posterioritatis*, tum *præteriti*, *præsentis* et *futuri*. — Scilicet 1° terminus successionis qui cessare debet, altero existere incipiente, hoc termino *prior* concipitur, proindeque alter terminus ipsi *posterior* dicitur. Prioritas et posterioritas, de quibus hic loquimur, et quæ *temporis* seu *chronologicæ* dici solent, sedulo distingui debent a prioritate et posterioritate *rationis* seu *logicis*. Hæ existere dicuntur inter duo quorum unum rationem existendi alterius continet, licet, per hujus existentiam, existere non cesset: tales sunt prioritas et posterioritas, quæ inter personas divinas in SS. Trinitate deprehenduntur. — 2° Quando varii termini, qui constituunt successionem, relative ad aliquem eorum, qui nec primus sit, nec postremus, considerantur, triplicem classem concipiuntur efformare. Alii scilicet termino, de quo agitur, priores sunt: hi dicuntur relative ad illum *præteriti*. Alii econtra eidem termino pos-

teriores existunt, vocanturque relative ad illum *futuri*. Demum, ipsemet terminus, cui alii comparantur, et qui inter præteritum et futurum medium tenet, dicitur *præsens*.

Termini successionis, quatenus mox enuntiatas relationes inter se habent, *instantia* temporis vulgo nuncupantur. Si autem in successione quadam sumatur series instantium non interrupta hæc series vocatur *epocha*.

188. Scholium secundum. — Notio et mensura durationis exponuntur. — Durationis notio ex notione temporis ultro deducitur. Illud durare dicimus quod existit in tempore. Hinc apposite ad doctrinam modo propugnatam, duratio definiri potest : *Perseverantia substantiæ in existentia, modis sibi invicem in ea succedentibus.*

Quandoque etiam, durationis nomine, designatur ipsamet *complexio successionum quæ in aliqua substantia peraguntur.* In hoc sensu tempus ipsum *durare* dicitur.

Quocumque in sensu duratio intelligatur, duplex est modus illam determinandi, prout medium determinationis ab interno sumitur, aut ab externo.

1° Modus durationem aliquam determinandi ab interno, consisteret in assignando numero successionum quæ, in aliqua substantia, ab illius existentiæ initio effluxerunt. Ex durationis definitionibus modo allatis, patet nullum medium ad illam æstimandam aptius esse posse. In praxi tamen non adhibetur, tum quia impossibile nobis est singulas successiones quas indesinenter percurrit anima nostra, distincte attendere, memoriaque retinere ; tum quia medium istud est prorsus individuale, nec proinde tanquam mensura communis durationis in societate humana adhiberi potest.

2° Durationem igitur singulorum mundi entium de facto non metiuntur homines nisi ab externo. Ad id nempe adhibent solis revolutiones, quarum ope, anni, menses, dies, cæteræque divisiones temporis constituuntur. Legitimitas istius mensuræ fundatur in persuasione nobis innata solares motus uniformes esse, id est, idem semper pro unoquoque nostrum tempus effluere, dum sol talem vel talem spatii partem percurrit. Hæc quidem lex a priori non probatur. Persuasio autem communis hominum circa illud punctum omnino sufficit ut motus solares tanquam durationis mensura adhibeantur.

189. Scholium tertium. — Definitio motus. — Conceptibus spatii et temporis affinis est idea motus, de quo proinde quædam hic addenda sunt.

Motus vulgo definitur : *Status corporis varia loca successive occupantis*. Huic opponitur quies quæ idcirco definitur : *Status corporis in eodem loco perdurantis*. — Quando scilicet vires illæ quibus corpora in se invicem agunt, ita evolvuntur in aliquo corpore, ut ipsius distantia ab alio corpore successive decrescat, tunc quidem ad illud corpus accedere, seu versus illud moveri dicitur. Quiescere e contra dicitur si eamdem distantiam erga alia corpora conservat. — Plures a mathematicis distinguuntur motus et quietis species ; has autem exponere præsentis non est instituti.

Ex hac motus notione sequitur ipsius conceptum a duobus conceptibus temporis et spatii ortum ducere, ita ut tanquam horum conceptuum synthesis haberi possit. Et quidem 1° motus concipitur tanquam evolutio successiva virium corporis ; sub hoc autem respectu, referri debet ad conceptum temporis, quod, ex dictis, in successione essentialiter consistit. At simul 2° ad conceptum spatii pertinet, quatenus pro objecto habet varias relationes distantiæ corporum ad se invicem. Motus igitur recte diceretur : *Tempus in spatio*, seu *Relatio temporis ad spatium.*

Explicata igitur temporis et spatii natura, quidquid ad motum pertinet eo ipso explicatur, proindeque ab ulteriori disquisitione circa illum abstinebimus.

ARTICULUS TERTIUS.

De attributis entium existentium ex spatii et temporis conceptu profluentibus.

190. Horum attributorum notio et divisio. — Attributa in hoc Articulo enumeranda, sunt diversi modi entia existentia concipiendi, relative ad spatium et tempus. In duplici itaque serie apte distribuuntur, prout ad hoc vel illud referuntur.

191. Attributa ex conceptu spatii profluentia. — Ens

quodvis existens duobus modis relative ad spatium concipi potest. Vel nempe talis est naturæ, ut essentialiter omnibus entibus immediate coexistat. Vel illi talis coexistentia essentialis non est; adeo ut, absolute loquendo, vel nullis entibus, vel quibusdam tantum, coexistere posse concipiatur.

Ens, quod priori modo entibus coexistit, omnibus spatii locis præsens invenitur, aut potius legibus spatii, quæ in ordine coexistentiarum fundamentum habent, non subjicitur. Unde, in verissimo sensu, extra spatium existere dici potest. Sub hoc respectu spectatum, ens dicitur *immensum*.

Ens, quod posteriori tantum modo coexistentia cum cæteris entibus frueretur, quæcumque sint de facto illius relationes coexistentiæ, *immensum* dici nequit. In illius enim vi coexistendi limites inveniuntur. Hinc merito dicitur *limitatum*.

Itaque relative ad spatium ens existens concipitur ut *immensum* et *limitatum*.

192. Attributa ex conceptu temporis profluentia. — Duplicem quoque respectum ens existens ad tempus habere potest. Vel enim ita constituitur, ut ipsius actus 1° nihil in se habeat quod incipere aut cessare possit, vi cujus proinde successioni subjaceat; 2° sit simul, idem licet remanens, singulis actibus cæterorum entium essentialiter præsens. Vel, e contra, hac utraque prærogativa destituitur; id est, ipsius actus 1° in se quidem initium habuit et finem habere potest; 2° relationem præsentiæ erga cæterorum entium actus essentialiter non habet.

In priori casu, ens, per actum unicum quo constituitur, in omnibus temporis instantibus, sive realibus, sive possibilibus, invenitur, aut potius legibus temporis quæ in ordine successionum fundamentum habent, non subjicitur. Unde, in verissimo sensu, extra tempus existere ens illud dici potest. Ens, quod talem relationem ad tempus habet, dicitur *æternum*.

In posteriori casu, quæcumque sint de facto sive natura intima actus entis, sive illius relationes præsentiæ ad cætera entia, limitationi in tempore essentialiter subjacet, ideoque *temporaneum* merito dicitur.

Itaque, relative ad tempus, ens existens concipitur vel ut *æternum,* vel ut *temporaneum.*

CAPUT TERTIUM.

De Relationibus mathematicis seu de Quantitate.

Dicemus 1° de quantitate generatim, 2° de variis speciebus quantitatis, 3° de attributis ex conceptu quantitatis profluentibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Quantitate generatim.

193. Definitio quantitatis. — Quantitatem diversimode auctores definiunt. Alii nempe per quantitatem illud intelligunt *quod augeri aut minui potest;* alii quod ut *mensurationis capax concipitur.*

In hoc autem deficere videtur utraque hæc definitio quod primarium et specificum attributum quantitatis non exprimat. Quid enim sit *augeri, minui* et *mensurari*, intelligi non potest, nisi quantitatis natura jam sit agnita.

Melius nostro judicio, quantitas definiretur : *Complexio rerum ab invicem separabilium.* — Dixi 1° *complexio :* per hanc vocem exprimitur res, quantitatem efformantes, nexum quemdam habere ad invicem, vi cujus, uno mentis intuitu

apprehenduntur; sicque spectari possunt tanquam partes constitutivæ *totius* cujusdam. Dixi 2° *rerum ab invicem separabilium*; id est, quarum unaquæque actum proprium et independentem habere concipiatur, ita ut nexus, quo inter se devinciuntur, destrui possit, quin ideo in nihilum recidant.

Res separabiles quæ sua complexione quantitatem constituunt, illiusque elementa dici possunt, vocantur *unitates*. — Quandoque tamen hac voce designant quantitatem quamdam determinatam quæ ad cæteras quantitates determinandas adhibetur.

194. Quantitatis proprietates. — Pluribus proprietatibus gaudet quantitas in genere. Hæ tamen ad duas reduci posse videntur: *multiplicabilitatem* scilicet et *divisibilitatem*. De utraque nonnulla nobis veniunt observanda.

195. Multiplicabilitas definitur. — Sic designatur proprietas *qua quælibet quantitas novas partes seu unitates recipiendi capax invenitur*.

Proprietatem hanc quantitati competere omnino constat. Quantacumque enim supponatur quantitas, semper possibile nobis est illam concipere majorem, et illud sine limitibus.

196. Multiplicabilitatis fundamentum. — Illius facti rationem a priori inveniri existimamus in conceptu infiniti, quod cujuslibet quantitatis conceptum necessario præcedit, saltem logice. Scilicet, quantitatem definivimus: *Complexionem rerum separabilium*. Porro, res illæ aliud esse non possunt quam res creatæ, solæ enim res creatæ concipi possunt a se invicem separabiles. Unde sequitur in conceptu quantitatis implicite includi conceptum creationis, proindeque conceptum potentiæ divinæ, sine qua creatio possibilis non foret. Porro, potentia divina est infinita, et ut talis a nobis apprehenditur;

illa igitur semel concepta, possumus concipere res creabiles absque limite. Hinc possibilitas quantitates quaslibet adaugendi, de qua in præsenti agitur.

197. MULTIPLICABILITATIS CONSECTARIUM. — Hinc vero dicitur quantitatem esse semper *actu finitam*, *potentia* vero *infinitam*.

Est quidem 1° *actu finita*. Semper enim adaugeri potest. Porro quidquid adaugeri potest, eo ipso finitum est; siquidem limites habet. — At simul, aut potius propter eamdem rationem, est 2° *potentia infinita*. Illud enim *potentia infinitum* dicitur, quod quantumvis magnum concipiatur, semper tamen majus concipi potest. Atqui, talis est, ex dictis, quælibet quantitas.

198. DIVISIBILITAS DEFINITUR. — Divisibilitas *ea est proprietas qua cujuslibet quantitatis partes a se invicem separari possunt*. Hanc proprietatem cuilibet quantitati competere facile constat; cum enim ex partibus separabilibus coalescat, necesse est ut partes illæ separari possint a se invicem.

199. AN QUANTITAS IN INFINITUM DIVIDI POSSIT, EXPENDITUR. — Quæritur autem utrum, quemadmodum in infinitum multiplicari, ita et in infinitum dividi queat quantitas.

Distinctione hic opus est, prout agitur de quantitate mere *ideali* aut de quantitate *reali*.

Si agitur de quantitate ideali, cum unitates quibus constat nihil aliud sint quam mentales conceptus, est penes mentis arbitrium illas considerare, vel ut unitates puras, vel ut unitates compositas, ideoque quantitativas. In priori casu, manifestum est quantitatem in infinitum dividi non posse: contradictorium enim foret unitates puras supponere divisibiles. Non ita autem in posteriori casu. Unitates enim quantitativæ in suas partes

divisible à l'infini. Dans ~~la réalité~~ l'abstrait on peut faire des ~~réalités~~ hypothèses qui ne peuvent se faire dans la réalité; ~~si je fais~~ si j'ai un chemin à faire, je puis concevoir que je ne ferai jamais que la moitié du chemin que j'ai à faire, et j'irai ainsi indéfiniment; mais dans la réalité, la distance que j'ai à parcourir ayant un nombre déterminé de pas, si j'en fais chaque jour la moitié je dois enfin arriver à mon but. Les cartésiens ont raisonné sur l'abstrait et de là ont conclu au concret.

iterum dividi poterunt, idemque dici poterit de his partibus, modo sint iterum quantitativæ, et sic in infinitum.

Si agitur de quantitate reali, ipsam in infinitum nequaquam dividi posse existimamus, aliis contrarium propugnantibus. Controversiam hanc quam hic solummodo indigitamus, opportunius in Cosmologia examini subjiciemus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De speciebus quantitatis.

200. Distinctionis specificæ quantitatis fundamentum. — Species quantitatis desumi possunt, vel ex natura unitatum quibus constat, vel ex relatione quam ad se invicem, ad constituendam quantitatem, hæ unitates habere concipiuntur. De priori fonte distinctionis hic non agitur. Natura enim partium ex quibus quantitas coalescit, nihil confert ad naturam ipsiusmet quantitatis, præcise quatenus est quantitas.

Relative ad posteriorem distinctionis fontem, duplex concipitur quantitatis species, prout unitates illam constituentes, vel distincte et separatæ, vel indistincte et quasi sibi invicem copulatæ, a mente concipiuntur. In priori casu, quantitas dicitur *discreta* seu *arithmetica*, in posteriori vero, dicitur *continua* seu *geometrica*. De utraque nonnulla notanda.

201. Quantitatis discretæ definitio. — Quantitas discreta *ea est cujus unitates distincte et separatæ a mente concipiuntur*. Sic, v. g. *decem*, *viginti* sunt quantitates discretæ.

202. Quantitatis discretæ conceptus a conceptu temporis derivatur. — Ut mens distincte concipiat unitates alicujus quantitatis, illas apprehendere debet unam post alteram, seu in successione. Cum autem, ex dictis, conceptus successionis cum

conceptu temporis confundatur, hinc sequitur notionem quantitatis discretæ a notione temporis derivari. Scilicet, quando concipimus plures terminos sibi invicem succedentes, mentis attentio primum versatur circa ordinem, vi cujus talem vel talem locum occupant ad invicem in successione, et sic producitur in nobis conceptus temporis. Si autem, ab illo ordine abstrahentes, non attendimus nisi ad complexionem terminorum sibi ita succedentium, nihil in mente remanebit nisi conceptus quantitatis discretæ.

203. Definitio numeri. — In hujusmodi quantitate, cum quælibet unitas a mente distincte concipiatur, eo ipso possibile est determinare relationem illius ad unitatem, id est, dicere quot unitatibus efformatur. Imo, hæc determinatio in expressione quantitatis discretæ necessario includitur. Porro, *relatio quantitatis cujuslibet ad unitatem qua constituitur* illud est quod *numerus* nuncupatur. Hic, utpote in conceptu quantitatis discretæ necessario inclusus, aut potius ab illius expressione non discrepans, cum illa merito in usu vulgari confunditur.

204. Quantitatis continuæ definitio. — Quantitatem continuam *eam esse diximus cujus unitates a mente non discernuntur, sed sibi invicem copulatæ apprehenduntur.* — Sic, v. g. *linea, superficies* sunt quantitates continuæ.

205. Conceptus quantitatis continuæ a conceptu spatii derivatur. — Mens non potest concipere unitates inter se copulatas, quin illas sibi invicem coexistentes concipiat. Coexistentia autem, ex dictis, conceptus spatii fundamentum constituit. Hinc quemadmodum quantitatis discretæ notio ex notione temporis, ita et quantitatis continuæ notio ex spatii notione profluit. Scilicet quando complexionem plurium entium sibi coexistentium concipimus, illa sibi in aliquo ordine coexistentia, proindeque in spatio apprehendimus. At, abstractionis ope, possumus quoque ad hujusmodi ordinem nullatenus attendere, sed tantum ad pluritatem indeterminatam terminorum sibi coexistentium. Et tunc nascitur in nobis idea distincta quantitatis continuæ.

206. Quantitati continuæ numeri conceptus applicari potest. — Quantitas continua tanquam numerus concipi non potest; alioquin separarentur illius elementa, sicque discreta

fieret. Attamen, possibile est numeri conceptum huic applicare in eo sensu quod, adhibentes pro unitate qualemcumque partem alicujus quantitatis continuæ, pronuntiare possumus quot hujusmodi partes quantitas illa contineat. Sic quotidie dicimus talem lineam 10 aut 20 metris æquivalere.

207. Dimensiones extensionis definiuntur. — Quantitas continua alio nomine nuncupatur *extensio*. Porro, norunt omnes hanc constare quasi tribus formis, quæ illius *dimensiones* dicuntur, *longo*, scilicet, *lato* et *profundo*. Longum absque latitudine et profunditate constituit *lineam*. Longum et latum absque profunditate constituunt *superficiem*. Denique longum, latum et profundum simul efformant *solidum*. Quomodo igitur tres illæ formæ ex nostra quantitatis continuæ notione deriventur paucis dicendum.

Quando concipimus seriem indeterminatam terminorum, qui sibi invicem coexistunt, ita ut A coexistat cum B, B cum C, etc... quantitas continua, quam concipimus, illud est quod *longum* seu *lineam* dicimus. Hujus quantitatis elementa appellantur *puncta* respondentque *unitatibus* quantitatis discretæ. Linea itaque definiri potest : *Plurium punctorum coexistentia.*

At possumus concipere plures lineas esse ad invicem, quemadmodum puncta quæ illam constituunt, alias nempe aliis coexistere. Hinc nascitur idea *lati* seu *superficiei*. Hæc itaque nihil aliud est quam *Plurium linearum coexistentia.*

Demum, concipiendo iterum plures superficies sibi invicem coexistentes, devenimus ad conceptum *profundi* seu *solidi*, quæ ideo definiri potest: *Plurium superficierum coexistentia* .

ARTICULUS TERTIUS.

De attributis rerum existentium ex relationibus mathematicis profluentibus.

208. Horum attributorum notio. — Attributa ex conceptu relationum mathematicarum profluentia, sunt variæ qualitates quæ de entibus enuntiari possunt, pro diversa ratione qua, relative ad quantitatem, se habere concipiuntur. — In du-

plici itaque serie apte distribuuntur, prout ex conceptu quantitatis discretæ, aut quantitatis continuæ, derivantur.

209. Attributa ex conceptu quantitatis discretæ derivata. — Si res quælibet existentes spectentur, relative ad quantitatem discretam, duplici modo sub hoc respectu se habere posse concipiuntur. Primum quidem talis naturæ esse possunt, ut quantitas hujusmodi de his affirmari non debeat, eo quod eorum essentia nonnisi in uno et singulari individuo sit actuabilis. Prærogativa hæc, quam Deo competere infra ostendemus, constituit *singularitatem* seu *unicitatem*. At simul sunt ~~essentiæ~~ res quæ in numero indefinito actuari possunt, quæ proinde quantitati discretæ subjacent: et ita se habent quælibet ~~essentiæ~~ res præter divinam. Hæc prærogativa ea est quam *pluralitatem* nuncupamus. — Duo præfata attributa, prout illa modo definivimus, merito dici possent *singularitas et pluralitas juris*, id est, *essentiales*. Non enim hic agitur de illa singularitatis specie, qua essentia quædam nonnisi in unico individuo actuaretur, licet in pluribus actuabilis existat.

210. Attributa ex conceptu quantitatis continuæ derivata. — Relative ad quantitatem continuam, iidem ac pro quantitate discreta entium existentium concipiuntur respectus. Res scilicet concipi possunt quæ quantitatem hujusmodi a suo conceptu prorsus excludant; hæ res dicuntur *simplices*. Talis est v. g. Deus, et inter res creatas, saltem anima humana. Aliæ autem res inveniuntur quæ econtra quantitatem continuam necessario in se includunt; et illæ dicuntur *compositæ* seu *extensæ*. Talia sunt corpora.

ONTOLOGIÆ GENERALIS

PARS TERTIA.

DE LEGIBUS GENERALIORIBUS ENTIS.

Les lois de l'être ont 2 aspects ; l'être a ses lois éternelles qui sortent de sa nature, il ... être, il a aussi le droit de s'imposer à toute intelligence pour lui dicter des affirmations. ... axiomes qui commanderont toutes les affirmations particulières. ... des affirmations

211. Leges entis definiuntur. — Leges entis sunt *variæ enuntiationes quæ de conceptibus, quorum ope ens apprehenditur, legitime fieri possunt.*

Inter enuntiationes hujusmodi quædam inveniuntur quæ, propter earum evidentiam et generalitatem, cæterarum principia existunt; quæ proinde totius cognitionis humanæ fundamentum constituere merito dici possunt.

Hæ enuntiationes, quas *leges generaliores entis* appellamus, nonnunquam *principiorum ontologicorum,* sæpius vero *axiomatum* (1) nomine designantur.

Præcipuas earum hic enumerare, operæ pretium duximus.

212. I° Quod est, est. — Axioma illud vocari solet *principium essentiæ,* seu *identitatis.*

Adeo veritate præfulget, ut quælibet explicatio aut demonstratio illius evidentiam minueret potiusquam elucidaret. Huic formulæ algebricæ æquivalet: A=A, qua nihil certius dari posse facile constat. A n'est ni plus A ni moins A, il est tout juste. Hégel.

(1) Primus appellationis hujus auctor fuisse videtur Aristoteles. Prima principia sic designavit; eo quod cæteris enuntiationibus ex quibus scientiæ constituuntur, *dignitate* præcellunt; sicque, in scientiis, eodem munere funguntur ac, in societatibus, magistratus et principes. *Axioma* enim idem græce sonat ac latine *dignitas.*

Non solum certissimum est illud axioma; est etiam quasi ratio fundamentalis et ultima omnium enuntiationum quas proferre possumus. Cum enim quælibet enuntiationes ad illud demum reducantur ut identitas quædam inter duos conceptus adesse pronuntietur, facile constat principii supra positi veritatem ab illis necessario supponi.

213. Principium contradictionis. — Idem axioma modo negativo sæpe exprimitur in hac forma : *Res eadem non potest esse simul et non esse.* Sicque expressum nuncupari solet *principium contradictionis,* eo quod enuntiat duo contradictoria, ut sunt *ens* et *non-ens,* de eodem simul vere enuntiari non posse.

Facile constat eamdem esse in utraque forma axiomatis evidentiam. Quæritur autem quænam ex illis prioritatem habeat in alteram, sitque forma primitiva et genuina *principii essentiæ.*

Hanc prærogativam formæ affirmativæ, primum a nobis expositæ, concederemus.

Etenim, dici non potest *rem eamdem non posse esse simul et non esse,* quin concipiatur discrimen inter *esse* et *non esse,* quin proinde ante omnia concipiatur quid sit *esse.* Concipi autem non potest *esse,* quin eo ipso affirmetur. Ergo, affirmatio entis, *ut entis,* præcedit logice affirmationem incompossibilitatis *entis* et *non-entis* ; proindeque judicium istud : *ens est,* seu quod idem est : *quod est, est,* prioritatem habet in illud : *ens non est non-ens,* seu, aliis verbis : *Res eadem non potest simul esse et non esse.*

214. IIo Affirmandum est de re aliqua quidquid ad ejus essentiam pertinet ; de ea negandum est quidquid ab ejus essentia excluditur ; nec affirmare de re eadem, nec negare licet, quidquid in ejus essentia non includitur, nec ab ea excluditur. — Veritas hujus axio-

matis per se patet. Et quidem 1° quod affirmari debeat de re aliqua quidquid in ejus essentia includitur, manifestissimum est; si enim hoc immerito affirmaretur, ens sua essentia privari posset, id est seipsum non esset. — 2° Negari debere quidquid ab eadem essentia excluditur, non minus constat. Illud enim ab essentia alicujus rei excludi dicitur, quod foret negatio proprietatum, quibus constituta supponitur: negare igitur de ente quod ab ejus essentia excluditur, nihil aliud est quam proprietates ipsi essentiales affirmare, quod fieri debere ex prima parte axiomatis compertum est. — 3° Demum, nec affirmari de re, nec negari debet, quidquid nec in ejus essentia includitur, nec ab ea excluditur. In hoc quoque nulla difficultas esse potest. Proprietates enim, de quibus agitur, rei sunt accidentales: porro quidquid hujusmodi est, nec negari debet de re, nec affirmari. Non quidem negari, siquidem non repugnat quod illud habeat: non magis affirmari; cum enim ab essentia rei non profluat, fieri potest ut in ea re non inveniatur.

215. III° Essentia est illud quod in ente primum cognoscitur. — Essentia enim exprimit rei alicujus quidditatem. Porro, nihil de quolibet ente cognosci potest, nisi, saltem ex parte, *quid* illud sit cognitum habeamus.

216. IV° Nihili nullæ sunt proprietates. — Id est, quod nihil entis habet, nullarum quoque proprietatum subjectum esse potest. Res per se patet. Proprietates enim, ex dictis, sunt speciales quædam entis determinationes: ubi igitur non est ens, nec proprietates concipi possunt.

217. V° Ab actu ad posse valet consecutio. — Sensus axiomatis hic est. Posito quod res quævis actu existat, eo ipso habet in suo conceptu omnem saltem realitatem, quæ in re exigitur, ut sit possibilis.

Ejusdem axiomatis veritas per se patet. Etenim res in

actu constituta aliquid profecto amplius dicit quam meram possibilitatem. Sed facile constat minus in ampliori contineri, ideoque de eo qui habet amplius, a fortiori minus posse affirmari.

218. VI° A POSSE AD ACTUM NON VALET CONSECUTIO. — Sensus est quod non liceat concludere existentiam alicujus rei ex eo solo quod possibilitatem habeat.

Illud quoque evidentissimum est. Nam existentia plus dicit quam meram possibilitatem. Porro, quod dicit plus, in eo quod minus dicit non includitur, ac proinde ex eo deduci non debet. — Quidam tamen huic axiomati exceptionem esse apponendam admittunt pro ente infinito, ex cujus possibilitate, recte concluditur ipsum actu existere. Existimamus autem præfatum axioma omnimoda generalitate gaudere, nec in casu, de quo agitur, huic ullatenus derogari. In hoc enim axiomate quæstio est tantum de ente quod in statu meræ possibilitatis conciperetur, seu, in cujus conceptu, non includeretur actualis existentia. Porro, talis non est Deus, quem in statu meræ possibilitatis concipere nequaquam possumus.

219. VII° POSSIBILI POSITO IN ACTU NIHIL SEQUITUR ABSURDI. — Absurdum dicitur illud quod contradictionem includit. Sensus igitur axiomatis est nullam contradictionem inveniri in eo quod actuali existentia præditum supponatur ens possibile.

Hinc patet quam verum sit illud axioma. Possibile enim præcise dicitur quod existens supponi potest, absque contradictione; impossibile est igitur quod ulla contradictio sequatur ex hypothesi illius actuationis.

220. VIII° ACTUS PRIOR EST POTENTIA. — Sensus axiomatis est nullum ens possibile esse posse, quin existat actu ens quoddam in quo illius potentialitatis ratio inveniatur, quod proinde in hanc potentialitatem prioritatem habeat.

Ratio ejusdem axiomatis hæc est. Possibilitas plus utique dicit quam merum nihilum ; ideoque aliquid entis et positivi in suo conceptu includit. At simul dici nequit ens illud et positivum esse aliquid per se existens ; tunc enim non possibile sed actuale foret. Necesse est igitur ut contineatur in aliquo ente actu existente, quod nempe ratione milliusexistentiæ in se possideat, illoque prius existat.

221. IX° A POSSE AD ACTUM TRANSITUS NON FIT NISI PER CAUSAM. — Id est, posito quod essentia quædam actuationem necessario non includat, aut potius, posito quod ens, cujus est archetypum, in statu meræ possibilitatis concipi possit, nullo jam pacto ad actuationem ens illud pervenire potest, nisi per efficaciam et operationem alicujus causæ, id est, alicujus entis in actu jam constituti.

222. NECESSITAS AXIOMA ISTUD SEDULO EXPONENDI. — Axioma illud *principium causalitatis* vocari solet. Cum, ex una parte, frequentissime in scientiis adhibeatur, præsertim philosophicis ; et, ex altera parte, a pluribus auctoribus vel perperam expositum, vel impugnatum fuerit, specialem curam in illius expositione adhibendam esse existimavimus.

Tria de hoc axiomate quærenda veniunt : 1° quænam sit illius accuratior expressio ; 2° utrum a priori in intellectu existat ; 3° utrum et quare sit veritati conforme.

223. PRINCIPII CAUSALITATIS ACCURATIOR EXPRESSIO. — Principium istud non eodem modo omnes exprimunt. Vulgaris ipsius formula sic se habet : *Omnis effectus supponit causam*, seu *Non datur effectus sine causa*. De qua propositione advertendum est quod ipsius prædicatum nempe *supponens causam* et ipsius subjectum nempe *effectus* non sint nisi eadem prorsus idea diversis vocibus expressa. Nam *effectus* idem sonat ac *illud quod efficitur*. *Illud autem quod efficitur*

non discrepat ab *eo quod habet causam*. Unde axioma, sic expressum, ad id reducitur : *Illud quod efficitur, efficitur.* Porro, propositio hæc reipsa non discrepat a principio identitatis supra exposito, nec proinde ut expressio veritatis cujusdam specialis haberi potest.

Hinc plurimi recentiores præfatæ principii causalitatis expressioni hanc aliam substituerunt : *Quidquid existere incipit, causam habet*, seu *Omnis eventus supponit causam ;* in qua enuntiatur conditio, qua posita, res aliqua inter effectus computari debet. Statuit enim ad id requiri ut res illa *existere incipiat.* Hæc igitur formula duos conceptus distinctos enuntiat de invicem, ideoque præcedenti anteponenda videtur. — In hoc tamen deficit, quod ultimam rationem non afferat cur res aliqua nonnisi effectus esse potest. Hæc enim ratio desumi non debet ex eo quod res aliqua incipiat existere ; sed ex eo quod res illa talis sit naturæ, ut necessario habeat initium existendi.

Porro, natura alicujus rei exigere non potest ut habeat initium existentiæ, nisi in quantum ita constituitur ut concipi posset indifferenter, vel in statu possibilitatis, vel in statu existentiæ ; unde sequitur ipsius actuationem transitum a posse ad actum, proindeque initium existendi arguere. Vera igitur et genuina principii causalitatis expressio ea est quam supra exhibuimus, scilicet : *A posse ad actum transitus non fit, nisi per causam.*

224. Principii causalitatis origo. — Non eadem est hoc de puncto auctorum sententia.

Alii nempe existimaverunt principium causalitatis non provenire nisi ex experientia sæpius repetita. Cum enim, aiunt, mens nostra experta sit omnes eventus a seipsa perceptos causam habuisse, exinde facile potuit concludere, ope generalisationis, idem de quibuslibet eventibus dici debere. Hinc

principium causalitatis in nobis non foret nisi consectarium factorum experientia perceptorum, proindeque *a posteriori* dici deberet.

Alii contendunt præfatum principium independenter a quavis experientia a nobis cognosci. Experientia quidem nobis inservit ut illud casibus peculiaribus applicemus, imo ut illius cognitio distincta efficiatur. Hæc autem cognitio, in se spectata, necnon et ratio cur principium, de quo agitur, admittimus, nullatenus ab experientia profluunt. Sunt igitur in nobis *a priori*.

Posteriorem hanc opinionem solam teneri posse ratum habemus. Et illud quidem manifeste sequitur ex modo dicendis de interna illius principii evidentia. Insuper, facile constat experientiam prorsus insufficientem esse ad principium causalitatis explicandum. Primum enim experientia de causis eventuum penitus tacet. Deinde, ex modo quo factum quoddam incipit existere, nihil circa modum quo aliud factum existere incipiet, nobis licet concludere. Tandem, principio per meram mentis generalisationem *a posteriori* efformato, ille non competeret necessitatis character quo præditum nobis apparet causalitatis principium.

225. Principii causalitatis veritas. — Circa veritatem principii causalitatis triplex opinio inter philosophos distingui debet.

Plurimi nempe, ut Humius, Kantius, etc... nullum prorsus valorem objectivum huic principio competere docent, ipsum vero habent, vel ut præjudiciorum et erroris fœtum, vel ut legem mentis nostræ, necessariam quidem, sed nullam cum veritate objectiva connexionem habentem. Alii hujusce principii veritatem agnoscunt; certitudinem vero, quam de illo habemus, fundari contendunt, non in ipsius evidentia intrinseca, seu in essentiali repugnantia quæ inveniretur in eo quod aliquid a posse ad actum transeat sine causa;

sed in fide naturali, seu in propensione qua naturaliter ad illud admittendum impellimur. Alii demum dicunt principium causalitatis esse per se evidens, ipsiusque fundamentum esse ipsummet principium identitatis; adeo ut sine contradictione dici non possit, *transitum a posse ad actum causam non requirere.*

226. Principium causalitatis fundatur in principio identitatis. — Cum his postremis standum putamus, principiumque causalitatis in ipsomet identitatis principio fundari arbitramur.

Hoc nobis probatum erit, modo ostendamus ideam *rei transeuntis a posse ad actum,* in idea *rei causam habentis* essentialiter includi. Atqui, illud constat. Etenim, prior ex his ideis, quæ subjecti vices gerit, duo includit : nempe, possibilitatem alicujus rei, et transitum ejusdem rei a possibilitate ad actum. Porro, nec possibilitas rei, nec transitus rei a possibilitate ad actum, absque causa concipi possunt. — Et quidem 1° possibilitas rei implicat causam ad rem illam producendam efficacem. Nam, prout jam ratiocinati sumus, possibilitas, cum aliquid positivum exhibeat menti, realitatem objectivam habere debet, quæ non in se, sed in alio ente actuetur. Nunc vero, evidens est existentiam possibilitatis alicujus entis in alio ente, nihil aliud menti dicere quam potestatem quæ huic competit illud producere, seu ejus causam esse. Ergo, conceptus possibilitatis, causæ conceptum essentialiter implicat.—2° Idem dici debet de transitu possibilitatis ad actum. Transitus enim ille includit ideam alicujus mutationis; idea mutationis includit ideam operationis; operatio autem non concipitur sine operante seu causa (Cf. Rosmini, *Nouvel Essai sur l'Origine des Idées,* t. I, s. 4, ch. 3, art. 23).

227. X° Existentia singularium est. — Id est, ens aliquod, eo ipso quod actu existit, non potest esse aliquid gene-

rale, sed singulare tantum. — Hoc axioma deducitur ex his quæ diximus supra de impossibilitate res generales ad existentiam perducendi (n. 92). Ulteriori itaque expositione non indiget.

228. XI° QUODLIBET ACCIDENS SUPPONIT SUBSTANTIAM. — Hoc axioma vulgo nuncupatur *principium substantiæ*. Sensus illius est quod accidentia, quæ hic pro modis adhibentur, nequaquam a substantia separari posse. Hoc autem ex supra dictis de natura substantiæ et modorum (n. 68 et seqq.) ultro deducitur.

229. XII° MODUS ESSENDI SEQUITUR ESSE. — Per *modum essendi* alicujus entis, hic intelligitur complexio omnium, quæ in ente existente inveniuntur, ipsiusque actum constituunt. Per *esse* autem intelligitur ipsummet illius existentiæ factum. Hoc posito, sensus præfati axiomatis est quod de omnibus, quæ inveniuntur in ente, enuntiari possunt proprietates quæ ipsimet enti competunt; ita ut si ens sit necessarium, æternum, etc... quidquid in eo est, sit necessarium, æternum, etc... si sit contingens, temporaneum, etc., quidquid in eo est, sit quoque contingens, temporaneum, etc...

Hoc axioma probatione vix indiget. Cum enim ens reale non distinguatur ab omnibus elementis quibus illius actus constituitur, quod de uno dicitur, de aliis necessario dici debet.

230. XIII° NIHIL FIT NISI PROPTER FINEM. — Sensus istius axiomatis per se evidens est. Illius autem veritas sic astrui potest. Ex principio causalitatis, nihil effici potest, quod in aliqua causa suam existendi rationem non inveniat. Hæc autem causa, vel cum intelligentia agit, vel non. In priori casu, axioma applicationem habet; hoc enim præcise actionem intelligentem constituit, quod fit intuitu cujusdam finis. In posteriori casu, idem dici debet. Causa enim intelligentia carens ultima esse non potest; sed, uti supra ostendimus,

suæ existentiæ suarumque actionum rationem invenit in causa intelligenti a seipsa distincta. Hinc de ipsismet evolutionibus causæ intelligentia destitutæ dici debet illas fieri propter finem, non quidem ab hac ipsa causa intentum, sed a causa intelligenti quæ illi dat esse et agere.

231. XIV° QUI VULT FINEM VULT MEDIA. — Sensus est impossibile esse quod agens, quicumque sit, velit serio obtinere finem, simulque non velit media ad illum conducentia.

Principium hoc evidentissimum est. Nam, qui serio vult aliquid, vult simul illud omne quod essentialem cum objecto suæ volitionis connexionem habet. Alioquin, contradictoria foret hæc volitio, id est, qui eam eliceret, vellet simul et nollet rem eamdem. Porro, finis connexionem essentialem habet cum mediis, sine quibus obtineri nequit ; ut per se patet. Ergo, etc...

EXPLICIT ONTOLOGIA GENERALIS.

PRÆLECTIONES
PHILOSOPHICÆ

IN

MAJORI SEMINARIO CLAROMONTENSI

PRIMUM HABITÆ.

Auctore L. B., S. Sulpitii Presbytero.

SECUNDA EDITIO

Penitus recognita et emendata.

> Verbum erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joann., 1, 9.
>
> Ideæ sunt formæ quædam principales et rationes rerum quæ in intelligentia divina continentur. S. Aug., lib. 83 *Quæst.*, q. 46.

THEODICEA.

NANNETIS,

Apud R. MAZEAU, Bibliopolam-Editorem, via dicta *de l'Evêché.*

PARISIIS,

Apud J. Leroux et Jouby, facultatis Theologiæ Bibliopolas, Via dicta *des Grands-Augustins*, 7.

1855.

Nannetis, excudebant MASSEAUX et BOURGEOIS, via dicta *Pas-Périlleux*, 10.

INDEX THEODICEÆ.

Pag.

PRÆLECTIONES

PHILOSOPHICÆ.

THEODICEA.

1. Theodiceæ definitio. — Theodicea (1) *ea est Philosophiæ pars cujus objectum est Deus.*

In hac definitione, sola vox *Deus* explicatione indigeret. Cum autem is præcise sit scopus Tractatus quem aggredimur, ut *Dei* conceptus, quantum fieri potest, adæquate exponatur, quoad nunc sufficiet generaliorem illius entis notionem piæ oculis ponere.

Dei nomine intelligimus ens quoddam cæteris entibus natura et perfectionibus longe præstans ; cujus existentia, nec initium habuit, nec finem habere potest ; sub cujus ditione et dominio universa constituuntur ; cui amor cunctaque religionis officia debentur, etc... Talem esse notionem quam, in omnibus temporibus et locis, homines sibi de Deo effinxerunt plus minusve explicite, omnium populorum monumenta testantur.

Cognitiones variæ, quas de Deo habemus, in duplicem seriem apte distribuuntur. Aliæ scilicet solius rationis naturalis ope demonstrari possunt ; aliæ vero fundantur in auctoritate

(1) Theodicea, juxta vim nominis (Θεός δίκη), idem sonat ac *justitia Dei*. Hæc denominatio originem habere videtur in inscriptione operis celeberrimi quod, ad justitiam divinam adversus impiorum impugnationes vindicandam, Leibnitzius edidit. Exinde mos invaluit ut tractatus, in quo de Deo adæquate spectato philosophi disserunt, *Theodiceæ* nomen, etymologico sensu paululum immutato, assumeret.

Dei seipsum nobis supernaturaliter revelantis. De prioribus tantum, ut satis patet, in Theodicea philosophica tractandum venit. Hæc ideo quandoque definitur : *Scientia eorum quæ de Deo naturaliter cognosci possunt.*

2. THEODICEÆ DIGNITAS. — Theodiceæ dignitatem, et in alias Philosophiæ partes eminentiam satis ostendit excellentia ipsius objecti. Hinc Seneca : « Quantum inter Philosophiam » interest et cæteras artes, tantum interesse existimo, in ipsa » Philosophia, inter illam partem quæ ad homines, et hanc » quæ ad deos spectat. Altior est hæc et animosior : multum » permisit sibi : non fuit oculis contenta : majus esse quiddam » suspicata est ac pulchrius, quod extra conspectum natura » posuisset. Denique tantum inter duas interest, quantum » Deum inter et hominem. Altera docet quid in terris agen- » dum sit ; altera quid agatur in cœlo. Altera errores nostros » discutit, et lumen admovet quo discernantur ambigua vitæ : » altera vero hanc supra caliginem in qua volutamur excedit, » et e tenebris ereptos illo perducit unde lucet. » (*Quæs. natur.*, Præf.)

3. THEODICEÆ UTILITAS. — Quemadmodum autem in Philosophia nihil Theodicea dignius, nihil quoque hac parte scitu utilius. Nam 1° nulla profecto cognitio majorem utilitatem homini confert, quam cognitio principii a quo venit, finis quem, post hanc vitam, consequi debet, et mediorum quibus utendum est ut ad finem illum perveniat. Ea autem omnia nos edocet Theodicea. Et quidem, Dei creatoris existentiam demonstrando, nobis illum exhibet tanquam principium a quo profluit existentia nostra, simulque tanquam finem ad quem, quatenus ipsius creaturæ, tendere debemus. Ea autem quæ de ejusdem Providentia, sapientissimaque rerum omnium ab ipso gubernatione nos edocet, nobis ostendunt quidnam de illius justitia aut misericordia post hanc vitam timendum aut sperandum habemus, simulque ordini morali firmissimum confert fundamentum. — 2° His addi potest Theo-

diceam viam sternere S. Theologiæ, cujus est, ut ita dicam, introductio necessaria. Hæc enim scientia tota fundatur in verbo divino externe hominibus per revelationem manifestato: unde necessario supponit, tum verbum istud reipsa fuisse prolatum, tum ipsum ad homines certos efficiendos sufficientem habere auctoritatem. Porro, ex his duobus, posterius saltem nobis constare non potest, nisi præhabita præsenti Philosophiæ parte, in qua nempe, solius luminis naturalis ope, perfectiones divinas, proindeque impossibilitatem in qua versatur nos decipiendi, nobis ipsis demonstramus.

4. Theodiceæ divisio. — Tria in Deo consideranda veniunt: 1° illius *Essentia*, qua nempe in suo esse intelligibili constituitur; 2° *Existentia* quæ huic essentiæ essentialiter competit; 3° *Operatio* demum, qua, in suo actu constitutus, per aliorum entium actuationem, ad extra sese manifestat.

De his igitur in triplici Parte disseremus.

Interea vero, tantum opus aggressuri, et de tam præcelsa tamque eximia natura dicturi, Deum enixe precamur, ut hunc Tractatum, quem ad majorem illius gloriam incipimus, benigne excipiens, ipse mentem nostram illuminare, manumque dirigere non dedignetur; ne quid incautum tantave majestate indignum e nostro excidat calamo.

THEODICEÆ PARS PRIMA.

DE ESSENTIA DEI.

5. Primæ partis objectum. — Quid per *essentiam* alicujus entis intelligi debeat jam compertum nobis est. Hac nempe voce exprimitur, ut aiunt, *entis quidditas*, id est:

Illud per quod ens est id quod est, abstrahendo ab illius existentia.

Quodnam sit objectum primæ hujus Theodiceæ Partis, hinc facile colligitur. In hac scilicet, abstrahentes a quæstione infra tractanda utrum Deus existat, in id toti erimus ut naturam conceptus intelligibilis, quem *Dei* nomine exprimere solent homines, determinemus.

Hac essentiæ divinæ determinatione præsentem Tractatum incipiendum esse duximus. Etenim, cum essentia illud sit per quod primario ens constituitur; in ea proinde reponi debet ultima ratio enuntiationum omnium quæ de illo ente proferri possunt; unde iterum sequitur nulla judicia esse possibilia, nisi aliquali saltem notione præhabita essentiæ entis circa quod versantur. Hinc de Deo tractaturi, ante quamlibet circa illum disquisitionem, et ab ipso Theodiceæ limine, de illius *essentia* debemus disserere.

6. Primæ partis divisio. — Tria nobis de Essentia divina inquirenda veniunt: 1° quomodo specifice ab aliis essentiis distinguatur, seu quænam sit illius *nota primaria;* 2° quomodo, vi hujus notæ, in suo esse constituatur, seu quænam sit ejus *intima constitutio;* 3° quomodo tandem, in suo actu constituta, sese nobis præbet concipiendam.

SECTIO PRIMA.

DE NOTA PRIMARIA ESSENTIÆ DEI.

7. Hujusmodi notæ definitio. — Nota primaria essentiæ Dei, seu illius *differentia specifica*, ea est divinæ essentiæ proprietas *qua Deus speciem distinctam, inter cætera entia, efformare concipitur.* Consistit in determinatione quadam

conceptus generalioris entis in genere, qua posita, mens statim sibi repræsentat realitatem hanc quam Dei nomine exprimere solemus.

De hac nota inquirendum venit 1° quænam illa sit? 2° quinam sint varii conceptus, quorum ope, hæc nota apprehendi potest? et quel est le pur concept sous lequel Dieu se présente à nous

I° *Nota primaria essentiæ Dei determinatur.*

8. Notæ primariæ dotes. — Ut aliqua proprietas merito dici possit nota primaria alicujus entis, duæ dotes illi competere debent. Requiritur nempe 1° ut sit enti huic exclusive propria: alioquin in specie a quavis alia distincta ipsum non constitueret. Requiritur 2° ut, inter notas eidem enti exclusive proprias, primum locum teneat; adeo ut, ex una parte, nihil ante se præsupponat, præter conceptum entis in genere, ex altera vero, cæteræ omnes notæ illam præsupponant et ab ipsa deriventur. Evidens est enim quod nota quæ vel aliquam entis in genere determinationem præsupponeret, vel aliarum entis notarum fons non esset, ens illud in sua specie non constitueret, nec proinde *primaria ipsius nota* dici deberet.

Ad determinandam itaque notam Dei primariam duo præstanda nobis erunt : 1° diversas notas Deo exclusive proprias summatim enumerabimus ; 2° quænam inter illas primum locum teneat, postea expendemus.

9. Notæ Deo exclusive propriæ summatim enuntiantur. — Variæ enuntiationes quas de Deo, quatenus a cæteris entibus specifice distincto, proferimus, quæ proinde sua complexione conceptum Dei, prout in nobis invenitur, efformant, triplicem notarum classem comprehendunt. Scilicet :

1° Deum habemus tanquam auctorem omnium quæ sunt, celle par laquelle Dieu aut esse possunt. Persuasum itaque nobis est et nos et omnia rapport avec le monde mundi entia ab ipso originem ducere, gubernari, et ad finem suum, tuta providentia, deduci. Hæc de Deo enuntiare non

possumus, quin illum concipiamus tanquam causam, cujus efficacia nullis limitibus circumscribitur, proindeque *omnipotentia* donatam.

2° Dum autem omnia entia rationem suæ existentiæ in Deo inveniri existimamus, ipsum a nullo alio ente productum fuisse pronuntiamus. Illi nempe tribuimus existentiam prorsus independentem et absolutam, cujus ratio invenitur in propria ipsius natura, qua proinde nullo pacto privari potest. Unde ab eo removendum censemus quidquid relativum existentiæ includit, ut v. g. existentiam in tali vel tali tempore, in tali vel tali spatii parte, tali vel tali posita hypothesi, etc... Nota quæ hæc omnia in suo conceptu complectitur, est *necessitas essendi*.

3° Denique nobis effingimus Deum tanquam ens cæteris entibus excellentia naturæ suæ præstans; quod nempe imperfectiones et limitationes cujuscumque generis prorsus ignorat, a quo econtra omnes perfectiones in eminentissimo gradu possidentur. Hinc, quidquid reale, quidquid verum et bonum cogitari potest, quidquid melius est habere quam non habere, Deo tribuimus. Hæc omnia una eadem enuntiatione exprimuntur dicendo Deum esse *omnem entis plenitudinem*.

Notæ igitur Deo propriæ, quibus nempe a cæteris entibus secernitur, sunt : 1° *omnipotentia*, 2° *necessitas essendi*, 3° *entis plenitudo*.

10. Controversia exponitur. — Omnes, præter sophistas perpaucos a nobis in decursu confutandos, præfatas notas Deo competere agnoscunt. Quænam autem, inter illas, primaria dici debeat inter auctores non convenit. Opinionem a nobis propugnatam sequentes theses declarabunt.

11. Thesis prima. — *Nota Dei primaria in illius omnipotentia reponi non debet.*

Prob. — Hæc Dei nota primaria dici non debet, quæ concipi nequit, nisi tanquam consectarium aliarum notarum divinæ essentiæ constitutivarum. Atqui, talis est omnipoten-

tia. Omnipotentia enim est illa Dei prærogativa qua cæterorum entium causa esse potest. Atqui, ut Deus concipiatur tanquam causa, omnino requiritur ut concipiatur jam existens; vis enim causandi seu existentiam conferendi, existentiam in illius subjecto essentialiter prærequirit. Unde sequitur omnipotentiam divinam nonnisi tanquam consectarium ipsius existentiæ concipi posse. Nunc vero, existentia, utpote actuatio essentiæ, sine essentia in sua specie constituta concipi non potest. Ergo, antequam Deus concipiatur omnipotens, essentiam in sua specie constitutam jam habere debet; ergo, illius omnipotentia non potest esse nisi consectarium aliarum notarum essentiæ divinæ constitutivarum; ergo tandem, nota primaria hujus essentiæ in ipsa reponi non debet.

12. Thesis secunda. — *Nota Dei primaria non est ejus necessitas existendi.*

Prob. — Hæc enim essentiæ divinæ prærogativa, illius nota primaria non est, quæ nonnisi tanquam consectarium alterius in ea concipi potest. Atqui, talis est existendi necessitas.

Etenim, necessitas existendi consistit in essentiali connexione quæ invenitur inter essentiam alicujus entis et illius existentiam; adeo ut ens illud, sine repugnantia, in statu meræ possibilitatis supponi non possit. Hæc autem connexio concipi nequit, nisi prius concipiatur aliquid quod sit illius fundamentum, aliqua nempe quidditas, quæ essentiam entis, de quo agitur, a cæteris essentiis ita discriminet, ut hæ quidem in mera potentialitate, illa autem nonnisi in actu esse possit. Necessitas igitur existendi aliquid ante seipsam in ente præsupponit cujus est consectarium. Unde, licet ad essentiam entis pertinere dici possit, illius tamen notam primariam non constituit.

13. Thesis tertia. — *Nota Dei primaria in eo consistit, quod omnem entis plenitudinem in se contineat.*

Prob. — Inter Dei notas, hæc primaria dici debet, quæ

primum inter illas locum occupat, quæ scilicet 1° nullam notam ante seipsam præsupponit, præter *esse in genere;* quæ 2° notarum omnium Deo propriarum rationem in se continet. Atqui, talis est nota, de qua agitur.

1° *Nullam notam, præter esse in genere, ante seipsam præsupponit.* — Etenim, hæc nota nullam aliam notam ante se præsupponit, præter ens in genere, quæ nihil aliud menti exhibet quam determinationem entis in genere in aliquo intensitatis gradu : varii enim gradus entis illud sunt per quod immediate constituuntur essentiarum species; ideoque inter ens in genere et ipsius determinationem in aliquo gradu, non datur conceptus medius. Atqui, *plenitudo entis* nihil aliud menti exhibet quam determinationem entis in genere in aliquo intensitatis gradu. Evidens est enim plenitudinem entis habere, idem esse, ac de ente, juxta altissimum gradum, participare. Ergo, etc...

2° *Rationem in se continet notarum omnium quæ Deo tribui possunt.* — Nulla enim nota Deo tribui potest quæ non exprimat aliquam perfectionem, proindeque aliquid entis. Hoc posito, manifestum est varias notas de Deo enuntiabiles, in nota, qua ut entis plenitudinem possidens concipitur, implicite contineri, ac proinde ab ea posse deduci. Qui enim dicit *plenitudinem entis,* quidquid in suo conceptu ens quocumque modo includit, eo ipso comprehendit.

Ergo, etc...

II° *Notæ Dei primariæ forma genuina et primitiva determinatur.*

14. Enumerantur conceptus quorum ope, nota Dei primaria exprimi potest. — Proprietas omnem plenitudinem entis possidendi, in qua notam Dei primariam reposui-

mus, sub triplici præcipua forma a nobis apprehenditur: vel nempe tanquam *esse supremum*, vel tanquam *esse infinitum*, vel demum tanquam *esse simpliciter*.

Quinam conceptus per illas voces enuntientur; in quonam tum sibi invicem conveniant, tum a se invicem discriminentur; quisnam demum ex his conceptibus ut forma primitiva et genuina notæ primariæ Dei haberi debeat, seorsim expendendum.

15. QUID SIT ESSE SUPREMUM. — *Supremum* generatim dicitur, quod, inter plura, altissimum obtinet gradum, seu, aliis verbis, quod in se eminenter continet proprietatem quæ in minori gradu ab aliis possidetur. Igitur, *esse supremum* nihil aliud exprimit quam illam dotem qua Deus omnibus entibus superior existit, relative ad ens; qua proinde hæc omnia in seipso eminenter continet.

16. QUID SIT ESSE INFINITUM. — *Infinitum* illud nuncupatur, quod a suo conceptu quoscumque limites excludit. Duplex vulgo distinguitur: *potentiale* scilicet et *actuale*. Priori modo infinitum dicitur illud quod, in præsenti quidem limites habet, nova autem incrementa sine fine suscipere potest: talis est infinitas quæ competit quantitati. Posteriori modo infinitum dicitur quod, in præsenti, quibuscumque limitibus caret, quod proinde nova incrementa suscipere non potest. Hoc solum, ut satis per se patet, infiniti nomen proprie meretur. Hinc sequitur *esse infinitum* exprimere ens a quo excluduntur omnes limites in genere entis, quod proinde quamlibet negationem entis a suo conceptu repellit.

Vix advertere necesse est, ens illa prærogativa donatum, concipi non debere ad instar extensionis cujusdam immensæ, nullisque terminis circumscriptæ; aut etiam ad instar numeri perfectionum qui initio simul et fine careat. Nulla enim quantitas, nullus proinde numerus infinitate actu prædita esse possunt (*Ont. gen.*, n. 195). Ens igitur infinitum concipere

debemus tanquam realitatem simplicissimam, in qua nullus defectus, nullaque negatio invenitur.

17. **Quid sit esse simpliciter.** — Quid sit *esse* jam supra (*Ont. gen.*, n. 6), quantum nobis possibile fuit, determinavimus. Quisquis porro probe intellexerit quid sit *esse*, facile intelligere potest quid sit *esse simpliciter*. Scilicet *esse simpliciter* illud dicitur quod *est*, juxta totam vim istius vocis; quod ideæ *esse* plene et adæquate respondet; quod proinde a nihilo totaliter discrepat.

Hinc patet vocem *simpliciter* hic non poni ad exprimendum modum quemdam specialem essendi; sed tantum ut mentis attentio in comprehensionem vocis *esse* magis feratur. *Ens* igitur *simpliciter*, idem est ac *ens* sine addito, *ens* absque ulla restrictione.

Hinc etiam videtur quantum intersit discriminis inter *esse simpliciter* et *esse in genere*. Etenim, *esse in genere* nihil aliud est quam conceptus mentis abstractus, quo exprimitur illud commune quod invenitur in universis speciebus essentiarum, vi cujus nempe sunt aliquid quod a mero nihilo distinguitur (*Ont. gen.*, n. 17). Unde, concludi debet *ens in genere* esse aliquid prorsus indeterminatum, quod in se nullam realitatem nec actualem, nec possibilem, habere potest (*Ibid.*) Non ita est autem de *esse simpliciter*. Exprimit enim aliquid valde determinatum, imo aliquid quo nihil determinatius esse potest; cum positivum cujuslibet determinationis exprimat. Nec de omnibus essentiarum speciebus prædicari potest *esse simpliciter*. Cum enim, ex dictis supra, a se invicem distinguantur illæ essentiæ per gradum entis (*Ont. gen.*, n. 107); unaquæque earum non *est simpliciter*, sed tantum *secundum quid*.

18. **Quid commune, quid diversum præfati conceptus inter se habeant, expenditur.** — Quo magis pateat natura conceptuum modo expositorum, non inutile erit illos ad se invicem comparare, et quid commune, quid diversum inter

illos existat determinare. De his conceptibus, sub hoc respectu consideratis, hæc notanda veniunt.

1º In eo inter se conveniunt quod unusquisque eorum exprimat plenitudinem entis. Sive nempe de aliquo ente dicatur quod sit supremum, sive quod sit infinitum, sive quod sit simpliciter, per unumquodque ex his enuntiatis, pariter affirmatur omnes gradus entis in illo ente inveniri. Etenim, posito quod in aliquo ente plenitudo entis inveniatur, jam triplex conceptus, de quo agitur, de illo enuntiabilis est, ut patet. Posito econtra quod ens aliquod ente non fruatur nisi juxta gradum determinatum, jam ens illi superius concipitur, in limitibus circumscribitur, non est nisi secundum quid; ideoque *esse simpliciter, esse infinitum, esse supremum* illi non competit.

2º Itaque, tres illi conceptus inter se discrepare non possunt, nisi tanquam diversi respectus, sub quibus plenitudo entis consideratur.

Vel nempe plenitudo entis consideratur in se, id est, quatenus præcise conceptum entis perfecte adæquans; tunc concipitur ut *esse simpliciter.*

Vel eadem plenitudo concipitur quatenus excludens omne negativum, quod in singulis gradibus entis seorsim consideratis invenitur; tunc concipitur ut *esse infinitum.*

Vel demum consideratur ut continens in seipsa modo præstantiori singulas essentias; id est, ut essentiam constituens quæ, ex una parte, cæterarum essentiarum ens contineat, ex altera vero, plus entis habeat quam quælibet earum. Tunc plenitudo entis concipitur ut *esse supremum* (*Ont. gen.* n. 111, 112 et 113).

3º Hinc concludere est tres illos conceptus in se et objective identificari, et solummodo per mentis abstractionem a se invicem distingui. In unoquoque igitur eorum eadem nota specifica agnosci debet: proindeque non tres essentias specifice distinctas, sed unam tantum determinant.

19. FORMA GENUINA NOTÆ PRIMARIÆ DEI EST ESSE SIM-

PLICITER. — Expendendum nobis remanet, circa tres conceptus modo enuntiatos, quisnam eorum exhibeat formam genuinam, quæ scilicet melius et perfectius notam primariam essentiæ divinæ exprimat.

Hæc porro prærogativa tribuenda videtur conceptui quo Deus apprehenditur ut *Ens simpliciter*.

Scilicet, inter hunc conceptum et duos alios istud, ex modo dictis, discriminis adest, quod hi quidem Dei notam primariam exprimant per comparationem inter essentiam divinam et cæteras essentias, sive sub respectu earum negativi, sive sub respectu earum positivi, consideratas; dum ille Deum definit nobisque concipiendum præbet per illud solum quod est in se, et absque ulla ad quodlibet ens comparatione. Porro, ex his duobus modis Dei naturam exprimendi, posterior utique anteponendus est.

Etenim, ex duobus modis entis alicujus naturam concipiendi et exprimendi, ille tanquam perfectior anteponendus est, qui ordini realitatis objectivæ conformior existit, qui nempe ens definit, prout objective se habet. Atqui, talis est relative ad Deum modus illum concipiendi per illius *esse simpliciter*, et absque ulla ad quodlibet ens ab ipso distinctum comparatione. Objective enim, cum nulla sit essentia quæ esse et concipi possit, nisi præsupposita et præconcepta essentia Dei, hæc igitur ante quamlibet aliam suo *esse* fruitur, proindeque ipsius conceptus objectivus modo absoluto, seu independenter a conceptu cujuslibet alius entis, constitui debet.

20. Definitio Dei. — Deum igitur definire possumus: *Ens simpliciter*. Hac appellatione plus de illo enuntiamus ac si illi innumerabiles tribueremus perfectiones. Dicendo enim tantummodo quod *Est*, exprimimus illum non ad talem vel talem modum determinari, non per talem vel talem gradum entis constitui, sed prorsus absolute. Verbo dicam, enuntiamus in illius comprehensione includi quidquid entis et realis rationem habet, quidquid positive cogitationem terminare potest. Alio-

quin, simpliciter dici non deberet eum *Esse:* non esset *Ens* (*l'Etre*), sed *aliquod ens* (*un être*).

Hinc patet quam sublimis et vera sit hæc suiipsius definitio quam Deus, populo Hebræo transmittendam, Moysi tradidit: *Ego sum* QUI SUM. *Sic dices filiis Israel:* QUI EST, *misit me ad vos* (*Exod. c.* 3, *v.* 14).

SECTIO SECUNDA.

DE INTIMA CONSTITUTIONE ESSENTIÆ DEI.

21. Quid sit intima constitutio alicujus essentiæ. — Per intimam essentiæ alicujus constitutionem intelligimus ***modum essendi proprium huic essentiæ, quatenus in tali vel tali specie per notam primariam determinatæ.***

Scilicet, nota primaria determinat in quonam gradu essentia quævis de ente participat. Realitas autem positiva, vi cujus essentia, illo gradu prædita, aliquid objectivum dicit, et res cogitationi distincte terminandæ apta efficitur, illud est quod *constitutionem intimam* hujus essentiæ appellamus.

Hinc constitutio intima alicujus essentiæ ab illius nota primaria profluit, tanquam consectarium a principio.

Constitutio intima essentiæ divinæ est mysterium quibuslibet rationis humanæ investigationibus prorsus impervium; non enim, uti infra ostendemus, Dei essentiam proindeque illius intimam constitutionem cognoscimus, nisi valde imperfecte et inadæquate. Sufficere itaque nobis debet brevissimas adnotationes de hujusmodi objecto subjungere.

Quidquid in ente cogitationem nostram objective terminat, reducitur ad triplicem characterem *unitatis, veritatis* et *bonitatis*, qui ideo conceptum entis adæquate constituit. Uniuscujusque igitur entis intima constitutio nihil aliud esse potest

quam modus essendi illius sub hoc triplici respectu. Proinde, ut intimam Dei constitutionem, quantum possibile nobis est, determinemus, quænam sit illius *unitas, veritas* et *bonitas* seorsim dicendum.

I° *De Unitate Essentiæ divinæ.*

22. Unitatis notio. — Unitas in genere est *character quo res aliqua est indivisa in se ;* id est, pluralitatem rerum separabilium non constituit (*Ont. gen.*, n. 37).

23. Utrum unitas divinæ essentiæ competat. — Expendendum nunc venit utrum hujusmodi character in essentia divina inveniatur. Jam porro nobis constat nullam esse essentiam quæ illo carere possit (*Ont. gen.*, n. 41). Ad id igitur reducitur quæstio utrum essentia divina distinctam et proprie dictam essentiam constituat, utrum proinde characteribus communibus essentiarum sit prædita.

Scilicet, ex Sectione præcedenti, nota quæ divinam essentiam in sua specie primario constituit est : *esse in supremo gradu, esse infinitum, esse simpliciter.* Porro, non defuerunt sophistæ qui contenderint objectum ideale quod hujus notæ ope concipitur, non esse essentiam distinctam quæ realiter in sua comprehensione omne ens eminenter contineret ; sed potius collectionem omnium essentiarum finitarum quæ uno eodemque conceptu apprehensæ, vere menti nostræ entis plenitudinem exhibent. Igitur, in illorum mente, *ens simpliciter*, *infinitum* , *supremum*, mera esset abstractio mentis nostræ, quæ in conceptu essentiarum finitarum tota fundaretur.

Contra quos sit

24. Thesis. — ***Ens simpliciter, infinitum, supremum, non meram collectionem essentiarum finitarum exprimit, sed essentiam distinctam et proprie dictam.***

Prob. — 1° Conceptus entis simpliciter, infiniti, supremi, et conceptus collectionis essentiarum finitarum, duo sunt conceptus valde distincti. Prior enim exprimit tantum *esse* absque ulla restrictione; dum posterior ad *esse* multiplex objective terminatur. Atqui, inter *esse* absque restrictione et *esse* multiplex, adest essentiale discrimen.

Prob. — 2° Quælibet ex essentiis finitis ens non habet, nisi determinatum, et in quibusdam limitibus circumscriptum. Atqui, repugnat talium entium aggregationem, entis simpliciter conceptum adæquare: quantumvis enim multiplicentur, semper concipi poterit quod novis entibus eorum collectio adaugeatur; proindeque realitatem entis simpliciter nunquam adæquabunt.

Prob. — 3° Demum hypothesis quam confutamus supponit entia finita concipi posse per se sola, et independenter ab ente infinito. Atqui, illud falsum est. Ens enim finitum non concipitur nisi ut aliqua participatio de ente. Participatio autem de ente non concipitur nisi prius concipiatur *ens* in sensu absoluto, id est, ens simpliciter. Ergo, etc...

25. SCHOLIUM. — Non solum essentia divina est aliquid unum, habenda est insuper ut suprema regula unitatis, in eo sensu quod cæteræ essentiæ unitatem habere dici non possunt, nisi quatenus illis cum essentia divina, aliquis competit similitudinis gradus. Cum enim essentia divina constituatur per *esse simpliciter*, quidquid in aliis entibus invenitur, præcise quatenus sunt entia, suum archetypum, suamque formam exemplarem in hac essentia invenire debet.

II° *De Veritate Essentiæ divinæ.*

26. VERITATIS NOTIO. — Veritas in genere, exprimit *adæquationem* seu *conformitatem perfectam inter rem et ejus intellectionem* (*Ont. gen.*, n. 43). Quatenus autem est pro-

prietas essentiæ non differt ab hujus intelligibilitate, id est, consistit in illo charactere quo essentia est ab intellectu apprehensibilis (*Ibid.*, n. 44).

27. Thesis. — *Essentia divina est veritate prædita.*

Prob. — 1° Veritas, sic intellecta, omnibus et singulis essentiis competit, tanquam character sine quo esse non possunt (*Ont. gen.*, n. 46). Essentia igitur divina eodem charactere debet insigniri. — 2° Veritas, cum positive concipiatur, objectivitatem habere debet, ideoque saltem in aliquo ente inveniri. Hoc posito, ipsam Deo competere omnino necessarium est; Deus enim, utpote Ens simpliciter, quidquid positive et objective apprehenditur, in seipso habet. — 3° Demum, Deus, prout ostendemus in Sectione proxime sequenti, intelligitur a mente nostra; intelligibilitate igitur, proindeque veritate est præditus.

28. Quomodo constituatur essentiæ divinæ veritas. — Intelligibilitas, ideoque essentiæ veritas concipi nequit nisi per relationem ad aliquem intellectum. Posito itaque quod in aliquo ente veritas inveniatur, eo ipso existere debet subjectum quoddam intelligens quod illud ens intelligibiliter apprehendat, illique per actum intellectualem quem producit, veritatem conferat. Cum igitur essentia divina sit veritate prædita, inquirendum venit cujusnam intellectus ope Deus in sua veritate constituatur. Hanc quæstionem solvet sequens

29. Thesis. — *Deus in sua veritate constituitur per actum intelligentiæ quo seipsum apprehendit.*

Prob. — Dei veritas in aliquo actu intellectuali fundari debet. Actus autem ille intellectualis nihil aliud esse potest quam cognitio quam Deus habet de seipso, cujus nempe eadem essentia divina est simul subjectum et terminus.

Vel enim res ita est, vel dicendum est actum hujusmodi ad Deum quidem objective terminari, a subjecto autem produci quod a Deo distingueretur. Atqui, posterius dici nequit.

Etenim 1° Deus, in hac hypothesi, deberet, ut characterem sibi proprium acquireret, intelligentiam a seipso distinctam objective terminare. Hoc autem essentiæ divinæ omnino repugnat. Essentia enim divina, utpote ens simpliciter, ita constitui debet, ut in se habeat quidquid requiritur ad conceptum entis adæquate terminandum, id est, ad ens completum efficiendum. Porro, ens quod, ad acquirendum characterem ipsius constitutivum, intelligentiam a seipso distinctam terminare debet, in se non habet quidquid requiritur ad conceptum entis adæquate terminandum. Ergo, etc.

2° Intelligentia hæc quæ, extra Deum posita, illius essentiam per suum actum veram efficeret, in aliquo subjecto reali, proindeque in aliquo ente recipi deberet. Hoc autem ens vel suum archetypum habet in essentia divina, vel non. Si prius; ergo, essentia divina propriæ cognitionis actum, ideoque veritatis suæ fundamentum, in seipsa continet. Si posterius; ergo, omne ens in Deo non invenitur, nec iterum Deus dici potest *esse simpliciter*.

3° Subjectum intelligens, quod intelligibilitatem conferret essentiæ divinæ, non potest ens distinctum habere, quin simul intelligibilitate sit præditum; nulla enim essentia hac dote privari potest. Hoc posito, vel intelligibilitatem hanc desumit ex seipso, vel ex Deo, vel ex alio ente. — *Si primum*, subjectum intelligens, de quo agitur, concipi debet ut aliquid summe intelligens, summeque intelligibile; possidet itaque plenitudinem entis, solumque *Dei* nomine appellari meretur. — *Si secundum*, ergo, Deus in suo *esse* per illud subjectum constitueretur, simulque idem subjectum in illius *esse* constitueret, id est, illo esset simul prior ac posterior, quod repugnat. — *Si tertium*, eadem redit difficultas, et sic in infinitum.

30. Scholium. — Non solum essentia divina *vera* dici debet; est præterea regula suprema veritatis, in eo sensu quod veritas quæ singulis essentiis necessario competit, in ipsa fundamentum habet. Etenim hæ essentiæ in divina essentia continentur

(*Ont. gen.* n. 34). Actum igitur intellectualem, quo seipsum Deus cognoscit, objective terminant, et suam ab illo intelligibilitatem et veritatem desumunt.

III° *De Bonitate Essentiæ divinæ.*

31. Bonitatis notio. — Bonitas in genere exprimit *convenientiam inter rem et voluntatem,* seu aptitudinem rei ut voluntatem terminet et ab illa ametur, seu iterum rei amabilitatem (*Ont. gen.* n. 50).

32. Thesis. — *Essentia divina est bonitate prædita.*

Prob. — 1° Bonitas, sic intellecta, omnibus et singulis essentiis competit, tanquam character, sine quo esse non possunt (*Ont. gen.*, n. 52). Essentia itaque divina eodem charactere debet insigniri. — 2° Bonitas est aliquid positivum ; in Deo igitur in quo omne positivum invenitur, inveniri debet. — 3° Demum, Deus est nobis objectum amoris ; amabilitate igitur, ideoque bonitate est præditus.

33. Quomodo constituatur essentiæ divinæ bonitas. — Bonitas essentialiter dicit respectum ad voluntatem. Unde, posito quod in aliquo ente character hujusmodi inveniatur, necessario dari debet voluntas quædam quæ ad illud ens suum terminet amorem. Cum igitur essentia divina sit bonitate prædita, inquirendum venit cujusnam voluntatis ope essentia hæc in sua bonitate constituatur. Hanc quæstionem solvet sequens

34. Thesis. — *Deus in sua bonitate constituitur per actum voluntatis quo seipsum summopere diligit.*

Prob. — Dei bonitas in aliquo amoris actu fundari debet. Actus autem ille amoris in Deo inveniri debet, non solum quoad objectum, sed et quoad subjectum, seu, quod idem est, nihil aliud esse potest quam voluntatis actus quo Deus seipsum summopere diligit.

Etenim, quilibet actus amoris præviam objecti amati intellec-

tionem essentialiter prærequirit; nil enim volitum quin præcognitum. Necesse est igitur ut actus quo objectum quoddam amatur, et actus quo idem objectum cognoscitur, ab eodem subjecto producantur. Porro, supra demonstratum fuit actum cognitionis quo Deus in sua veritate constituitur, aliud subjectum habere non posse quam ipsummet Deum. De actu igitur amoris, quo in sua bonitate constituitur, idem dici debet.

Idem præterea facile probari posset rationum momentis quibus supra demonstravimus actum cognitionis quo divinæ essentiæ veritas constituitur, a subjecto extra essentiam divinam posito produci non posse.

35. Scholium — Non solum essentia Dei *bona* dici debet; est insuper suprema totius bonitatis regula, in eo sensu quod bonitas, quæ singulis essentiis competit, in ipsa habet suum fundamentum. Ratio est quod essentiæ omnes, utpote in divina essentia contentæ, actum amoris quo seipsum Deus prosequitur objective terminant, et suam ab ipso bonitatem mutuantur.

Corollarium.

36. Essentia itaque divina, quatenus est ens simpliciter, infinitum et supremum, in suo esse constituitur per duplicem actum, aut potius per unum eumdemque actum, cujus, ut ita dicam, duplex est forma: *intellectus* scilicet et *amor*. Per priorem, Deus seipsum cognoscit; et perfecta adæquatio quæ invenitur inter utrumque hujus cognitionis terminum, nimirum inter Deum cognoscentem et Deum cognitum, producit essentiæ divinæ *veritatem*. Per posteriorem, Deus sibimetipsi suam essentiam statuit tanquam terminum voluntatis; et perfecta convenientia quæ invenitur inter Deum amantem et Deum amatum, constituit essentiæ divinæ *bonitatem*. Demum, hæc omnia in eadem et indivisibili essentia peraguntur; nonobstante igitur hac respec-

l'unité c'est ce qu'il y a de primitif dans les choses, c'est Dieu même, c'est la réalité qui se manifeste [illegible] [illegible] qui [illegible] par [illegible] [illegible], qui [illegible] par son unité.
Nous concevons Dieu comme ayant la vie; mais parceque nous le concevons [illegible] [illegible] que les choses sont ainsi. L'essence et l'existence se confondent en Dieu

tuum et terminorum varietate, essentia divina suam retinet *unitatem*.

Hinc concludere possumus Deum in summo gradu possidere 1° *independentiam*, 2° *vitam*, 3° *beatitudinem*.

1° *Possidet independentiam*. — Independentia enim est prærogativa qua ens in seipso habet quidquid ad intimam illius constitutionem requiritur. Ens proinde independentia frui merito dicitur, quod nullum respectum ad terminum exteriorem, sine quo esse et concipi non posset, per se habet. Talem porro Deum esse ex dictis facile constat.

2° *Possidet vitam*. — Per *vitam* vulgo intelligunt complexionem actionum quas entia producunt vi spontaneitatis ipsis innatæ : sic motus organici, in plantis et animalibus ; sic etiam operationes intellectuales et voluntariæ, in substantiis spiritualibus, hujusmodi entium vitam constituunt. Vere igitur Deus, quatenus per intellectum et amorem operans, vivere dici debet, eoque perfectius quo perfectiori spontaneitate gaudet in suis operationibus. Imo cum omnia alia entia, ut pote a Deo producta et conservata, ab eo *vivere* receperint, non tantum de eo quod *vivat*, sed quod *vita* sit affirmandum est.

3° *Possidet beatitudinem*. — Beatitudo enim in eo consistit quod omnes entis appetitiones, sive intellectuales sive voluntariæ, perfecte satientur et quietentur plena sui objecti consecutione, ita ut nihil jam enti appetendum remaneat. Atqui hoc de Deo, sub duplici illo respectu, prædicari posse, ex dictis constat. Facultas quidem ipsius cognoscendi perfecte quietatur per contemplationem suiipsius, in quo omnia intelligibilia cognoscit. Facultas quoque amandi ; cum enim nullum bonum concipi possit quod in Deo non inveniatur, tota capacitas amandi qua pollet, suiipsius amore et possessione perfectissime quietatur. Deus igitur est infinite beatus ; imo et beatitudinem in ipso inveniri dici potest, eo quod nullum ens nisi per illum, seu per illius cognitionem et amorem, beatum esse possit.

SECTIO TERTIA.

DE MODO QUO ESSENTIA DIVINA, IN SUO ESSE CONSTITUTA, SESE INTELLECTUI HUMANO PRÆBET CONCIPIENDAM.

37. Quæstiones expendendæ enumerantur. — Circa modum quo essentia divina sese nobis concipiendam præbet, plures moventur quæstiones difficiles, quas ne quidem indicare hic possumus. Tractatus præsentis utilitatem solummodo attendentes, expendemus 1° utrum aliquam Dei ideam habeamus; 2° utrum idea hæc sit positiva, an negativa; 3° utrum tandem sit comprehensiva, an incomprehensiva.

I° *Utrum intellectus humanus aliquam Dei ideam habeat.*

38. Controversia exponitur. — Omnes admittunt intellectum humanum Dei ideam habere, in eo sensu quod mente concipimus ens quoddam huic mundo superius et a quo cunctæ res existentes procedunt. Utrum autem ens illud præcise ut ens simpliciter, infinitum et supremum concipiamus, inter auctores non convenit. Pauci nempe, inter quos P. Buffier, contra plerosque asserunt ens actu infinitum et illimitatum a nobis concipi non posse. Juxta illos igitur idea quam exprimit vox *infinitum*, nihil aliud est quam idea *infiniti potentialis*, rei scilicet quæ incrementa sine fine suscipere potest. Contra quos sit

39. Thesis. — *Habemus ideam entis actu infiniti.*

Prob. — 1° Fatentibus adversariis, habemus ideam entium finitorum quæ, juxta eorumdem confessum, a nobis concipi non possunt, nisi cum proprietate incrementa recipiendi sine termino. Atqui, talis idea ideam infiniti actu necessario suppo-

nit. Etenim, ut concipiam ens quoddam adaugeri posse, necesse est ut habeam conceptum realitatis qua privatur, proindeque entis majoris illo. Et si agatur de ente quod sine fine adaugeri possit, hanc in eo proprietatem concipere non potero, nisi simul habeam conceptum realitatis quæ tanta sit, ut nunquam exhauriri possit aut adæquari. Atqui, talis realitas est præcise infinitum actu. Ergo, etc.

Prob. — 2° Illius entis veram habemus ideam, quod secernere valemus a quolibet alio. Atqui ens actu infinitum secernere valemus a quolibet alio. Præter ipsum enim nihil existit nisi entia finita. Porro, nemo est qui ens infinitum a quolibet ente finito facile non secernat. Contendunt quidem adversarii nos non posse ens infinitum actu ab ente indefinito secernere. At in hoc manifeste hallucinantur, quod existiment ens indefinitum mediam constituere realitatem inter ens infinitum et ens finitum, inter quæ evidens est nullum medium dari posse. Vel enim habet limites vel non : si prius, est finitum, et tunc illud ab infinito secernere poterimus ; si posterius, est infinitum, et tunc adversarii nobiscum sentiunt.

Prob. — 3° Si nulla nobis entis infiniti actu inesset idea, nullum prorsus huic voci sensum annecteremus, aut saltem per illam nihil aliud intelligeremus quam realitatem finitam. Atqui rem ita se non habere experientia constat : nemo est enim qui vocibus *ens infinitum*, sensum non adjungat plane diversum ab eo quem in mente excitant voces *ens finitum*.

Prob. — 4° Imo ipsamet controversia quæ nunc discutienda nobis est, nostram thesim astruit. Cum enim ne suspicari quidem valeamus realitatem objecti cujus nullam habemus cognitionem, si nulla nobis entis infiniti actu idea esset, de hujusmodi ideæ præsentia in mente nostra expendenda, nequidem cogitare possemus, nec proinde de illa disputare. Quando igitur adversarii contendunt, argumentisque probare nituntur, ideam, de qua agitur, in mente nostra non inveniri, vel nescire prorsus quid dicant, vel sibi contradicere

convincuntur. — Nonne iterum sibi contradicunt dum ideam infiniti actu denegando, hujus tamen entis existentiam admittunt? Quomodo enim ipsis constare potest de existentia rei cujus nullam ideam se habere profitentur?

40. Objicies. — Concipere non possumus ideam entis infiniti in ente finito proindeque in anima inveniri. Porro, quod concipere non possumus admittere non debemus. Ergo, ideam infiniti actu in anima inveniri admittere non debemus.

Resp. Dist. maj. — Concipere non possumus, etc. id est, *non valemus apprehendere quomodo id fiat*, concedo; *concipimus in hoc repugnantiam inveniri*, nego. — *Dist. min. in eodem sensu*, nempe quod concipere non possumus admittere non debemus, *quando illud repugnare nobis constat*, concedo, *secus*, nego.

Nunc vero, fatemur libenter nos assequi non posse modum quo entis infiniti idea menti nostræ præsens efficiatur; at ne minimam quidem in hoc deprehendimus repugnantiam. Imo, tuto pronuntiare possumus illud esse possibile, cum præsentia ideæ infiniti in nobis sit factum inconcussum; *nam ab actu ad posse valet consecutio*, prout fert axioma ontologicum.

41. Instab. — *Prob. maj. in sensu distinctionis, probo* nempe *præsentiam ideæ entis infiniti in nobis prorsus repugnare.* — Etenim, omnes modi animæ sunt finiti. Atqui, præsentia ideæ entis infiniti modum infinitum in ea argueret. Ergo, præsentia ideæ entis infiniti in anima repugnat.

Resp. Neg. min. — Idea enim alicujus objecti, ex dicendis in Psychologia, nihil aliud in mente supponit præter intuitionem illius objecti. Hanc autem intuitionem infinitatem aliquam in subjecto supponere, quando objectum est infinitum, demonstrari nequit. Quinimo, modificationem mentis, de qua agitur, finitam esse directe ostendi potest. Si enim aliter esset, cognitio quam habemus de infinito, infinita foret: atqui, infinita non est; perfectior enim facile concipi potest.

II° *Utrum idea Dei in intellectu humano positiva sit, an negativa?*

42. Ideæ positivæ et negativæ notio. — *Positiva* dicitur idea, quando objectum quod, illius ope, menti præsens

efficitur, in se concipimus. — Idea autem *negativa* est, quando objectum, in se quidem non apprehenditur, sed per negationem alterius objecti in se et positive apprehensi. Sic idea *nihili* negativa est; quia nihilum, cum nullam realitatem habeat, objectum ideæ esse nequit, nec aliud est quam mera entis negatio. Ob rationem contrariam, idea *entis* est positiva, quia ens est aliquid reale quod per se potest apprehendi.

43. Quæstio statuitur. — Nunc autem, quæstio est utrum inter ideas negativas, an inter ideas positivas, idea Dei, quatenus infiniti, sit annumeranda. Omnes facile intelligunt quanti sit momenti quæstionem hanc sedulo expendere. Si enim idea, de qua agitur, positiva dicitur, jam valorem objectivum habet, et, ex illius præsentia in mente, aliquid circa realem essentiæ divinæ existentiam possumus concludere. Si econtra, negativa est, jam nihil prorsus extra nos supponit, quatenus idea infiniti, nec quidquam ex illa circa realem existentiam Dei possumus concludere.

44. Controversia exponitur. — Duplex circa illud punctum profertur opinio. Dum enim plerique auctores ideam entis infiniti positivam esse strenue propugnant; nonnulli, præsertim inter sensualistas, contrarium tenendum esse existimant. Hi scilicet, entis infiniti ideam in nobis sic explicant. Sola objecta quæ positive et per se apprehendimus, sunt varia objecta finita. Unde, abstractionis ope, nascitur in nobis idea finiti in genere. In idea autem finiti in genere objective spectata, duo distinguere est elementa : reale scilicet quo ens finitum constituitur, et limes quo terminatur. Ex his duobus elementis, si prius denegemus, nascitur in nobis idea nihili; si econtra, servata realitate entis finiti, ipsius tantummodo limites removeamus, nascitur in nobis idea entis sine limitibus, id est, entis infiniti. Hæc igitur idea nihil aliud est quam conceptus finiti in genere, cujus, per abstractionem, negantur limites.

Contra hos auctores sit sequens

45. Thesis. — *Idea entis infiniti est positiva.*

Prob. — Idea entis infiniti nihil aliud exhibet menti præter ens : ens enim infinitum illud dicimus quod omnem realitatem continet absque ullo limite. Atqui, idea quæ nihil aliud exhibet menti præter ens, est necessario positiva. Ergo, etc...

Probatur minor. — Si aliter esset, id est, si idea quæ nihil aliud exhibet menti, præter ens, negativa esse posset, aliquid positive apprehenderetur, cujus negatio hanc ideam produceret. Atqui, nihil potest positive apprehendi, cujus negatio producat ideam entis. Illud enim vel est ens, vel nihilum. Si prius, per suam negationem, ideam entis producere nequit; ens enim enti non opponitur, nec proinde illius negatio esse potest. Si posterius, positive apprehendi nequit, nihilum enim positive apprehendi contradictorium est. Nihil igitur potest positive apprehendi cujus negatio ideam entis producat. Ergo, idea quæ nihil aliud exhibet menti, præter ens, est positiva. Ergo, demum idea entis infiniti est positiva.

III° *Utrum idea Dei in intellectu humano comprehensiva sit an incomprehensiva?*

46. Ideæ comprehensivæ notio. — Idea comprehensiva ea est quæ ens exhibet adæquate sumptum, id est, quæ exprimit omnes omnino illius proprietates. Posito igitur quod talem de Deo ideam haberemus, ipsum cognosceremus quemadmodum seipsum cognoscit. Talem porro non esse ideam qua Deum apprehendimus in confesso est apud omnes. Sit igitur

47. Thesis. — *Idea Dei seu Entis simpliciter non est comprehensiva.*

Prob. — Hæc idea comprehensiva non est, qua præsente, multa de illius objecto ignoramus, quæ pluribus obscuritatibus

et mysteriis admiscetur, etc... Atqui, talis est idea quam de Deo habemus. Ergo, etc...

Præterea, si Deum comprehensiva idea perciperemus, nostra intelligentia illius intelligentiam adæquaret, ideoque infinita esset. Atqui, illud repugnat. Ergo, etc...

48. Corollarium. —Dei igitur idea comprehensiva in Deo solo invenitur. Solus enim Deus intellectum habet qui essentiam suam perfecte adæquat; solus itaque seipsum adæquate et comprehensive cognoscere potest.

49. Objicies. — Idea non comprehensiva ea est qua objectum nobis non fit notum, nisi quoad aliquam ipsius partem. Atqui, de idea Dei illud dici nequit. Cum enim unica constet proprietate, nempe *esse*, nullæ in eo partes distingui possunt, proindeque vel totum, vel minime, cognoscatur necesse est. Ergo...

Resp. Dist. maj. — Idea non comprehensiva ea est qua objectum non fit notum nisi quoad ipsius aliquam partem, *in eo sensu quod objectum illud, quamvis menti totaliter præsens, subobscure tamen et imperfecte ab ea cognoscatur*, concedo; *in eo sensu quod reipsa pars aliqua tantum objecti a mente apprehendatur, cæteris partibus prorsus semotis*, nego. — Nempe, quando dicimus ideam nostram de Deo comprehensivam non esse, istius locutionis sensus non est quod Deus dividatur in plures partes quarum una, aut altera tantum, nobis innotescat: hoc enim nihil absurdius dici potest. Sensus autem a nobis intentus est, quod *ens divinum*, licet menti nostræ totaliter præsens, ab ipsa tamen non cognoscatur cum eo perfectionis gradu quo seipsum intuetur. Quomodo quidem fieri possit ut ens quoddam, ex una quidem parte, totaliter a nobis apprehendatur, utpote aliquid simplicissimum; ex altera vero parte, nonnisi incomplete et imperfecte sese nobis intuendum præbeat, perfecte intelligere non valemus. Mysterium autem illud thesis modo positæ certitudini nihil detrahit, ut per se patet.

THEODICEÆ PARS SECUNDA.

DE EXISTENTIA DEI.

---

50. Hujus partis divisio. — De Deo, relative ad existentiam, tria inquiri possunt : 1° an reipsa existat ; 2° an existat distincte a cæteris entibus ; 3° tandem, quomodo existat, seu quibusnam dotibus, præcise ut existens, præditus inveniatur.

SECTIO PRIMA.

DE REALITATE EXISTENTIÆ DEI.

51. Existentiæ Dei solide astruendæ necessitas. — Inter dogmata philosophica, nullum est, fatentibus omnibus, cujus demonstratio tanti nobis intersit, quam *existentiæ Dei*. In hac enim non tantum quælibet cognitio scientifica, sed et regula morum totaque religio fundantur. In hac igitur astruenda, solidisque rationum momentis fulcienda, diligentiorem curam impendamus necesse est.

Ut illud præstemus, magisque pateat vis argumentorum quæ in illius veritatis gratiam afferri possunt, triplicem illorum dabimus expositionem, *dogmaticam* scilicet, *criticam* et *historicam*.

CAPUT PRIMUM.

Argumenta quibus Dei existentia astruitur, dogmatice exponuntur.

52. Argumentorum in existentiæ Dei gratiam afferendorum divisio. — Argumenta hæc tripartito dividi solent in argumenta *moralia*, *physica* et *metaphysica*. Hanc divisionem, jamdudum apud nos pervulgatam, servabimus. Quodnam autem sit verum illius fundamentum inquiremus in sequenti Capite.

Prima series argumentorum. — Argumenta moralia.

53. Argumentorum moralium notio. — Argumenta moralia ea sunt in quibus Dei existentia astruitur per solam generis humani auctoritatem. Hæc argumenta ad hanc formam generalem reduci possunt :

Tanquam verum admitti debet dogma quod totum genus humanum, nec cupiditatibus illectum, nec sensibus delusum, nec levitate aut præcipitatione abreptum, constanter credere professum est.

Atqui, talis est existentia Dei.

Ergo, existentia Dei tanquam vera est tenenda, seu, Deus existit.

Major hujus argumenti hic nobis probanda non est. Illius enim demonstratio pertinet ad Logicam, in qua ostenditur generis humani auctoritatem, præfatis vestitam dotibus, certum esse motivum judicandi.

Minor autem pluribus argumentis astrui potest.

54. Argumentum primum. — *Ex consensu generis humani in admittendo ordine logico absoluto.*

Per *ordinem logicum absolutum*, intelligimus complexionem veritatum, quæ a qualibet hypothesi independentes exis-

tunt, quæ proinde intelligentiæ nostræ sese imponunt ut aliquid prorsus necessarium, æternum et immutabile. Ut porro ex hujusce ordinis consideratione minoris probandæ demonstrationem eruamus, tria requiruntur et sufficiunt : 1° ut genus humanum universaliter et constanter hunc ordinem admiserit ; 2° ut in hoc admittendo nec fuerit cupiditatibus illectum, nec sensibus delusum, nec præcipitatione et levitate abreptum ; 3° ut hunc admittendo, Deum, implicite saltem, admiserit.

Atqui, hæc tria constant :

1° *Genus humanum ordinem logicum absolutum universaliter et constanter admisit.*

Etenim, genus humanum, prout constat, tum ex variorum populorum idiomatibus, tum ex enuntiationibus a quibus proferendis nullus hominum abstinere potest, et in quibus vita socialis tota fundatur, tum demum ex monumentis scientificis seculorum præcedentium, quæ supersunt, semper cum plena certitudine credidit discrimen essentiale adesse inter verum et falsum. Credidit igitur dari judicia essentialiter vera, quæ non possunt esse falsa ; dari quoque judicia essentialiter falsa quæ pari jure nullo pacto vera fieri possunt. Horum autem judiciorum existentia illud est præcise quod *ordinem logicum absolutum* appellamus. Ergo, primum constat.

2° *Genus humanum in ordine logico absoluto admittendo, nec fuit cupiditatibus illectum, nec sensibus delusum, nec levitate et præcipitatione abreptum.*

Ordinis enim logici existentia, proindeque illius affirmatio nihil prorsus habet quod ullatenus cupiditatibus faveat, dominio sensuum omnino subtrahitur, et demum, cum sit maximi momenti, inter præjudicia ex præcipitatione et levitate orta reponi non debet.

3° *Genus humanum, ordinem logicum admittendo, Deum implicite admisit.*

Ordo enim logicus absolutus existere nequit, nisi extra nos existat regula suprema veritatis. Hæc autem regula, utpote

aliquid reale dicens, in ente reali iisdem ac ipsa characteribus prædito, proindeque æterno, necessario, immutabili, non inveniri non potest. Posito igitur quod logicus ordo existat, ens illud admitti debet. Porro, ens talibus characteribus præditum, est Deus. Ergo, genus humanum ordinem logicum absolutum admittere non potuit, quin eo ipso Deum, implicite saltem, admiserit.

Ergo, existentia Dei est dogma quod totum genus humanum nec cupiditatibus illectum, etc.... constanter admisit. Ergo, Deus existit.

55. Argumentum secundum. — *Ex consensu generis humani in admittendo ordine morali.*

Inter veritates quas, utpote ordinis logici absoluti constitutivas, genus humanum constanter et universaliter admisit, quædam sunt in quibus clarius adhuc et proximius Dei existentia involvitur, illæ scilicet quarum complexio ordinem moralem efformat. Sic designamus judicia quæ enuntiant discrimen inter actus bonos et malos, seu quæ officia a nobis adimplenda determinant; simul decernendo pœnas infractoribus, remunerationes vero adimplentibus esse expectandas. Ut igitur ex fide generis humani relative ad ordinem moralem, Deum existere probemus, sufficiet ut circa ordinem hujusmodi eadem ac circa ordinem logicum statuamus, ostendendo scilicet 1° ipsum constanter et universaliter a genere humano fuisse admissum; 2° genus humanum, in illo admittendo, nec cupiditatibus fuisse illectum, nec sensibus delusum, nec præcipitatione abreptum; 3° genus humanum illum admittere non potuisse, quin eo ipso Deum admiserit.

Atqui hæc tria iterum facile constant.

1° *Genus humanum constanter et universaliter admisit ordinem moralem.*

Omnes enim omnium temporum et locorum homines crediderunt aliquas actiones esse bonas, aliquas vero esse malas; crediderunt simul has suppliciis puniendas, illas vero beatitudine remunerandas esse. Illud constat tum eorum idiomatibus

in quibus voces has ideas exprimentes inveniuntur, tum ex eorum ratione agendi, prout ab historicis refertur, tum demum testificatione scriptorum veterum qui talem semper fuisse universalem persuasionem innumeris in locis vel expresse dicunt, vel saltem sufficienter insinuant.

2° *Genus humanum, in ordine morali admittendo, nec fuit cupiditatibus illectum, nec* etc...

Ordinis enim moralis existentia est aliquid cupiditatibus quibuscumque cordis humani essentialiter oppositum, sensibus impervium, maximi demum momenti. — *Cupiditatibus quidem oppositum*; ordo enim moralis illarum refrænationem præcipit. — *Sensibus etiam impervium*; bonitas enim aut malitia actionum nihil habet quod vel sensibile sit, vel ex impressionibus sensibilibus erui possit. — *Maximi demum momenti*; patet enim totam hominum agendi rationem per illum ordinem, prout admittetur, aut non admittetur, determinari.

3° *Genus humanum, ordinem moralem admittendo, Deum implicite admisit.*

Ordo enim moralis, prout saltem admittitur a genere humano, includit ideam 1° *legislatoris supremi* cujus præscriptis actus nostros conformare tenemur, 2° *testis infallibilis* qui omnes actus nostros apprime cognoscit, 3° *judicis summe justi* a quo iidem actus, prout erunt boni aut mali, remunerari debent aut puniri. Hic autem *legislator, testis, judex* est Deus. Ergo, ordinis moralis existentiam genus humanum admittere non potuit, quin eo ipso Deum implicite admiserit.

Probatur major : scilicet, *triplicem ideam modo enuntiatam, in idea ordinis moralis, prout a genere humano existere persuasum habetur, reipsa includi.* — 1° In illius ordinis idea includitur idea *legislatoris supremi*. Præterquam quod homines vulgo non sibi repræsentant moralitatis regulas nisi ut imperia voluntatis superioris, cui resistere nefas est; facile constat præterea hujusmodi regulas, eo ipso quod aliquam

habeant objectivitatem, in intellectu et voluntate alicujus entis suam ultimam rationem invenire, proindeque supremum legislatorem supponere. — 2° In ejusdem ordinis idea *testis infallibilis* idea includitur. Si enim testis hujusmodi non existeret, actus nostri, prout boni aut mali forent, puniri aut remunerari non possent, contra generalem hominum persuasionem. — 3° Denique, propter eamdem rationem, in idea ordinis moralis includi debet idea *judicis summe justi*, a quo pœnæ et remunerationes unicuique, juxta æquitatis leges, rependantur. — Ergo, etc.

Probatur minor: scilicet, *legislatorem supremum, testem infallibilem, judicem justum, cujus ideam includit ordo moralis, esse Deum.* — Et quidem 1° *legislator supremus est Deus.* Etenim, lex moralis ab hominibus concipitur ut aliquid necessarium, æternum, immutabile: unde necesse est ut iisdem characteribus insigniatur legislator in quo illius legis fundamentum invenitur. Atqui, ens necessarium, æternum, immutabile est Deus, uti fuse infra ostendemus. — 2° *Testis infallibilis, quem supponit ordo moralis, est Deus.* Testis enim ille talis esse debet, ut nulli errori nullique ignorantiæ sit obnoxius. Porro, ens quod ab errore et ignorantia essentialiter immune invenitur, habet eo ipso scientiam infinitam; aliter enim utrique huic defectui absque repugnantia obnoxium esse posset. Nunc vero scientia infinita nonnisi in ente infinito, proindeque in Deo inveniri potest. — 3° *Judex demum, quem exigit ordo moralis, est Deus.* Ut enim ens aliquod istius judicis ideam adimpleat, requiritur ut, inter alias dotes, quæ illi competere debent, sit essentialiter *sanctum* et *justum*, ut nempe ex una parte virtutem diligat, peccatum vero summo prosequatur odio, ex altera vero parte, unicuique juxta proprium meritum exacte retribuat. Porro, ens essentialiter justum et sanctum, Deus est. Licet enim, præter Deum, entia aliqua justa et sancta esse possint, hoc tamen non sunt per suam essentiam; sed eo ipso quod finita sint, non repugnat quod sub

respectu justitiæ et sanctitatis, non secus ac sub aliis respectibus, aliquatenus deficiant. Ergo, legislator, etc... est Deus.

Ergo, iterum existentia Dei est dogma quod genus humanum nec cupiditatibus illectum, etc... constanter admisit. Ergo, Deus existit.

56. ARGUMENTUM TERTIUM. — *Ex consensu generis humani in admittendo ordine religioso.*

Inter officia quibus homines, vi legis moralis, sese astringi existimant, ea in primis inveniuntur quæ, sub *religionis* aut *cultus* nomine, ad naturam quamdam nobis superiorem dirigimus. Horum officiorum complexio constituit *ordinem religiosum*, de quo, eamdem ac supra instituentes argumentationem, ostendere debemus genus humanum 1° hujus ordinis existentiam constanter et universaliter admisisse; 2° hunc admittendo nec illectum fuisse cupiditatibus, nec sensibus delusum, nec præcipitatione abreptum; 3° eumdem ordinem ab ipso, quin simul Deum existere crediderit, admitti non potuisse.

Hæc autem tria facile constant.

1° *Genus humanum, constanter et universaliter admisit ordinem religiosum.*

In hoc enim affirmando prorsus unanimes inveniuntur scriptores et historici qui de populorum usibus egerunt. Ad instar cæterorum Plutarchum audiamus : « Si terram obeas, ait, invenire possis urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, » numismate carentes; urbem vero templis diisque destitutam, » quæ precibus, jurejurando, oraculis non utatur.... nemo » unquam vidit.... Facilius urbem condi sine solo posse puto, » quam opinione de diis penitus sublata, civitatem coire aut » constare. » (*Adv. Colotem.*) — Idem probant templorum ruinæ, deorum statuæ et imagines, variaque cultus religiosi instrumenta quæ, inter veterum populorum monumenta, adhuc supersunt. — Illud demum confirmant relationes viatorum

recentiorum qui testantur ipsosmet Americæ et Oceaniæ sylvaticos, in summa barbarie in qua obvoluti jacent, aliquam tamen religionis formam retinuisse. Ergo, *primum* constat.

2° *Genus humanum, in ordine religioso admittendo, nec fuit cupiditatibus illectum, nec* etc...

Necessitas enim religionis est profecto aliquid cupiditatibus contrarium, sensibus impervium et maximi momenti. — *Cupiditatibus quidem contrarium.* Homo enim varia religionis officia adimplere non potest, quin sibi ipsi vitiosisque naturæ inclinationibus vim inferat. Unde, experientia constat illos qui libidinibus liberius vacare volunt, ab omni praxi religiosa brevi se expedire. — *Sensibus quoque impervium.* Licet enim cultus religiosi cæremoniæ sensus aliquatenus afficiant, ipsa tamen religionis necessitas nihil habet per quod a sensibus apprehensibilis fiat. — *Magni demum momenti.* Hic enim agitur de re ad praxim deducenda, cujus proinde veritas aut falsitas homini indifferens supponi non potest.

Nunc vero, nemo non videt consensum generis humani in admittendo dogmate talibus dotibus insignito, nec a cupiditatibus, nec a sensibus, nec a præcipitatione oriri potuisse.

Ergo, *secundum* constat.

3° *Genus humanum, ordinem religiosum admittendo, Dei existentiam admisit.*

In idea enim quam ordinis religiosi sibi semper homines effinxerunt, includitur idea entis a nobis distincti, quod 1° tanquam *supremus Dominus est adorandum,* quod 2° tanquam *summus benefactor fiducialiter est deprecandum,* quod 3° tanquam *summum hominis bonum est super omnia diligendum.* Atqui, ens *adorandum,* ens fiducialiter in quacumque necessitate *deprecandum,* ens demum super omnia *diligendum* est Deus. Ergo, etc ..

Probatur major: scilicet, *triplicem ideam modo enuntiatam in idea ordinis religiosi includi.* — 1° Ideam quidem

entis summe adorandi. Adoratio enim semper fuit unum e præcipuis cultus religiosi officiis; et illius facti testem habemus insignem, in usu universaliter usurpato sacrificii quod semper ut perfectissimum adorationis symbolum agnitum fuit. — 2° Ideam quoque *entis in quibuslibet necessitatibus fiducialiter deprecandi.* Nemo enim iterum ignorat nullum exstitisse populum qui, ad flectendum sibique propitium reddendum numen quod colebat, ante ipsum, in quibuslibet necessitatibus, preces fundendi, usum non habuerit. — 3° Ideam demum *entis super omnia diligendi.* Etenim, in persuasione omnium populorum, primum religionis officium est amor: hicque amor, teste eadem persuasione, talis naturæ esse debet, ut cæteros amores superet. Cultus igitur religiosi objectum est ens super omnia diligendum.

Probatur minor: scilicet, ***ens summe adorandum, in cunctis necessitatibus fiducialiter deprecandum, summeque diligendum, esse Deum.*** — Etenim 1° ens summe adorandum illud tantum esse potest a quo cuncta pendent ut existant, dum ipsum a quolibet alio independens existit. Atqui, ens tale non potest esse nisi ens simpliciter, ens infinitum, ens supremum, proindeque Deus. — 2° Ens quod tanquam summus benefactor deprecandum est, talis naturæ esse debet ut quidquid ab illo petierimus hoc nobis dare possit, cujus proinde potestas nullis circumscribatur limitibus, proindeque sit infinita. Atqui, potestas infinita nonnisi in ente infinito seu in Deo inveniri potest. — 3° Cum objectum amoris sit bonum, ens igitur summe diligendum nihil aliud esse potest quam ens summe bonum. Bonum autem cum ente identificatur. Ens igitur summe bonum, idem est ac ens summe ens, seu vel ens simpliciter, vel ens infinitum, vel ens supremum, ideoque Deus.

Ergo, iterum admittendo ordinem religiosum, genus humanum nec cupiditatibus illectum, etc... constanter et universaliter admisit Deum existere. Ergo, Deus existit.

Principia Solutionis objectionum.

57. Adversus tertium argumentum modo allatum, nonnullæ proferuntur objectiones, quarum scopus est ostendere consensum generis humani, ad realitatem ordinis religiosi astruendam, afferri non posse. Principia, quorum ope confutari possunt, hic breviter indicabimus.

1° Opponunt persuasionem hominum circa necessitatem religionis universalem non esse; eo quod, si recentioribus quibusdam viatoribus fides adhibeatur, plures populi cultu religioso prorsus destituti inventi fuerint. —Hanc autem objectionem nullam vim habere facile constat. — Nam 1° Sæpissime non sufficienti tempore apud populos, de quibus loquuntur, commorati sunt hi viatores, ut veros illorum sensus relative ad Dei cognitionem et cultum apprehendere potuerint. — 2° Plerumque illorum linguam ignorabant, nec potuerunt cum ipsis colloqui. — 3° Soli huic rationi innituntur, quod apud illas gentes nulla templa, nulla altaria, nullaque sacrorum ministeria detexerint. Porro fieri potest ut his careant populi qui tamen divinitatis cognitione et cultu penitus non priventur. Nec mirum videri debet nulla templa existere apud barbaros qui vagi et palabundi, sine civitate, sine legibus, vitam agunt. — 4° Multi populi qui ab hujusmodi scriptoribus atheismi fuerant accusati, postea, re propius inspecta, ab hac accusatione absoluti fuerunt. — 5° Denique quamvis relationes prædictæ veraces invenirentur, nihil exinde morali generis humani unanimitati detraheretur. Numquid enim totius generis humani consensus aliquid de sua auctoritate amittere potest, propter ignorantiam quorumdam hominum qui, ferarum instar, sylvas incolunt, vixque rationis usum adepti sunt?

2° Objiciunt quoque religionem, prout colebatur apud veteres populos, cupiditatibus non opponi, dum econtra illorum satisfactioni plerumque favebat. — At huic objectioni responderi potest duo esse in religione populorum sedulo distinguenda : 1° persuasionem in qua versabantur aliquem cultum divinitati esse rependendum ; 2° ritus peculiares quibus hanc obligationem adimplere studuerunt. Non fuerunt unanimes nisi sub priori respectu, ideoque de solo illo respectu hic agitur. Porro, facile constat persuasionem qua homines semper crediderunt divinitatem esse colendam, nedum faveat cupiditatibus, illis, in se spectatam, penitus opponi.

3° Objiciunt tandem universalem usum cultus religiosi non in natura hominis, sed vel in metu, vel in arte politica legislatorum originem habuisse. — Hæc autem duo facile diluuntur. — Etenim 1° quod religionis origo in metu reponi non debeat, ex eo solo concludi potest quod amor inter cultus religiosi officia primum semper locum tenuerit. — 2° Quoad artem politicam legislatorum, hi quidem potuerunt uti religione jam existente ad suas leges confirmandas, non concipitur autem quomodo ad talem praxim, si antea inaudita fuisset, homines potuissent adducere. Præterea, etiamsi illud ipsis possibile fuisset, hæc institutio tamdiu non permansisset, præsertim inter innumeras perturbationes quæ legislationes antiquas aboleverunt, statusque politicos destruxerunt. Demum, religiosus cultus viguit et etiam nunc viget apud populos legislatione et arte politica penitus carentes, apud quos proinde per legislatorum fraudem institui non potuit.

Secunda series argumentorum. — ARGUMENTA PHYSICA.

58. ARGUMENTORUM PHYSICORUM NOTIO ET FORMA GENERALIOR. — *Physica* nuncupamus argumenta desumpta ex mundo corporeo, quem extra nos existere persuasum habemus. Ad hanc formam generaliorem reduci posse videntur :

Ens illud existit cujus existentiam essentialiter supponit existentia mundi corporei.

Atqui, Deus est ens cujus existentiam essentialiter supponit existentia mundi corporei.

Ergo, Deus existit.

Majoris veritas per se patet. Quoties enim duo ita se habent ad invicem, ut essentialem connexionem, in eorum existentiæ facto inter se habeant, posito quod unum certo existat, alterum quoque existere certo concludi debet. Nunc vero, mundus corporeus certo existit, prout constat, tum ex atheorum confesso, tum ex dictis in Logica (n. 211 et seqq.). Quidquid igitur essentialem cum mundo corporeo connexionem habet, eo ipso existentiis realibus annumerandum est.

Sola itaque minor a nobis probari debet.

59. Argumenta physica enumerantur. — Ad ostendendum existentiam Dei ab existentia mundi corporei essentialiter supponi, tot argumenta adhiberi possunt, quot sunt respectus sub quibus mundi corporei existentia spectari potest. Porro, respectus illi tres numero distinguuntur. Etenim 1° ante omnia in mundo corporeo consideranda veniunt entia realia ex quibus coalescit, seu materia in suo *esse substantiali* spectata: sub hoc respectu, mundo opus fuit *creatore* qui illum e nihilo existentiæ ad existentiam perduceret. 2° Ad mundum autem constituendum, non suffecit materiæ creatio, necessarium præterea fuit varias temporis et spatii relationes inter illius partes institui, quarum ope, totum quoddam partes hujusmodi efformarent. Hæ relationes constituunt, pro moleculis materialibus, diversos status quietis aut motus quos servant ad invicem. Sub hoc itaque respectu, *motorem* quemdam, qui illos status produceret, mundus corporeus necessarium habuit. 3° Demum, præfati status inter se ordinantur, id est, connexionem habent, vi cujus, tanquam medium et finis ad invicem concipi debent. Sub hoc respectu, existentia mundi supponit *ordinatorem*.

Hinc, ad probandam minorem syllogismi generalis supra enuntiati, ad probandum scilicet Deum esse ens cum existentia mundi corporei essentialem habens connexionem, triplex argumentum afferri potest, ex necessitate nempe tum *creatoris,* tum *motoris*, tum *ordinatoris*.

60. Argumentum primum. — *Ex necessitate creatoris.*

Alicujus creatoris existentiam existentia mundi corporei essentialiter supponit. Atqui, creator ille non potest esse nisi Deus. Ergo, existentia mundi corporei Dei existentiam supponit.

I° *Probatur major.*

Nempe, ***alicujus creatoris existentiam existentia mundi corporei essentialiter supponit.***

Hoc erit probatum, modo ostendamus materiam mundi corporei in seipsa rationem propriæ existentiæ non invenire, proindeque ipsam per alterius entis actionem fuisse productam, uno verbo, materiam esse *creaturam*. Atqui, illud facile constat.

Etenim, materia mundi, quæcumque circa ipsius naturam intimam fingatur hypothesis, est 1° pluribus partibus separabilibus composita, 2° innumeris vicissitudinibus seu internis mutationibus obnoxia, 3° in his vicissitudinibus influxui externo subjecta. Ens porro, quod in se haberet suæ existentiæ rationem, notis prorsus oppositis insigniri deberet. Ens enim illud foret *ens a se:* ex infra autem dicendis, ens a se summam simplicitatem, summam immutabilitatem, summam tandem impassibilitatem essentialiter possidet. Ergo, etc...

II° *Probatur minor.*

Nempe ***creator, cujus existentiam mundi corporei existentia supponit, est Deus.***

Ad illud probandum ostendere satis est: 1° creatorem quem exigit mundus, a seipso existere debere; 2° ens a seipso existens cum Deo penitus identificari. Atqui, hæc duo constant.

Prius quidem. — Si enim creatorem a se existentem mundus non exigeret, si proinde nonnisi entia creata existerent, tunc necessarium foret vel unum saltem ens creatum existere absque creatore, vel varia entia creata sese invicem et quasi in circulo creavisse, vel demum eadem entia alia ab aliis fuisse creata in serie infinita. Atqui, nullum ex his serio propugnari potest. — *Non primum.* Tunc enim daretur effectus sine causa. — *Non secundum.* Tunc enim unumquodque ens esset suiipsius causa et effectus; quo nil absurdius dici potest. — *Non tertium.* Tunc enim, præter absurditatem nu-

meri infiniti, hoc quoque exinde sequitur consectarium quod, cum series infinita nequeat exhauriri, nullum ens ad existentiam in hac hypothesi unquam perduci potest. Ergo, prius constat.

Posterius quoque. — Etenim Deus, ex supra dictis, a nobis concipitur tanquam ens simpliciter, tanquam ens infinitum, tanquam ens supremum. Atqui, ens a se cum ente per hujusmodi conceptus apprehenso identificatur. — Nam ens, vi sui esse, nullum gradum entis a se repellit ; alioquin ens enti opponeretur, quod est contradictorium. Unde limitationes, quæ in entibus inveniuntur, provenire non possunt nisi ex causa eorum productrice quæ, ad arbitrium suæ voluntatis, nonnisi hunc vel illum entis gradum iis concessit. Posito igitur quod ens concipiatur cui existentia competat independenter a qualibet causa, sed vi solius proprietatis *actuari*, quæ enti ut sic essentialiter competit, ens illud non potest, quin juxta omnes gradus entis possibiles existat. Cum autem ille modus existendi sit præcise quod vocamus *aseitatem*, sequitur ens a se nullas prorsus in suo ente limitationes habere. Atqui, ens quod nullos in suo ente limites habet *est simpliciter, est infinitum, est supremum*. Ergo, etc...

a se n'ajoute rien
ens a se, est l'être
qui se pose, qui s'actue
Il doit donc s'actuer
selon toute la perfec-
tion possible, sinon
il faudrait dire
que le concept d'être
parfait est absurde,
ou bien qu'il acquiert
une entière perfection
plus tard et d'où lui
viendrait-elle?

61. Argumentum secundum. — *Ex necessitate motoris.*

Alicujus motoris existentiam existentia mundi corporei essentialiter supponit. Atqui, motor ille Deus est. Ergo, existentia mundi Dei existentiam essentialiter supponit.

I° *Probatur major.*

Nempe, *alicujus motoris existentiam existentia mundi corporei essentialiter supponit.*

Hæc major utique constabit modo probemus materiam, ex qua constituitur mundus corporeus, rationem sufficientem variorum statuum motus et quietis, in quibus versatur, in se ipsa non includere. Atqui, illud certum est.

Si enim aliter esset, vel utique quatenus materia in his statibus

per suammet essentiam necessario determinaretur ; vel quatenus iidem status ex spontanea ipsius activitatis evolutione unice provenirent.

Atqui, neutrum dici potest.

Non prius. — Enti enim, quæcumque sit ejus natura, nec motus nec quies essentiales esse possunt. — Nam 1° quod ad *quietem* spectat, hæc nihil aliud est quam status entis certum quemdam coexistentiæ ordinem relative ad cætera entia aliquo tempore conservantis. Atqui, repugnat aliquem coexistentiæ ordinem alicui enti essentialem esse : nulla siquidem est contradictio in eo quod ens, talem vel talem coexistentiæ ordinem habens ad cætera entia, in alio coexistentiæ ordine constituatur ; quod autem absque contradictione ab aliquo ente tolli potest, ipsi profecto essentiale non est. — 2° *Motum* alicui enti essentialem esse non posse non minus constat. Motus enim est status entis coexistentiæ ordinem successive mutantis. Atqui, nullum ens est cui essentiale esse possit suum coexistentiæ ordinem successive mutare. Eo ipso enim quod ens in pluribus coexistentiæ ordinibus successive versatur, in quolibet igitur ex his ordinibus absque contradictione concipi potest, saltem per unum temporis instans. Atqui, si contradictio non est in eo quod ens versetur in aliquo statu, per unum temporis instans, contradictorium esse non potest quod in eodem statu duobus vel tribus, etc., instantibus perseveret. Successiva igitur mutatio in ordine coexistentiæ ab aliquo ente abesse, absque ulla contradictione supponi potest, proindeque non est illi essentialis. Ergo, prius dici nequit.

Non posterius. — Ex modo enim dictis, evolutiones activæ per quas status diversi motus et quietis in materia determinantur, aliquid contingens et mutabile esse deberent. Atqui, repugnat quod aliquid contingens et mutabile in ente producatur, per solam activitatis illius evolutionem. Etenim, ens non potest acquirere modificationes, de quibus agitur, quin transeat a potentia ad actum. Atqui, transitus a potentia ad actum, quatenus constituens pro aliquo ente acquisitionem status positivi quo antea carebat, fieri nequit, nisi illius entis activitas per influxum aliquem externum in sua evolutione adjuvetur. Etsi igitur varii status motus et quietis in quibus versatur materia, per illius evolutiones activas producerentur, ab illius tamen activitate unice provenire dici non possent.

Statuum igitur motus et quietis, in quibus materia versatur, in ipsamet materia ratio saltem completa non invenitur. Unde, aliquis motor existentiæ mundi corporei connexus esse debet.

II° *Probatur minor.*

Nempe, *motor, cujus existentiam supponit existentia mundi corporei, est Deus.*

Duo probanda sunt : 1° motorem, quem exigit mundus, entibus coexistere juxta omnes modos possibiles, proindeque nec motui, nec quieti obnoxium esse, 2° ens hujusmodi dote præditum cum Deo identificari. Atqui, hæc duo constant.

Prius quidem. — Si enim mundi corporei motor nonnisi uno aut altero modo entibus coexisteret, si proinde non existerent nisi entia motui aut quieti obnoxia, jam necessarium esset, vel unum ex his entibus modum specialem coexistendi, quo pollet, ex seipso habere; vel varia entia sibi invicem causam existere cur tali modo aliis coexistant ; vel demum eadem entia alia in aliis coexistendi modum producere in serie infinita. Atqui, nullum ex his propugnari potest. — *Non primum.* Modus enim coexistendi, qui in præfato ente supponeretur, cum nec ab illius essentia determinari, nec a sola illius activitate produci possit, foret effectus sine causa. — *Non secundum.* Tunc enim varii modi coexistendi, qui in singulis entibus invenirentur, essent simul relative ad seipsos causa et effectus. — *Non tertium.* Tunc nempe quilibet modus coexistendi in entibus impossibilis foret ; non enim obtineri posset, nisi in hypothesi prorsus impossibili seriei infinitæ exhaustæ. Ergo, prius constat.

Posterius quoque. — Ens enim quod nec motui nec quieti obnoxium invenitur, quod proinde per se omnibus modis possibilibus entibus coexistit, per se immensum esse debet. Atqui, ens immensum per se cum ente simpliciter, cum ente infinito, cum ente supremo, ideoque cum Deo identificatur. Nam, ex infra dicendis, illud ens tantum immensum per se dici potest quod in omnia entia essentialiter agit, quod proinde omnium entium quæ existere possunt est creator. Atqui, creator omnium entium quæ existere possunt, nullo gradu entis privari potest. Ergo, etc...

62. ARGUMENTUM TERTIUM. — *Ex necessitate Ordinatoris.*

Alicujus ordinatoris existentiam existentia mundi corporei essentialiter supponit. Atqui, ordinator ille est Deus. Ergo , Dei existentiam existentia mundi essentialiter supponit.

I° *Probatur major.*

Nempe, *alicujus ordinatoris existentiam existentia mundi corporei essentialiter supponit.*

Per ordinatorem mundi corporei intelligimus ens cognitione intellectuali præditum, quod varias dispositiones entium mundanorum ad invicem, variosque influxus quos inter se exercent, intenderit, tanquam media ad aliquem finem obtinendum apta. Porro, facile constat talem ordinatorem esse admittendum. Illud ostendere possumus duplici via, *a posteriori* scilicet et *a priori.*

1° *Ordinatorem mundi corporei esse admittendum a posteriori demonstratur.*

Quilibet ordo essentialiter supponit ordinatorem in quo suam existendi rationem habeat. Principium istud per se evidens est. Ordo enim est dispositio mediorum ad finem. Porro in conceptu dispositionis mediorum ad finem essentialiter includitur idea causæ intelligentis, quæ scilicet, ex una parte, finem sibi proponat, ex alia parte, media ad hunc finem conducentia eligat. Causa autem hujusmodi illud est quod ordinatoris nomine designamus.

Ut igitur *a posteriori* probetur ordinatorem mundi corporei esse admittendum, probare satis erit ordinem in hoc mundo existere. Cum autem expositio adæquata omnium factorum, quæ existentiæ ordinis in mundo indicia sunt, laboris propo infiniti negotium esset, ordinem hunc generali intuitu tantummodo considerantes, paucis ostendemus illum inveniri 1° inter varia entia mundi relative ad se invicem considerata, 2° inter varia cujuslibet entis organa, 3° inter varias partes, ex quarum unione, singula diversorum entium organa coalescunt.

1° Innumera in mundo corporeo conspiciuntur entia quæ quantumvis a se invicem, natura discrepent, mirabilem tamen inter se servant ordinem. Talibus nempe relationibus alia aliis

quasi devinciuntur, ut a se invicem in eorum existentia, motibus, etc... pendeant, sicque seriem non interruptam mediorum et finium inter se efforment. Sic, ut de relationibus generalibus tantummodo hic loquamur, ordo ille mirum in modum imprimis relucet in relationibus globorum cælestium inter se. Nam 1° per attractionem quam exercent in invicem eorum motus determinantur. 2° Motus illi ita sunt attemperati ut, non obstante innumerabili siderum multitudine, nunquam in invicem impingant, 3° Inter sidera primum locum, relative ad nos, tenet sol qui varias terræ partes, statutis temporibus, suo calore recreat, suo lumine collustrat, sicque quatuor anni tempestates, noctium dierumque vices, certo distribuens ordine, terræ fecunditatem, plantis incrementum, animantibus delectamentum laborisque et quietis vicissitudinem confert. In his omnibus ordinem stupendum inveniri nemo non videt. — Sic iterum, varia entia quæ nos circumstant, in tres classes, *regnorum* nomine vulgo designatas, distribui solent, in *mineralia* scilicet, *vegetalia* et *animalia*. Porro, subordinatio mediorum ad finem inter hujusmodi classes, evidentissima est. Ex una enim parte, vegetalia manifeste existunt propter animalia, quæ in illis inveniunt alimentum eorum organis perfecte accommodatum, sine quo vivere non possent. Ex altera parte, mineralia vegetalibus suppeditant principia vivifica, quorum ope crescunt et evolvuntur; hic proinde iterum relationem mediorum ad finem, hic itaque ordinem non detegere non possumus.

2° Quodlibet ens pluribus constat partibus quæ, in vegetalibus et animalibus, *organorum* nomine designantur. Unumquodque ex his organis speciale munus adimplet cujus finis est individui conservatio. Satis autem mirari nemo potest quanta connexio, quantusque concentus existat, sub hoc respectu, inter varia organa quibus singula entia prædita inveniuntur. Omnia enim uniuscujusque entis organa se invicem, relative ad eorum functiones, intime supponunt, ita ut, licet distincta,

ad eumdem finem obtinendum perfecta consensione concurrant. Sint, v. g., in exemplum organa *nutritionis* quibus instruitur homo. Hæc organa eo tendunt ut, assimilatione substantiarum sibi externarum, hominis organismus indesinenter reparetur, illeque internus acquisitionis et ejectionis motus in quo vita animalis proprie consistit, perficiatur. Assimilatio hujusmodi fit per commixtionem chyli cum sanguine. Ad id autem requiritur: 1° ut manus alimentum apprehendat orique ingerat; 2° ut dentes et saliva alimentum istud digestioni aptum efficiant; 3° ut sic præparatum, diversorum organorum ope, in stomachum intromittatur; 4° ut stomachales succi illud digerant et in *chymum* convertant; 5° ut, in tubo viscerali, pars illius organismo assimilanda, seu *chylus*, a partibus huic nutriendo imparibus, segregetur; 6° ut chylus in tubulis chyliferis immissus ad cor demum perveniat in quo sanguini penitus permiscetur. Inter innumera propemodum organa quæ in perficienda functione modo exposita concurrunt, perfectissima, ut patet, dependentia et subordinatio invenitur. Sese enim invicem supponunt, unumque propter aliud manifeste fuit effectum. Hic igitur mirabilis ordo est agnoscendus.

3° Hic ordo mirabilior forsan invenitur in intima structura uniuscujusque organi. Singula nempe organa, prout jam supra diximus, suum habent finem distinctum, cujus ope ad finem unicum obtinendum cum cæteris organis concurrunt. Variæ autem partes, quibus constituuntur, talem ad se invicem dispositionem habent, ut organum illarum unione formatum, sit semper instrumentum ad obtinendum finem cui destinatur aptissimum. Sic v. g., ut iterum de homine loquamur, oculi ad videndum, aures ad audiendum, pedes ad ambulandum, manus ad prehendendum, etc.... perfectissime, quoad minutissimas partes, disponuntur.

Sub quocumque igitur respectu spectemus mundum corporeum, in eo stupendum ordinem deprehendimus. Unde

demum concludere possumus ordinatorem illi fuisse omnino necessarium (1).

2° *Ordinatorem mundi corporei esse admittendum a priori demonstratur.*

Ut a priori demonstretur ordinatorem mundi corporei esse admittendum, duo sunt ostendenda : 1° varias dispositiones partium materialium ad constituenda diversa mundi entia, necnon influxus omnis generis quos exercent in invicem, causam exigere ab ipsismet substantiis materialibus dictinctam; 2° causam hanc esse intelligentia præditam. Atqui hæc duo constant.

Prius quidem. — Vel enim res ita se habet, vel dicendum est varias dispositiones substantiarum materialium inter se, necnon influxus quos in invicem exercent, in hujusmodi substantiis causam completam et adæquatam invenire. Hoc autem propugnari nequit. — Etenim, illud tantum est causa completa et adæquata alicujus facti quod non solum illud factum immediate producit, sed etiam quod, sive in sua existentia, sive in sua actione, alterius causæ influxui penitus subtrahitur; ita ut sit primum in genere causæ. Hac enim conditione deficiente, causa in se non habet totam rationem productionis effectus, nec proinde est illius causa completa et adæquata. Nunc vero, substantiæ materiales, quatenus causæ effectuum de quibus agitur, conditionem hanc non adimplent. Dispositiones enim variæ substantiarum materialium earumque influxus in invicem sunt aliquid contingens et mutabile, proindeque modificationes contingentes et mutabiles in hujusmodi substantiis

(1) Argumenti in gratiam existentiæ Dei ex ordine mundi desumpti nonnisi brevem synopsim afferre potuimus. Ad ampliorem illius expositionem utiliter adiri poterunt a tironibus opera ad hoc argumentum exponendum speciatim edita. Hic citabimus in primis : *Traité de l'Existence de Dieu,* auctore Fénelon ; *Conférence sur l'existence de Dieu, prouvée par l'ordre et les beautés de la nature,* auctore Frayssinous; *le Livre de la nature,* auctore Cousin-Despréaux ; *le Spectacle de la nature,* auctore Pluche ; *l'Existence de Dieu prouvée par les merveilles de la nature,* auctore Niewentith, etc...

arguunt. Porro, substantia quæ modificationibus contingentibus et mutabilibus afficitur, et ipsa contingens est, nec ideo, in genere causæ, prima dici potest. Ergo, prius constat.

Posterius quoque. — Essentialiter enim repugnat quod causa prima, in productione effectuum suorum, cum intellectu non agat (*Ont. gen.* n. 122).

II° *Probatur minor.*

Nempe, *ordinatorem mundi esse Deum.*

Ut illud constet, duo probanda sunt: 1° ordinatorem mundi ad hos potiusquam illos fines singulis mundi entibus assignandos, nonnisi ex propria electione determinatum fuisse, proindeque inter omnes fines possibiles, eos qui sibi magis placebant eligendi summe liberum fuisse; 2° ens tali prærogativa donatum Deum esse. Atqui, hæc duo certa sunt.

Prius quidem. — Si enim ordinator mundi corporei ad aliquos fines singulis mundi entibus assignandos restringeretur, hæc illius libertatis limitatio vel ab essentia rerum proveniret, vel ab alio ente. Neutrum autem dici potest. — Non quidem limitationem hanc provenire ab ipsamet essentia rerum. Limitatio enim negationem entis per se dicit; negatio entis, utpote in conceptu entis non inclusa, est aliquid contingens; contingens autem ex essentia rerum non profluit. Ergo, etc. — Non etiam limitationem hanc recepit ab alio ente. Ordinator enim mundi, quem admittendum esse supra probavimus, rationem adæquatam et completam ordinis mundi in seipso continet, proindeque primus, in genere causæ, esse debet. Causa autem prima a quolibet influxu externo est essentialiter immunis. Ergo, etc.

Posterius quoque. Ens enim quod in suis determinationibus summe liberum est, in sensu supra exposito, infinitudinem sub respectu sive intelligibilitatis, sive intelligentiæ in seipso inclu-

dere debet: alioquin inter omnes fines possibiles eligere non posset. Atqui, ens in quo hæc includuntur, ab ente simpliciter, ab ente infinito, ab ente supremo, non discrepat; proindeque Deus est. Ergo, etc.

Merito igitur ex his omnibus concludere possumus Dei existentiam cum mundi corporei existentia connexionem habere, ideoque esse admittendam.

Tertia series argumentorum. — ARGUMENTA METAPHYSICA.

63. ARGUMENTORUM METAPHYSICORUM NOTIO ET DIVISIO. — Sic nuncupari solent ea argumenta in quibus, ex sola idearum nostrarum consideratione, Deum actualiter existere ostenditur.

Hoc autem multiplici modo effici potest: hinc subdivisio argumentorum metaphysicorum in argumentum *intuitivum*, *deductivum a priori* et *deductivum a posteriori*.

I° *Argumentum intuitivum.*

64. ARGUMENTUM INTUITIVUM EXPONITUR. — Hoc argumentum, prout illius appellatio satis indicat, illud est in quo, absque ullo logicæ deductionis artificio, sed per solam facti expositionem, Dei existentia demonstratur.

Ad hanc formam generaliorem reduci potest:

Deum existentem percipimus;
Ergo, existit Deus.

65. ARGUMENTUM INTUITIVUM EVOLVITUR. — Ut autem vis illius argumenti, quod cæteris omnibus tum simplicitate, tum evidentia, longe præstat, apprime sentiatur, hoc enthymema evolvere operæ pretium duximus. Ad hunc scopum obtinendum ostendere satis erit: 1° aliquam Dei ideam menti nostræ præsentem esse, seu Deum vere a nobis percipi; 2° objectum perceptionis, qua Deum apprehendimus, esse Deum existentem; 3° perceptionem nostram ad Deum existen-

tem terminari non posse, quin Deus existat. Atqui, hæc tria facile constant.

Primum quidem. — Hoc enim abunde probatum fuit in prima Parte (n. 39).

Secundum quoque. — Existentia enim, prout ostensum fuit in Ontologia generali(n. 59 et seqq.), nihil aliud est quam *actus* entis per oppositionem ad illius *potentiam*. Ex altera parte, potentia entis a possibilitate illius productionis per causam non discrepat; ac proinde nihil realitatis extra hanc causam per se dicit. Hinc sequitur perceptionem nostram ad objectum realiter existens necessario terminari, quoties objectum, illius ope a nobis apprehensum, talis est naturæ, ut in causa tantum realitatem habere absque contradictione supponi non possit. Atqui, tale est profecto objectum quod terminat intellectum nostrum, quando *Ens simpliciter, Ens infinitum*, *Ens supremum*, seu, aliis verbis, quando *Deum* percipimus. Ens enim triplici hac dote notatum, cum omne ens includat, in alio ente tanquam in causa includi non potest. Et aliunde, si in alio ente tanquam in causa includeretur, existentia quæ priori denegaretur, huic saltem posteriori concedi deberet; sicque iterum causam vinceremus. Ergo, secundum constat.

Tertium tandem. — Cum enim perceptio sit intuitio; intuitio autem dari non possit, nisi subjectum, in quo residet, *aliquid* intueatur; omnino necesse est ut cuilibet perceptioni respondeat realitas quædam, quæ sit perceptionis hujus *objectum*. Hæc autem realitas, utpote a subjecto percipiente immediate apprehensa, talis in seipsa qualis percipitur esse debet. Posito igitur quod aliquid existens percipiatur, hoc de facto existere omnino necesse est.

66. Corollarium. — Ex hoc argumento deduci potest discrimen quod intercedit inter ideas quibus *Ens simpliciter*, *supremum*, *infinitum*, apprehendimus, et ideas entium finitorum. Ex eo quod nempe entis cujusdam finiti ideam menti præsentem habeamus, sequitur quidem ipsum esse possibile,

minime vero existentiam actualem ipsi tribuendam esse; cum enim in ente infinito omnia entia finita aliquo modo contineantur, facile concipitur quomodo, licet non existant, per ideam tamen apprehendi possint, in eorum nempe, ut aiunt, *archetypo*. *Ens* autem *simpliciter, supremum, infinitum*, cum in nullo alio contineri possit, nec archetypum habeat, per se ipsum tantum concipi potest; ac proinde existit actualiter eo ipso quod concipitur.

II° *Argumentum deductivum a priori.*

67. Argumenti deductivi a priori notio. — In alicujus judicii demonstratione fit deductio, quando duo termini, quibus constituitur, ostenduntur, ope tertii termini, exprimere notiones vel identicas vel subordinatas. Hæc autem deductio fit *a priori*, quando veritas præmissarum logice præcedit, aut saltem non præsupponit veritatem conclusionis. Cum igitur, præter essentiam Dei, nihil concipi possit, quod veritatem hanc : *Deus existit*, ante se non præsupponat; argumentum nunc nobis exponendum consistere debet, in eo quod, ex sola Dei essentia, illi existentiam competere concludatur.

68. Argumentum deductivum a priori exponitur. — Ad hanc igitur generaliorem formam reduci potest.

Illud ens existit in cujus essentia existentia includitur.
Atqui, tale est Deus.
Ergo, Deus existit.

Major per se evidens est. Si enim ens in cujus essentia existentia includitur, posset tamen non existere, ens igitur sua essentia privari posset; tuncque axioma ontologicum : *Quod est, est,* ut falsum rejici deberet.

Sola itaque minor probatione indiget : probandum nempe *Deum esse ens in cujus essentia existentia includitur*. Triplici modo hoc astrui potest, pro triplici conceptu supra enuntiato per quem essentiam Dei apprehendimus : scilicet, *esse sim-*

pliciter, esse supremum, esse infinitum. Hinc triplex argumentum secundarium in quod argumentum generale modo expositum quasi subdividitur.

Argumentum primum. — Deus est Ens simpliciter. Atqui, in essentia *Entis simpliciter* includitur existentia. Etenim, quid sit *existere?* Nihil aliud utique esse potest quam aliquis modus *essendi*. Atqui, essentia *Entis simpliciter* omnes modos essendi includit. Si enim aliquo essendi modo hæc essentia privaretur, *Ens simpliciter* non *esset* nisi *secundum quid*; quod exprimit contradictionem in terminis.

Et vero, vel *esse* ex quo constituitur essentia Entis simpliciter est *esse* actuatum, vel *esse* actuabile tantum. Posterius autem dici non posse jam ostendimus (n. 65). Ergo, etc...

Argumentum secundum. — Deus est ens infinitum. Atqui, in essentia entis infiniti includitur existentia. Etenim, existentia est aliquid reale et positivum, quod nempe plus entis dicit quam illius oppositum, id est, quam mera possibilitas. Unde res, quæ existentia privaretur, omne positivum eo ipso non haberet. Porro, quod omne positivum non habet, in suo ente limitatur, ac proinde non est infinitum. Existentia igitur in essentia entis infiniti vere includitur. Ergo, etc...

Argumentum tertium. — Deus est ens supremum. Atqui, in essentia entis supremi existentia includitur. Esse enim supremum, exprimit modum essendi quo ens cæteris entibus, cujuscumque sint naturæ, superius existit. Atqui, ens quod in sua essentia non includit existentiam tale esse nequit. Tunc enim, saltem sub respectu existentiæ, cæteris entibus quæ concipi possunt superius non foret. Ac proinde absolute supremum dici non valeret.

III° *Argumentum deductivum a posteriori.*

69. Argumenti deductivi a posteriori notio. — Sic appellamus deductionem qua astruitur veritas hujus conclu-

sionis *Deus existit*, ope præmissarum in quibus continetur tanquam ratio earum veritatis; in qua nempe Deus existere ostenditur non per suam essentiam, sed per essentiam entium ab ipso distinctorum, ipsique proinde subordinatorum.

70. Argumentum deductivum a posteriori exponitur. — Argumentum istud ad hanc formam generaliorem reduci potest :

Ens illud existit, quo non existente, quælibet entia quæ concipere valemus, nec existentiam, nec possibilitatem, nec intelligibilitatem haberent.

Atqui, talis est Deus.

Ergo, Deus existit.

Probatur major. — Ad hujus majoris veritatem ostendendam, sufficit probare omnino absurdam et contradictoriam esse hypothesim, juxta quam entia, quæ a nobis concipiuntur, nec existentiam, nec possibilitatem, nec intelligibilitatem haberent. Hoc autem tum intuitive, tum deductive probari potest. — *Intuitive quidem.* Eo ipso enim quod præfata entia intellectualiter apprehenduntur a nobis, omnino necesse est ut aliqua illis realitas extra mentem competat, ut proinde existant sive in se, sive in causa quæ illa creandi potestatem habeat, vel saltem in quodam archetypo intelligibili per quod menti apprehensibilia fiant. — *Deductive quoque.* Eo ipso enim quod hujusmodi entia sint *entia*, a nihilo absoluto distingui debent; contradictorium enim foret dicere ***ens aliquod esse nihilum, seu non-ens.*** Sed, si nec existentiam, nec possibilitatem, nec intelligibilitatem haberent, a nihilo absoluto nequaquam discreparent. Ergo, etc...

Probatur minor. — Nempe ***Deum esse ens, quo non existente, quodlibet aliud ens nec existeret, nec possibile foret, nec intelligi valeret.*** — Et quidem 1° Deo non existente, nihil existeret. Præter Deum enim qui concipitur ut ens simpliciter, ens infinitum, ens supremum, nihil concipi potest nisi ens secundum quid, ens finitum, ens subordinatum. Porro, si ens

simpliciter, si ens infinitum, si ens supremum non existit; repugnat quod existentia inveniatur in ente secundum quid, finito, subordinato, quod nonnisi tanquam prioris participatio in aliquo gradu concipi potest, quod proinde plus realitatis quam illud habere nequit. — 2° Deo non existente, cætera entia non solum non existerent; sed nec possibilia forent. Ut enim res aliqua possibilis sit, necesse est ut detur causa quæ illam producendi habeat potestatem. Atqui, Deo non existente, nulla manifeste suppeteret causa, ad producenda entia ab illo distincta, entia nempe secundum quid, finita, subordinata. Ergo, etc... — 3° Deo demum non existente, eadem entia nequidem intelligibilia forent. Quidquid enim intelligibile est, a mente apprehendi debet, vel in seipso, vel in alio. Priori modo entia, de quibus agitur, intelligibilia non sunt: alioquin existentia fruerentur, quod nos ad primum reducit. Posteriori autem modo intelligibilia esse non possunt, quin ens, in quo apprehenduntur, sit Deus. Ens enim illud tum simpliciter, tum infinitum, tum supremum esse debet; cum extra entia secundum quid, finita et subordinata, ens aliis dotibus præditum concipi nequaquam possit. Ergo, Deo non existente, nihil existeret, nec possibile foret, nec intelligi valeret. Ergo, Deus existit.

CAPUT SECUNDUM.

Argumenta, quibus Dei existentia astruitur critice expenduntur.

71. Capitis divisio. — Ut præfatorum argumentorum crisim complete instituamus, illa considerabimus 1° relative ad eorum divisionem, 2° relative ad eorum expositionem, 3° relative ad eorum valorem.

I° *De Argumentorum, quæ Dei existentiam probant, divisione.*

72. Quæstio exponitur. — Jam observavimus divisionem argumentorum supra expositorum in *moralia*, *physica* et *metaphysica*, apud nos vulgarem esse, saltem pluribus abhinc annis. At auctores qui illam adhibent, vel de illius fundamento assignando nullatenus curant, vel circa illud punctum plurimum inter se discrepant. Porro, varias illorum hac de re opiniones hic discutere, nostramque proponere operæ pretium duximus.

73. Primum divisionis fundamentum : extensio conclusionis. — Juxta quosdam, præfata divisio desumitur ex extensione conclusionis quæ, vi uniuscujusque præfatorum argumentorum, deduci potest. Scilicet, argumenta quæ concludere non sinunt nisi existentiam entis cujusdam homini superioris, cui cultum et obsequium debemus, quod demum mundum moralem regit et gubernat, vocantur argumenta *moralia*. — *Physica* dicuntur argumenta quæ probant existere ens a quo mundus physicus seu corporeus productus fuit et ordinatus ; cui proinde potentia et intelligentia inesse debent, saltem quantum necesse fuit ad tantum opus concipiendum et perficiendum. Hæc igitur argumenta non probant proprie existentiam Dei infiniti, sed tantum entis homine potentia et intelligentia perfectioris. — Argumenta demum *metaphysica* ea sunt quæ Deum, prout est in se, id est, quatenus est infinitus, omnique perfectionum genere ornatus, existere probant.

Hunc autem modum divisionem, cujus fundamentum inquirimus, explicandi, admittere non possumus. Nam 1° falsa videtur hypothesis cui innititur, conclusionem nempe quæ ex variis argumentis supra expositis legitime deduci potest, eamdem in omnibus extensionem non habere. Quisquis enim argumenta sive metaphysica, sive physica, sive moralia, ad astruendam Dei existentiam allegata, sedula mente perpenderit, is facile perspiciet existentiam Dei infiniti ex his omnibus logice concludi posse. — 2° Ens quod infinitum non foret, *Deus* dici non deberet eique nec honor religiosus, nec obedientia deberentur. Argumenta itaque quæ non astruerent nisi existentiam entis homini sive potentia, sive intelligentia superioris, inter argumenta existentiam Dei astruentia annumeranda non essent.

74. Secundum divisionis fundamentum : natura objectiva principii. — Alii desumunt idem fundamentum ex natura objectiva principii generalis quod in singulis argumentis adhibetur.

Hæc nempe sunt *moralia*, *physica* aut *metaphysica*, prout principium illud vel est factum ad naturam moralem hominis pertinens, vel factum corporeum, vel demum factum necessarium.

Nec fundamentum istud admitteremus. Etenim, qui divisionem, de qua agitur, ita explicant, triplici in sensu intelligunt naturam objectivam principiorum in argumentis nostris adhibitorum. Scilicet : 1° ubi de argumentis metaphysicis agitur, naturam principii determinant per connexionem essentialem quæ existit inter subjectum et prædicatum ; per hanc enim connexionem constituuntur principia necessaria. 2° In argumentis physicis, naturam principii determinant per naturam materiæ circa quam versatur. 3° In argumentis demum moralibus, principii natura determinatur per motivum subjectivum quo illi adhæremus. Præfatum igitur fundamentum unitate caret, ideoque rejiciendum est.

75. Tertium divisionis fundamentum : certitudo principii. — Ut sensum nostrum demum declaremus, existimamus verum fundamentum divisionis præfatorum argumentorum in *moralia*, *physica* et *metaphysica*, in natura certitudinis, quæ principio uniuscujusque eorum competit, esse reponendum. Scilicet, tria sunt, prout Logica docet (n. 260), certitudinis acquirendæ media generaliora : *evidentia* nempe, *sensus communis* et *auctoritas*. Varia itaque judicia quæ, utpote certa, tanquam demonstrationum principia adhiberi possunt, in triplicem seriem apte distribuuntur, prout in unoquoque ex præfatis mediis ipsorum certitudo fundatur. Hinc alibi deduximus divisionem generaliorem scientiarum. Hinc iterum divisionem argumentorum, quæ in existentiæ Dei gratiam afferuntur, deduceremus.

Nam 1° argumenta *moralia*, quæ probant existentiam Dei per consensum generis humani, nihil aliud sunt quam argumenta auctoritatis. Huic siquidem principio innituntur : *Consensum generis humani quibusdam vestitum dotibus, esse auctoritatem infallibilem.* 2° Argumenta *physica*, quæ probant existentiam Dei per existentiam mundi corporei, merito argumenta sensus communis dici possunt. Existentia enim mundi corporei quam principii instar præsupponunt, nonnisi sensus communis ope certa nobis est (Log. n. 211 et seqq.). 3° Argumenta demum *metaphysica*, quæ probant Deum, per ideas nostras, nihil aliud sunt quam argumenta in *evidentia* fundata. Evidentia enim, ubi agitur de objectivitate, in eo præcise consistit, quod nihil nisi quod ideæ nostræ continent, affirmemus. (Log. n. 183 et seqq.)

IIº *De argumentorum, quæ Dei existentiam astruunt, expositione.*

76. — Argumenta superius a nobis exposita substantialiter non discrepant ab iis quæ, ad astruendam Dei existentiam, ab auctoribus vulgo adhibentur. Cum tamen in quibusdam eorum exponendis a forma communius hodie recepta in scholis paululum recesserimus, necessarium visum fuit quasdam explicationes hic subjungere.

77. Argumentum morale exponendi modus. — Quod spectat ad argumenta moralia, duo illis astruenda incumbunt : 1º *genus humanum admisisse Deum; 2º ad hunc admittendum nullo erroris fonte inductum fuisse.*

De posteriori quidem parte nulla difficultas.

De priori autem advertendum est plerosque auctores illam astruere testimonia quam plurima aggerando, ex quibus concludunt omnes omnium temporum populos numen quoddam admisisse. Hoc autem ad astruendam fidem generis humani in Deum prorsus insufficiens, aut certe nimis indeterminatum esse videtur. Constat enim Dei notionem apud populos, præsertim veteres, fuisse depravatam multisque fœdatam erroribus. Hoc posito, Deum qualem admittimus explicite non admiserunt; jamque eorum consensus ad existentiam Dei probandam adhiberi non potest, nisi 1º exacte determinetur objectum consensus unanimis populorum, circa divinitatem, id est, nisi enuntientur attributa sub quibus in numine sibi effingendo et admittendo unanimiter consenserunt; nisi 2º ostendatur ens his attributis præditum non posse esse nisi Deum, id est ens simpliciter, supremum, infinitum; licet ad hoc consectarium sæpius plerique non attenderint. Hinc sæpe manca et incompleta remanet demonstratio, de qua nunc agitur. Hinc etiam facile concludi potest cur a forma ordinaria paululum recedentes, duo puncta modo enuntiata speciali cura evolvere sategimus. Toti nempe fuimus in ostendendo omnes populos non quidem numen quoddam, simpliciter loquendo, admisisse ; sed *distinctionem essentialem inter verum et falsum, legem moralem, cultus religiosi necessitatem.* Facile autem postea nobis fuit ostendere quod his tribus admissis, Deus quoque admitti debet.

Sic exposita, probatio moralis eamdem extensionem habet ac

aliæ probationes, id est, non Deum quemlibet, uti quidam volunt, existere demonstrat; sed Deum verum seu ens infinitum.

78. Diversæ rationes argumentum physicum exponendi enuntiantur et expenduntur. — Ex argumentis physicis, duo sunt de quibus pauca hic notanda veniunt : argumentum scilicet ex *motore* et argumentum ex *ordinatore*.

1° Prius argumentum sic fere in scholis vulgo exponitur.

« *Existit Deus si existat aliquis primarius materiæ motor. Atqui, etc... Vel enim res ita se habet, vel motus est materiæ essentialis. Atqui, posterius dici nequit. — Nam 1° materia concipi potest sine motu; 2° si materia essentialiter moveretur, moveretur semper juxta aliquam directionem determinatam; 3° in eadem hypothesi, materia motui nunquam resisteret; 4° tandem necessitas motus in materia eamdem motus intensitatem in materia produceret.....* » Ita in primis Philosophia Lugdunensis.

Hæc quidem argumentatio recte ostendit motum non posse dici materiæ essentialem, et hoc quidem sufficeret ad Deum demonstrandum, si materiæ partes prorsus inertes forent, nullamque actionem in invicem exercerent. Posita autem vi attractionis quam recentiores in ipsis agnoscunt, jam, attenta sola materiæ natura, aliquis inter ejus partes motus concipi posse videtur, quin materia essentialiter moveatur, quin etiam primarii motoris existentiam admittere cogamur.

Hac objectione permoti, argumentum ex motore desumptum sic exposuerunt plurimi recentiores.

Corporum cœlestium cursus duplicem motum in materia arguit : unum qui provenit ex attractione partium materialium in invicem ; hunc motum *centrum petentem* nuncupant, eo quod, vi illius, omnia corpora ad unicum centrum tendunt : alterum, vi cujus ab hoc centro corpora refugiunt, et quem ideo *centrum fugientem* nuncupant. Porro, inquiunt, concedere quidem possumus priorem motum ex vi attractiva materiæ inhærenti provenire posse, et ideo nihil probare in favorem primi motoris ; non item vero de posteriori, qui, utpote ex attractione materiæ inhærenti nullatenus proveniens, per causam materiæ extrinsecam explicari debet.

Argumentum, vel eo modo expositum, omnino evidens pluribus hodie non videtur. Etenim, astronomiæ periti, saltem præcipui, hodie existimant motus quoslibet in corporibus per solam vim attractionis explicari posse. Hoc in primis propugnavit D. Laplace.

Hæcque hypothesis, licet non tanquam omnino demonstrata haberetur, difficile forsan impossibilis demonstraretur. Illud autem sufficit ut argumentum præfatum vi demonstrativa careat.

Ut illud vitaremus incommodum existentiam primi motoris probavimus non attendendo ad talem vel talem motum; sed per naturam ipsam motus in genere qui, qualicumque modo explicetur, causæ corpori moto exterioris necessario concursum exigit. Observandum est autem hunc expositionis modum nobis proprium non esse. Non enim aliter argumentum motoris exponit S. Thomas (prima p. q. 2. art. 3 in Corp.) infeliciter prorsus, hoc circa punctum, a recentioribus derelictus. Necessitatem enim motoris non probat S. doctor nisi per potentiam motui quocumque modo intellecto essentialiter inhærentem; potentia enim actuari non potest, nisi per aliquid, quod sit in actu.

Argumentum sic expositum quibuslibet impugnationibus superius nobis videtur; ideoque illud retinendum esse, quidquid nonnulli dixerint, existimavimus.

2° Argumentum ex necessitate *ordinatoris* desumptum duplici modo institui potest : *a priori* nempe ostendendo quemlibet effectum contingentem, ut est mundus, causam intelligentem supponere; et *a posteriori*, hujus causæ existentiam ex ordine qui in mundo relucet concludendo.

Ex his duobus modis, posterior tantum in scholis adhiberi solet, alio prorsus neglecto. Uterque tamen legitime adhiberi potest, et ad existentiam Dei admittendam nos logice deducit. Imo, si res attente expendantur, dicendum erit argumentum *a priori* in hoc alteri præstare quod 1° majorem simplicitatem præ se ferat, quod 2° non sit obnoxium pluribus difficultatibus quibus argumentum *a posteriori* nonnullis obnoxium videtur.

Fatendum tamen quod, ubi agitur de existentia Dei demonstranda hominibus in rebus metaphysicis parumper aut minime versatis, argumentum *a posteriori* argumento *a priori* anteponendum est. Hi etenim homines multo magis commovebuntur consideratione ordinis mirabilis cujus vel oculis inattentis, mundus corporeus tanta exhibet indicia, quam deductionibus quibus a priori demonstratur necessitas causæ intelligentis ad phænomena mundi corporei producenda.

79. Diversæ argumentorum metaphysicorum species. — Argumenta metaphysica tot distingui debent, quot sunt judicia evidentiæ innixa, ex quibus existentia Dei deduci potest (n. 75).

Porro, triplex est series judiciorum, quorum certitudo in

evidentia fundatur, scilicet 1° judicia quæ versantur circa facta subjectiva quibus afficimur, 2° judicia quæ versantur circa existentiam substantialem animæ nostræ, 3° judicia tandem quæ ad ideas objectivas terminantur (*Log.*, n. 178 et seqq.). Quælibet autem ex his judiciorum evidentium seriebus, fundamentum suppeditat ad Dei existentiam astruendam. Unde triplex series generalior argumentorum metaphysicorum.

Prima series includit argumenta quæ deducerent existentiam Dei ex factis subjectivis animæ nostræ et in primis ex facto perceptionis idealis in se, et abstrahendo ab illius ad Deum realiter existentem terminatione, considerato. Facta subjectiva, sic spectata, existentiam Dei nobis concludere permittunt, quatenus illorum causa productrix non potest esse nisi Deus.

Secunda series includit argumenta quibus existentia Dei deducitur ex existentia animæ nostræ. Conscientia enim satis declarat hanc esse quid contingens, finitum, etc... proindeque nonnisi per creatoris potentiam ad existentiam perduci potuisse.

Tertia series includit argumenta quæ deducunt existentiam Dei ex objectivitate cogitationis, ideoque ex ideis nostris.

Postrema hæc argumenta tantummodo supra exposuimus. Cætera vero, utpote minoris momenti, consulto omisimus. Sufficiat nobis hic illa indicavisse.

Est et aliud argumentum quod, pluribus abhinc annis, pleraque compendia philosophica scholarum usibus accommodata, argumentis metaphysicis annumerant. Loquimur de argumento percelebri, quo Deum existere probant *per existentiam entis necessarii*. Ad hunc syllogismum reducitur :

Existit ens necessarium seu a se ;
Atqui, ens necessarium est Deus ;
Ergo, Deus existit.

Major deducitur ex impossibilitate explicandi existentiam entium, quæ nunc sunt, nisi admittendo ens aliquod a se et necessario existere. Si enim omnia entia contingentia forent, fuisset tempus in quo nihil prorsus exstitisset, et tunc entia hodie existentia forent effectus sine causa.

Minor autem probatur ex eo quod ens necessarium, utpote, nec per suam naturam, nec per suam aut alterius voluntatem limitatum, debet esse infinitum. Ens autem infinitum est Deus.

Argumentum istud in se quidem legitimum est. Si autem distinguatur ab argumento quod ex existentia subjecti cogitantis seu

animæ desumi posse modo diximus, prorsus immerito inter argumenta metaphysica computatur. Totum enim nititur existentia entium contingentium. Hæc autem existentia non per evidentiam, sed per sensum communem nobis constat. Potius igitur argumentis physicis annumerari deberet argumentum de quo agitur. Et reipsa a probationibus desumptis ex existentia materiæ vix differre videtur, nisi quatenus proponitur in forma generaliori.

III° *Argumentorum, quæ Dei existentiam astruunt, valor expenditur.*

80. Quæstiones expendendæ enuntiantur. — Inquirendum venit utrum, præfatorum argumentorum ope, existentia Dei ita demonstretur, ut illius veritas prorsus sit certa et inconcussa. Ad hanc accuratius solvendam seorsim expendemus 1° utrum, per præfata argumenta, tam certa fiat Dei existentia, quam quælibet res mundi, adeo ut vel Deum admittere, vel de quavis objectivitate dubitare debeamus? 2° utrum per eadem argumenta Dei objectiva realitas in se stricte demonstretur? 3° utrum tandem vis probativa iisdem argumentis inhærens, eodem modo et æque primario in omnibus illis inveniatur?

81. Existentia Dei in dubium revocari nequit, quin ipsamet certitudo denegetur. — Quod ad *primum* spectat, nulla difficultas esse potest. Triplex enim tantum, uti jam diximus, suppetit via qua ad alicujus judicii certitudinem pertingere possumus, *evidentia* nempe, *sensus communis* et *auctoritas*. Unde sequitur inter veritates certissimas annumerandum esse dogma quod, his omnibus mediis ita innotesceret ut, illorum legitimitate admissa, ipsum quoque necessario admitti deberet. Porro, talem, esse existentiam Dei ex præfatis argumentis omnino constat. Si enim ad *auctoritatem*, tanquam ad tutiorem veritatis adipiscendæ viam, confugiamus, nobis suppetit consensus generis humani unanimo ore Dei existentiam profitentis. Si *sensus communis* judicia tanquam regulam veritatis habeamus, mundus physicus, cujus existentia hac via nobis innotescit, nos ducit ad existentiam Dei, sine quo, nec esse, nec moveri, nec ordinari potuisset. Si demum, his omnibus dimissis, solius *evidentiæ* testimonio fides adhibeatur, per hanc manifestius adhuc apparebit

existentia Dei, in quo realitatem objectivam, qua essentialiter idea terminatur, invenimus.

Hinc patet vim probationum modo allatarum negari non posse, quin logice ad ipsammet certitudinem denegandam deveniamus, unde iterum concludere possumus inter fidem in Deum et scepticismum universalem medium non dari.

82. Existentia Dei certa est non subjective tantum, sed et objective. — Soluta prima quæstione, secunda ad id reducitur utrum certitudo *objectiva* sit possibilis, utrum nempe ratiocinia nostra ultra subjecti limites per se extendantur; an econtra, ut volunt scepticismi objectivi propugnatores, ratiocinia hæc, etsi legitime instituta, valeant quidem in *ordine ideali*, minime vero de *ordine reali* nos certos efficiant.

Quæstio sic posita, non ad præsentem Tractatum pertinet, sed ad Logicam, in qua, ex professo, illam expendimus (*Log.*, n. 184 et seqq.). Sufficiat, quoad nunc, animadvertere distinctionem inter *reale* et *ideale*, cui præcipue innituntur objectivæ certitudinis impugnatores, vanam esse, nec, absque manifesta contradictione, allegari posse. Si enim *ideale* tantum per facultates cognoscitivas quibus præditi sumus, ratiociniaque nostra etiam legitime instituta, valeamus attingere, jam de *reali* nec cogitare, nec loqui possibile nobis est, proindeque non solum de illius existentiæ facto non possumus pronuntiare, sed nec etiam problema, de quo nunc agitur, concipere. Dicendum est igitur certitudinem nostram non subjectivam tantum, sed et objectivam esse; quatenus perceptio nostra ad realitatem ipsam objectivam necessario terminatur. Posito autem quod, mediante perceptione, aliquid sit nobis objective certum, illud imprimis de Dei existentia teneri debet. Non solum enim Deus a mente nostra percipitur; dicendum est etiam, ipso non percepto, nihil prorsus a nobis percipi posse.

83. Argumentorum supra allatorum valor respectivus. — Remanet expendendum utrum vis probativa, quam iisdem argumentis inesse jam nobis constat, æque primario et modo independenti in omnibus inveniatur; an econtra varia hæc argumenta ad unicum reduci debeant quod solum Dei existentiam demonstrandi per se vim habeat.

84. Duplex quæstionis respectus. — Ut hæc quæstio resolvatur, ante omnia necesse est ut sedulo determinemus quidnam per vim probativam alicujus demonstrationis debeat intelligi.

Generatim loquendo, demonstrationis objectum est veritatem alicujus judicii nobis aut aliis astruere, ostendendo judicium istud in altero judicio certo includi. In hoc autem efficiendo, duplicem scopum possumus habere. Vel nempe nihil aliud intendimus quam dubium in mente alicujus ortum expellere. Vel nobis proponimus assignare ultimum fundamentum cur judicio demonstrando adhærere debeamus, seu illius *scientiam* obtinere. — Ubi priorem tantummodo scopum assequi volumus, vim probativam sufficientem habebit nostra demonstratio, modo judicium principii instar a nobis positum, in se quidem sit verum, et tale admittatur ab eo in cujus gratiam argumentum instituitur. — Ubi vero posterior scopus nobis est attingendus, evidens est demonstrationem aliquam valere non posse, nisi principium vel sit absolute et per se certum, vel alterius principii hac dote insigniti ope, ipsum demonstretur.

85. Quæstionis resolutio. — His prænotatis, de quæstione supra posita hæc statueremus.

1° Si argumenta modo allata spectentur ut media aptissima ad convincendos homines de veritate existentiæ Dei, ostendendo hujus veritatis connexionem cum factis et principiis in se verissimis, et de quorum veritate nemo serio dubitat; agnoscendum est unumquodque eorum vim probativam independentem planeque sufficientem habere.

2° Si autem eadem argumenta eo fine adhibeantur ut existentia Dei scientifice demonstretur, id est, ut judicii quo huic veritati adhæremus ultimum fundamentum assignetur, aliud esse dicendum facile constat. Etenim, ex modo dictis, argumenta, de quibus agitur, in hoc præcise a se invicem discriminantur quod ad eumdem certitudinis fontem non referantur. Quæstio igitur hic nobis resolvenda ad id reducitur : utrum inter varios certitudinis fontes aliqua subordinatio sit admittenda, utrum vero æque primario et independenter ab invicem certitudinem producant. Cum autem de hoc posteriori puncto alii aliter sentiant, eadem discrepantia circa valorem relativum argumentorum nostrorum existere debet.

Scilicet, quotquot habent tria certitudinis motiva, *auctoritatem* nempe, *sensum communem* et *evidentiam* ut æque primaria, argumentis superius allatis vim independentem a se invicem tribuere debent. Qui vero subordinationem quamdam inter præfata motiva certitudinis admittunt, illaque vel ad *auctoritatem*, vel ad *sensum communem*, vel ad *evidentiam* ultimo et scienti-

fice reducenda esse existimant, idem de probationibus, quæ Dei existentiam astruunt, sentire debent.

3° Hinc facile constat quænam foret solutio quæstioni propositæ a nobis afferenda.

Etenim, inter opiniones circa subordinationem motivorum certitudinis modo enuntiatas, huic in Logica adhæsimus quæ quamlibet certitudinis speciem evidentiæ demum religari contendit. Ut igitur nobisipsis consentiamus, admittamus necesse est argumentum metaphysicum relative ad alia primatum tenere ; adeo ut hæc posteriora illi scientifice innitantur.

Quidquid sit, sedulo notandum est controversiam hanc legitimitati præfatorum argumentorum nullatenus officere. Etenim 1° prout jam observavimus, quicumque sceptici non sunt, id est, quicumque judiciis humanis aliquam certitudinem inesse posse existimant, eo ipso admittere debent præfata argumenta, saltem in eorum complexione spectata, firmissimam demonstrationem existentiæ Dei constituere. — 2° Licet auctores de ordine prioritatis nostris argumentis assignando disputent inter se, omnes tamen in eo conveniunt quod unumquodque eorum sit in se legitimum, illius scilicet præmissas esse veras, illius item conclusionem ex his præmissis rigorose deduci. Ex hac igitur controversia, quæ evidenter nonnisi inter theistas est possibilis, nihil prorsus in gratiam sui systematis athei concludere possunt.

CAPUT TERTIUM.

Argumentorum, quæ Dei existentiam probant, historia texitur.

86. Argumentorum, quæ Dei existentiam probant, origo determinatur. — Supremi numinis existentiam homines unanimiter credidisse, antequam veritatis illius scientifica demonstratio instituta fuisset, nullum dubium esse potest. Quando enim primi scientiarum philosophicarum cultores Deum esse admittendum astruere conati sunt, variis rationum momentis, jam veritatem hanc in primæva revelatione fundatam et, traditionis ope, a patribus ad filios transmissam, universus orbis profitebatur.

Hinc nullum invenimus vestigium argumenti ad illam comprobandam instituti, antequam, apud Græcos, scholæ philosophicæ exortæ fuissent.

Ab hac igitur epocha demonstrationis existentiæ Dei historiam nectere incipiemus, uniuscujusque argumenti supra allati, tum originem, tum successivas transformationes breviter describendo.

87. Epicurus argumenti moralis auctor. — Argumenta primæ seriei seu moralia, quæ nempe Deum existere probant per generis humani consensum, a vetustissimis temporibus adhibita fuerunt. Pluribus in locis, sed tamen quasi per transennam, demonstrationem hanc enuntiat Plato. Epicurus autem primus esse videtur qui expresse, tanquam demonstrationem proprie dictam existentiæ Dei, illam adhibuerit.

Hic nempe cum admisisset materiam, non solum existentiam, sed et motum ex seipsa habere, exinde concludit mundum præsentem per concursum fortuitum elementorum materialium, ideoque absque ullo divinitatis concursu, fuisse efformatum.

Cum igitur ex consideratione mundi existentiam Dei deducere non posset, veritatem hanc ex alio fonte eruere conatus est. Doctrinæ, quam circa illud punctum profitebatur, summa hæc est.

Diffiteri nemo potest anticipatam divinitatis notionem animæ nostræ naturaliter esse impressam. Hoc satis probat omnium hominum consensus. Quæ est enim gens, aut quodnam genus hominum quod non habeat, sine doctrina, anticipationem aliquam deorum. Exinde autem concludendum est deos, cum a natura existere doceantur, reipsa existere.

Attamen, a multis, nec forsan prorsus immerito, ambigitur, utrum serio hanc argumentationem Epicurus proposuerit; an per illam tantum atheismi probrosam insimulationem effugere voluerit.

88. Idem argumentum a veteribus et recentioribus frequenter adhibitum. — Quidquid sit, demonstratio hæc a pluribus philosophis veteribus, etiam epicureismo alienis, adhibita fuit. In primis citari possunt Plutarchus et Tullius.

Ipsimet SS. Patres ad Dei existentiam comprobandam consensum generis humani testem invocant. Ita præcipue Lactantius.

Quam demum frequens fuerit ejusdem probationis usus apud recentiores, nemo nescit. De his etiam hoc observandum est quod specialem curam adhibuerunt ut in strictiori forma illam proponerent. Diligentius nempe ostendere conati sunt 1° omnium

hominum consensum, quibusdam insignitum characteribus, ab omni erroris periculo immunem esse ; 2° consensum omnium hominum in Deo admittendo hos characteres præ se ferre, proindeque ad Dei existentiam stricte demonstrandam ipsum adhiberi posse.

89. Argumenti physici origo. — Argumentum physicum quod nempe ex consideratione mundi corporei probat Deum existere, cæteris argumentis antiquitate præcellere videtur. Verisimile est rationem hujus prioritatis inveniri in modo, quo primi scientiarum philosophicarum cultores, ad existentiæ Dei dogma demonstrationibus fulciendum adducti fuerunt.

Norunt nempe Historiæ philosophiæ periti primum et præcipuum problema cujus solutioni operam dederint philosophi græci, præsertim antiquiores, fuisse *Cosmogoniam* seu mundi originem. Dum autem hujus problematis solutionem sedulo investigarent, haud ipsis difficile fuit animadvertere mundum physicum, Deo non admisso, explicari non posse. Hinc cosmologicæ speculationes ad demonstrationes existentiæ Dei, quas *physicas* appellavimus, logice deduxerunt.

Cum autem diversa fuerit apud veteres mundum explicandi ratio; diversimode etiam ad Deum admittendum ex consideratione mundi physici adducti fuerunt. Unde, triplex argumentum physicum superius a nobis expositum.

90. Origo argumenti ex necessitate creatoris desumpti. — Juxta quosdam, inter quos reponendi videntur Pythagoras et *Eleatæ metaphysici*, mundus corporeus, cum multiplicitatis et variabilitatis characteres præ se ferat, per se esse non potest. Quod enim est per se, unum et immutabile esse debet. Independenter igitur ab isto mundo, agnoscenda est natura quædam his dotibus insignita, et in qua rerum omnium mundanarum ultima ratio inveniatur.

In hac deductione, facile est agnoscere originem argumenti physici ex necessitate creatoris desumpti. Fatendum est tamen argumentum istud cum ea perfectione quam nunc habet, primitus institutum non fuisse. Veteres enim philosophi ad notionem distinctam creationis assurgere non potuerunt. Hinc, quotquot inter eos ens per se existens unum et immutabile admiserunt, productionem mundi ab illo non concipiebant nisi, vel tanquam emanationem, vel tanquam phænomenalem manifestationem. Eorum itaque mundi creationem explicandi ratio ad pantheismum plus minusve accedit.

91. Strictior ejusdem argumenti forma apud SS. PP. —

Cum autem, accedente lumine Evangelii, notiones puriores animos imbuissent, strictiorem quoque formam accipere debuit argumentum, de quo nunc agitur. Et reipsa plerique SS. Ecclesiæ Patres ex necessitate creatoris, juxta sensum proprium et hodie usitatum hujus vocis, Deum existere probant. Audiamus in primis S. Joannem Damascenum (*De fide orthodoxa*).

Cum ea quæ sunt, inquit, sint mutabilia; plane fuerunt creata. Si creata sunt, prorsus ab aliquo condita sunt. Oportet autem conditorem increatum esse. Nam, si etiam ille creatus est, omnino ab aliquo creatus est; donec ad increatum aliquid procedendo perveniatur. Increatus ergo conditor plane est et immutabilis. Hoc vero quid aliud esse potest quam Deus?

Idem argumentum sæpius, in decursu temporum, tum a scholasticis, tum a recentioribus adhibitum fuit. Non invenimus autem quod expositioni S. Joannis Damasceni modo allatæ, aliquid essentiale deinceps fuerit immutatum.

92. Origo argumenti ex necessitate motoris desumpti. — Necessitatem unitatis primitivæ ad producendum mundum, sive in sensu emanationis, sive in sensu creationis, non agnovit Aristoteles. Existimavit mundum, qualis nunc existit, id est, non quoad *materiam* tantum, sed quoad suam *formam*, ab æterno et per se existere. Attamen, inter ea quæ in mundo deprehenduntur, unum est, motum videlicet, quod a materiæ essentia non profluit, quod proinde a seipsa habere non potuit. Hunc igitur ab alio accipere debuit. Unde materiæ *motorem* admittendi necessitas. Nunc vero, materiæ motor immotus est; alioquin ipse motore indigeret et sic in infinitum. Porro, motor ille immotus, est Deus. Sic devenit Aristoteles ad existentiam Dei comprobandam, ideoque secundi argumenti physici adinventio ipsi merito tribuitur.

Idem argumentum adhibitum fuit a scholasticis et in primis a S. Thoma, qui illud proponit *ut præcipuam probationem qua* existentia Dei astrui possit.

Jam supra observavimus quomodo plurimi recentiores, per minus accuratam illius expositionem, vim probativam, quæ illi competit, infirmaverint.

93. Origo argumenti ex necessitate ordinatoris desumpti. — Fuerunt demum, inter veteres, qui, circa mundi originem, quasi mediam, inter præcedentes, opinionem tenuerunt. Admiserunt quidem materiam, ex qua mundus coalescit, æternam esse, necessariam et per se existentem. Vi autem suæ naturæ, nullam habet formam, sed meram capacitatem quaslibet formas

suscipiendi. Ita inter alios, Thales et schola *Ionica*, Plato, Zeno, etc. His igitur, ut mundi præsentis rationem reddere possent, explicandum erat quomodo materia hæc, primum informis, varias, quas in illa nunc deprehendimus, formas potuerit induere. Porro, plurimi eorum, et in primis Anaxagoras, Plato et Zeno facile animadverterunt intelligentiam ordinatricem ad id prorsus necessariam fuisse. Hinc præfati philosophi, ut auctores argumenti ex ordine mundi desumpti vulgo exhibentur. Istud tamen discriminis inter ipsos invenitur, quod duo priores intelligentiam ordinatricem a materia distinxerunt; dum posterior nihil aliud in illa agnoscebat quam materiam subtiliorem.

Argumentum istud, quod, præ cæteris, omnium hominum captui est accommodatum, apud plerosque SS. Patres expositum invenimus.

Inter recentiores vero qui illud proposuerunt, in primis citari meretur Fenelonius, in Prima Parte operis cui titulus : *Traité de l'Existence de Dieu.*

94. Prima adumbratio argumenti metaphysici apud Platonem. — Demonstrationis metaphysicæ existentiæ Dei prima origo aut potius prima adumbratio Platoni tribuenda videtur. Hic scilicet cum animadvertisset *particulare* a nobis concipi non posse, nisi in mente nostra præcedat conceptus *universalis;* exinde concludit existere debere extra res individuales, quæ hunc mundum constituunt, alterum mundum in quo essentiæ universales, proindeque rationes intelligibiles omnium rerum continentur. Inibi quidem invenitur fundamentum argumentorum quæ ex sola essentiarum consideratione supra instituimus. Facile enim constat mundum hunc intelligibilem, quem merito admittit Plato, a Deo non discrepare. Utrum tamen conclusionem hanc eduxerit ille non omnino constat.

95. Idem argumentum S. Augustinus exponit et evolvit. — Demonstrationis hujus alia vestigia apud philosophos, qui ante Christum floruerunt, non invenimus. Eam vero speciali cura evolverunt philosophi Christiani, inter quos primum citare debemus S. Augustinum. Argumentum metaphysicum duplici in forma a S. Doctore proponitur. — 1° Animæ nostræ perpetuo illucescunt ideæ regularum æternarum, quarum ope, de numeris, figuris, pulchro judicamus, quibus etiam utimur ut verum a falso, justum ab injusto secernamus. Hæ autem regulæ, cum sint æternæ et immutabiles, naturam quamdam æternam et immutabilem arguunt in qua illas contemplemur. Illa porro

natura Deus est (Ita S. August., passim, in primis vero *De Musica*, l. 6; *de Vera Religione*, cap. 30-31). — 2° Si ad rerum mundanarum naturam attendimus, nobis constabit alias aliis meliores esse et perfectiores, gradus nempe perfectionis diversos in illis inveniri. Porro, gradus hujusmodi in rebus mundanis non invenirentur, si non existeret natura quædam, quæ non tantum bona sit et perfecta, sed bonum ipsum ipsaque perfectio. Evidens est enim rem non posse dici altera meliorem et perfectiorem, nisi quatenus in diverso gradu de eadem qualitate, quæ alicubi in summo gradu existere debet, participat. Natura autem illa optima et perfectissima in qua cujuslibet bonitatis et perfectionis mensura reponitur, est Deus. Hoc argumentum præcipue tractat S. Augustinus in libro 8 *de Civitate Dei.*

Vix necesse est animadvertere primum S. Augustini argumentum, cum argumento metaphysico, quod *intuitivum* nuncupavimus, pene confundi; secundum vero ab argumento *deductionis a posteriori* non discrepare.

96. Argumentum deductivum a priori a S. Anselmo primum expositum. — Argumentum metaphysicum, quod *deductivum a priori* nuncupavimus, prima vice expositum invenimus apud S. Anselmum cantuariensem episcopum, in *Proslogio*. In hujus operis præfatione declarat S. Doctor se dudum quæsivisse argumentum existentiæ Dei, cujus ope, quemlibet adversarium de hac veritate ita convincere valeret, ut nemo, quin sibi turpiter contradiceret, illam rejicere posset. Argumentum istud, quod subita quadam illuminatione mentem suam invasisse testatur, sic exponit (cap. 2 et 3).

« Credimus, Domine, te esse aliquid, quo nihil majus cogitari » possit. An ergo non est aliqua talis natura, quia *Dixit insipiens* » *in corde suo, non est Deus?* Sed certe idem ipse insipiens, » cum audit hoc ipsum quod dico, *aliquid quo majus nihil* » *cogitari potest*, intelligit quod audit, et quod intelligit in » intellectu ejus est...... Et certe, id quo majus cogitari nequit, » non potest esse in intellectu solo. Si enim vel in solo intellectu » est, potest cogitari esse et in re : quod majus est. Si ergo *id*, » *quo majus cogitari non potest*, est in solo intellectu, *idipsum*, » *quo majus cogitari non potest*, est *quo majus cogitari potest* : » sed certe hoc esse non potest. Existit ergo procul dubio *ali-* » *quid, quo majus cogitari non valet*, et in intellectu et in re » (cap. 3). Quod utique sic vere est, ut nec cogitari possit non » esse. Nam potest cogitari esse aliquid quod non possit cogi-

» tari non esse ; quod majus est, quam quod non esse cogitari
» potest. Quare si id, quo majus nequit cogitari, potest cogitari
» non esse : idipsum quo majus cogitari nequit, non est id quo
» majus cogitari nequit : quod convenire non potest. Sic ergo
» vere *est quo majus cogitari non potest*, ut nec cogitari possit
» non esse : et hoc es tu, Domine Deus noster. Sic ergo vere es,
» Domine Deus meus, ut nec cogitari possis non esse, et me-
» rito..... »

97. Argumentum S. Bonaventuræ in Itinerario. — Non prætermittere debemus argumentum quod proponit S. Bonaventura in opusculo inscripto : *Itinerarium mentis ad Deum*. — Quidquid concipimus, inquit, reducitur ad ens in tali vel tali gradu. Hoc autem supponit conceptum entis in summo gradu, cujus proinde contemplatio nobis incessanter præsens esse debet. Ens igitur in summo gradu existere debet. Porro, ens in summo gradu Deus est.

Jam audivimus S. Augustinum ex idea regularum æternarum Dei existentiam educentem. Sed apud S. Bonaventuram idem argumentum modo perfectiori exponitur, quatenus melius ostendit conceptus quarumlibet rerum ad conceptum entis absoluti denuo reduci.

98. Argumentum metaphysicum a Cartesio expositum. — In recentioribus temporibus, argumentum S. Anselmi renovavit Cartesius. Ex tribus enim probationibus existentiæ Dei, quas proponit, tertia et celebrior sic se habet : — *Habeo ideam infiniti ; ergo, existit. Etenim, affirmandum est de re aliqua quidquid in ejus idea continetur. Atqui, in idea infiniti includitur existentia ; perfectius est enim existere quam esse possibile tantum.*

Cartesii discipuli hanc probationem admiserunt, et ab impugnationibus quibus obnoxia fuit tutaverunt. Inter eos tamen Leibnitzius aliquam præfato argumento modificationem esse afferendam existimavit. Sic in illius expositione procedit : — *Habemus ideam infiniti. Ergo, saltem est possibile. Porro, repugnat quod ens infinitum sit possibile tantum; seu non potest esse possibile, quin simul existat. Ergo, existit.*

Hoc tamen additum non videtur essentiale discrimen constituere inter argumentum Leibnitzii et argumentum Cartesii.

99. Argumentum intuitivum Malebranchius et Fenelonius proponunt. — Præter argumentum istud, duo celebriores scholæ Cartesianæ philosophi, Malebranchius nempe et Fenelonius, de novo proposuerunt argumentum intuitivum, ex immediata con-

templatione entis summi, quod Deus est, eductum. Hoc argumentum sponte fluebat ex doctrina, ab utroque admissa, qua nos omnia in Deo intelligere propugnabant.

100. Argumentum Clarkii. — Nonnulla hic dicere debemus de argumento metaphysico existentiæ Dei quod Clarkius, in opere inscripto : *Tractatus de Existentia et attributis Dei* eduxit ex duplici conceptu spatii et temporis.

Habemus, inquit, ideam spatii et temporis sine limitibus. Prius *immensitatem*, posterius *æternitatem* nuncupamus. Hæ ideæ, eo ipso quod sint in nobis, necessario exprimunt attributa entis actu existentis. Cumque exhibeant menti aliquid necessarium, ens, cui competunt, eadem prærogativa insigniri debet. Ens autem necessarium est Deus.

Argumentum istud acriter impugnavit Leibnitzius, ostendendo spatium et tempus, non Dei proprietates, sed meras rerum creatarum relationes dicere. In hoc quidem cum Leibnitzio standum esse putamus. Non tamen omni robore destitui videtur argumentatio Clarkiana. Verissimum est enim dicere conceptus spatii et temporis existentiam Dei arguere, non quidem quatenus illius proprietates, sed quatenus concipi non possunt tempus et spatium, nisi existat ens cui suppetat sufficiens potestas ut entia sibi invicem, sine ullo termino, sive in tempore succedentia, sive in spatio coexistentia producere possit. Ens autem illud est Deus.

SECTIO SECUNDA.

DE DISTINCTIONE EXISTENTIÆ DEI A CÆTERIS EXISTENTIIS, SEU DE PANTHEISMI CONFUTATIONE.

101. Quæstio solvenda exponitur. — Præter essentiam divinam, quæ plenitudinem entis in se continet; plures aliæ concipiuntur, quarum unaquæque, juxta gradum determinatum, de ente participat. Hujusmodi essentiæ, eo ipso quod cogitationem terminant, aliquid constituunt quod, vel nunc in actu

existit, vel ad actum reduci potest. Quæritur autem utrum actus ille seu existentia quæ, saltem potentialiter, his essentiis competit, sit ab existentia Dei distinguenda, nec-ne.

102. Pantheismi notio generalior. — Huic quæstioni negative respondetur a pantheistis, quorum proinde doctrina primum summatim debemus exponere.

Juxta illos, Deus solus existit et existere potest. Hic, utpote infinitus, quidquid positive concipitur in seipso continere debet. Unde sequitur omnia in illo necessario identificari. Mente quidem impressam gerimus ideam *finitudinis*, *multiplicitatis*, imo et *creationis*, quæ, sine termino a creatore distincto, concipi non potest. Hæc autem, vel nihil aliud sunt quam illusiones imaginationis, vel exprimunt tantum internam evolutionem et manifestationem qua Deus, licet semper idem remanens, semper unus, infinitus, increatus, sese quasi limitat, multiplicat, imo et phænomenaliter creat.

In hac rerum omnium in Deo identificatione consistit fundamentale pantheistarum dogma. Longe tamen abest quin illam eodem modo explicent. Hinc variæ pantheismi formæ quas nunc enumerare debemus.

103. Prima pantheismi forma : Emanatismus. — Juxta plures, Deus primum existebat tanquam ens infinitum, vita gaudens personali completa et independente. Postea vero, sese manifestare cupiens, de mundo creando decretum tulit. Creatio autem concipi non debet ut productio entis e nihilo; sed tanquam communicatio finita entis, quod jam in gradu infinito creator possidebat. Vi illius communicationis, nova individua producuntur quæ vitam personalem distinctam possident in ente divino. Deus, itaque et cætera entia, distinguuntur quidem quoad *individualitatem ;* confunduntur autem quoad *substantiam,* quæ in communi possidetur, tum a Deo, tum a creaturis; ab his quidem in gradu finito, ab illo autem in gradu infinito. Hinc in unitate substantiæ divinæ, plures dantur termini quorum unusquisque parte illius determinata

constituitur. Substantia divina toties suiipsius conscientiam habet, toties proinde principium distinctum actionis, centrum imputabilitatis, verbo dicam, *persona* existit, quoties eo modo limitatur.

Demum, ipsa distinctio personalis seu individualis, qua Deus a creaturis secernitur, post aliquod tempus cessare debet. Creaturæ enim ad pristinam unitatem rediture sunt, per earum completam absorptionem in personalitate divina. Hinc creatio apte repræsentatur sub imagine fluminis quod, ex mari egressum, ad illud rursus, variis regionibus peragratis, reverteretur. Ita intelligenda videtur identificatio Dei et mundi, quam plures veteres scholæ propugnasse perhibentur, quam vero in strictiori forma apud nos renovavit schola *humanitaria*.

Talis est celeberrima *emanationis* doctrina quæ, inter cæteras pantheismi formas, antiquitate præcellere videtur.

104. SECUNDA PANTHEISMI FORMA : FORMALISMUS. — Secunda forma in eo a præcedenti discrepat, quod, inter Deum et cætera entia, ne personalem quidem distinctionem admittit. Qui nempe illam propugnant Deum non habent ut individuum personale intelligentia et amore præditum. Deus enim est ens infinitum. Infinitum autem in individualitate distincta constitui nequit; alioquin, quatenus individuum, limitibus circumscriberetur, sicque infinitum dici non deberet. Ens igitur divinum concipi non debet, nisi tanquam vis quædam ubique diffusa, seu nullis determinata limitibus. Hæc vis, entium individualium quorumcumque quæ concipiuntur a nobis, realitatem constituit. In se autem, et independenter ab individuis spectata, nihil aliud est quam mera abstractio absque realitate. Hinc varia entia, sub aliquo quidem respectu, id est, quatenus de illa vi participantia, identica inter se existunt. At simul a se invicem distinguuntur, tanquam *formæ reales* seu *modificationes*, quas, propter necessitatem naturæ suæ inhærentem, vis præfata indesinenter producit. Harum formarum, in quibus vita divina consistit, duplex est species generalior: *cogitatio* nempe et

extensio. Prior constituit mentes humanas, cæteraque entia spiritualia. Posterior constituit mundum corporum. Ita præcipue Spinosa.

Doctrina hæc, cum realitatem entium in formis necessariis entis infiniti reponat, ideo *formalismi* nomine a quibusdam designatur. Eadem denominatione nos quoque deinceps utemur.

105. TERTIA PANTHEISMI FORMA : IDEALISMUS. — Formalismi propugnatores aliquam adhuc inter entia distinctionem admittunt; ideoque, in eorum systemate, rerum omnium absoluta identificatio nondum perfecta existit. Ut ad hanc identificationem pervenirent, ipsammet formalem distinctionem inter varias infiniti manifestationes negaverunt plures pantheistæ. Contendunt itaque varia entia quæ ab *emanatistis*, ut distinctæ individuationes substantiæ divinæ, a *formalistis* vero, ut diversæ ejusdem substantiæ modificationes habentur, nihil prorsum distinctum dicere a parte rei, nec aliud esse quam ideas mentis nostræ, seu abstractiones, quibus successive ens a nobis apprehenditur. In re autem, nihil existit et existere potest præter ens, absque ulla forma distincta, ideoque prorsus indeterminatum, quod nec tanquam infinitum, nec tanquam finitum; nec tanquam materia, nec tanquam spiritus; nec tanquam unum, nec tanquam plura, nobis repræsentare debemus. Porro, ens tale reipsa cum nihilo confunditur. Hoc consectarium admittunt pantheistæ, quorum deliria exponimus. Hinc realitatem quam admittunt, non proprie *ens*, sed τὸ *fieri* (*le devenir*) nonnulli nuncupant; eo quod nihil quidem est in se, sed omnia fieri potest, quatenus conceptuum nostrorum quorumcumque fundamentum et quasi objectum commune existit.

Tertia hæc pantheismi forma, cum realitatem existentiarum quatenus distinctarum, ab ideis nostris unice desumat, *idealismi* nomine merito designatur.

106. QUÆSTIONES EXPENDENDÆ. — Hac expositione præmissa, seorsim nunc confutandæ veniunt singulæ pantheismi

formæ, modo determinatæ. Ostendemus igitur 1° aliquas distinctiones reales in ente esse admittendas, proindeque omnia in absoluta identitate non confundi, prout volunt *idealistæ*. Ostendemus 2° terminos distinctos, quos in ente admittere cogimur, non meras esse formas ejusdem personalitatis, ut volunt *formalistæ*; sed saltem ut personas et individuationes distinctas terminos hujusmodi esse agnoscendos. Ostendemus demum 3° has personas seu individuationes in eadem substantia existere non posse, proindeque pluralitatem substantiarum, contra *emanatistas* poterimus demum concludere.

107. Thesis prima. — *Distinctiones reales in ente objective spectato sunt admittendæ: ideoque identitas absoluta, ad sensum idealistarum, est rejicienda.*

Prob. — Intellectus noster cogitando concipit in ente plures distinctiones reales; proindeque distinctiones illæ, saltem subjective, admitti debent. Atqui, distinctiones reales subjective, reales quoque objective esse debent. Ergo, etc.

Prob. maj. — Apprehensionem subjectivam distinctionum realium admittunt ipsimet idealistæ; hanc præterea evidentissime conscientia testatur. Etenim, ibi ab intellectu apprehenditur distinctio realis, ubi plures concipiuntur termini quorum unus cum altero sine contradictione confundi non potest. Atqui, plures hujusmodi termini ab intellectu concipiuntur.

Nam 1° ipsummet cogitationis factum, prout de illo conscii sumus, essentialiter consistit in relatione inter subjectum et objectum. Unum igitur ex his terminis cum altero confundi non posse supponit. Si enim confunderentur, relatio inter utrumque foret impossibilis.

2° Subjectum cogitationis de seipso conscientiam habet, tanquam de ente contingenti, proindeque per operationem alterius entis ad existentiam perducto. Atqui, principium operationis et ipsius terminum inter se confundi sine contradictione supponere non possumus.

3° Objectum tandem cogitationis plurimos menti exhibet

conceptus qui se invicem negant, quos proinde mens non posset sine contradictione inter se confundere. Tales sunt v. g. conceptus *finiti* et *infiniti*.

Prob. min. — Prout enim jam pluries observavimus, ens objectivum est illud ipsum quod terminat intellectum nostrum, seu quod a nobis immediate apprehenditur, dum cogitamus. Hoc posito, omnino necessarium est res objective se habere, quemadmodum subjective a nobis apprehenduntur; alioquin res eadem esset et non esset. Cum igitur distinctiones reales in ente subjective concipiamus, eædem distinctiones in ente objective spectato inveniri debent. Ergo, etc.

Et vero, si distinctiones reales, quas cogitando in ente concipimus, in ipso objective spectato realitatem non haberent, tunc unum ex his duobus admitti deberet: vel illud, quod cogitando concipimus, nihil prorsus extra mentem nostram et objective dicere, proindeque cum nihilo absoluto confundi; vel de ipso nihil aliud enuntiari posse quam ens indeterminatum idealistarum, in sensu supra exposito.

Atqui neutrum ex his dici potest.

Non prius. — Tunc enim in *nihilismum* incideremus. Porro, nihilismus est aliquid adeo absurdum et contradictorium, ut a nemine serio propugnari possit.

Non posterius. — Nam 1° vel cogitatio nostra res apprehendit prout sunt in se, vel non. Si prius, ergo objecta quæ cogitamus omnem habent realitatem quam cogitando in illis deprehendimus. Si posterius, ergo nihil de iisdem objectis, ne ens quidem indeterminatum affirmari debet. Quælibet enim affirmatio circa objectivitatem in veritate apprehensionis mentalis fundamentum habet. — 2° Ens indeterminatum mera est abstractio quæ nullam in se realitatem habet: nullum enim ens concipi potest quod non sit aliquo modo determinatum. Idealistæ, igitur, dum nullam, præter illud, realitatem volunt agnoscere, velint nolint, in *nihilismum* incidere coguntur. Nec dicant ens indeterminatum in hoc a nihilo absoluto discrepare

quod exprimat ens *in fieri*. Quod enim in se nihil est, aliquid per se *fieri* non potest.

Solvitur Objectio.

108. Objicies. — Illud admitti non debet ex quo sequeretur in objecto cognitionis humanæ contradictionem adesse. Atqui, admissa thesi, illud sequeretur. Ergo, etc. . .

Prob. min. — Contradictorium est objectum cognitionis humanæ esse simul *finitum* et *infinitum*, *ens secundum quid* et *ens simpliciter*, *inferius* et *supremum*, *materiale* et *spirituale*, *relativum* et *absolutum*, etc.... Porro, si objectum cogitationis nostræ reale foret, sub omni respectu sub quo illud cogitamus, illud eveniret. Tunc nempe ens, ad quod omnes cogitationes nostræ terminantur, *finitum* foret et *infinitum*, etc... ; siquidem cum his determinationibus a nobis concipitur (Ita fere Hegelius).

Resp. Neg. min. — In eo vis præfatæ objectionis consistit, quod supponat varios characteres *finitudinis* et *infinitudinis*, *relativi* et *absoluti*, etc... eamdem realitatem, juxta nos, simul afficere. Atqui, consectarium istud, quod reipsa absurdum foret, ex thesi nostra minime sequitur. Etenim, ens quod solum, in veriori sensu, objectum cognitionis humanæ constituit, a nobis non apprehenditur nisi cum characteribus perfecte sibi congruentibus *infinitatis*, *absoluti*, etc.... Dum autem characteres oppositos *finitudinis*, *relativi*, etc... objective concipimus, hos utique tanquam entis infiniti, absoluti, etc... proprietates non concipimus, adeo ut idem ens simul concipiatur ut infinitum et finitum, etc... Concipimus tantum una cum ente infinito existere posse alia entia characteribus omnino diversis insignita; quæ quidem, ex una parte, ab ente infinito, tanquam entia penitus distinguuntur; simulque, ex alia parte, ab hujusmodi ente pendent in suo *esse*, quatenus ab eo producta.

109. Thesis secunda. — *Distinctiones reales, quas in ente objective spectato admittere debemus, arguunt existentiam seu possibilitatem entium, saltem quoad vitam personalem, a Deo distinctorum : ideoque identitas personalis, ad sensum formalistarum, est rejicienda.*

In hac thesi, duo implicite enuntiantur : 1° in Deo, quatenus est Deus, id est, quatenus est Ens simpliciter, infinitum, supremum, vitam personalem esse agnoscendam ; 2° plura sive actualiter, sive potentialiter existere entia quæ ad vitam personalem divinam, vi eorum naturæ, nequaquam pertinent. Unde duæ partes seorsim probandæ.

Probatur pars prior, nempe : *in Deo, quatenus est Deus, vitam personalem esse agnoscendam*.

Ad vitam personalem constituendam, tria requiruntur et sufficiunt : 1° ut detur vis in actu, id est, subjectum quod sit activæ determinationis principium ; 2° ut vis illa alteri non subjiciatur, id est, sit relative ad ipsius determinationes ultimus imputabilitatis terminus ; 3° ut demum eadem vis cum conscientia in actum erumpat, ideoque dicat *Ego* (*Ont. gen.*, n. 81). Ut igitur Deus, quatenus Deus, vita personali gaudeat, sufficit ut, quatenus Deus, id est, quatenus Ens simpliciter, supremum, infinitum, triplicem prærogativam modo enuntiatam possideat. Hoc autem facile constat.

Et quidem 1° *Deus, quatenus Deus, est vis in actu.* — Deus, quatenus Deus, id est, quatenus Ens simpliciter, infinitum, supremum, actuali pollet existentia. Illud ex dictis in præcedenti Sectione abunde constat. Porro, ens actuali pollens existentia idem est ac *vis in actu* (*Ont. gen.*, n. 61 et 72). Ergo, Deus, quatenus Deus, est vis in actu.

2° *Vis in actu, qua Deus in sua existentia constituitur, vi alteri non subjicitur, estque, relative ad ipsius determinationes, ultimus imputabilitatis terminus.* — Vis enim in actu, qua Deus in sua existentia constituitur, nulli subjectioni subesse, suique ipsius domina in sensu absolutissimo esse debet. Alioquin, entis simpliciter, infiniti, supremi actuatio non esset, ut patet.

3° *Vis in actu, qua Deus in sua existentia constituitur, cum perfectissima conscientia in actum erumpit.* — Hæc enim

vis perfectissima cum conscientia in actum erumpit, cujus actus cognitionem et amorem essentialiter includit. Atqui, talis est vis in actu qua Deus constituitur. Hæc enim est actuatio Entis simpliciter, infiniti, supremi. Porro, ens hujusmodi, quatenus per se veritate et bonitate præditum, sine perfectissimis suiipsius cognitione et amore concipi non potest (n. 29 et 34). Necesse est igitur, ut vis infinita, quæ est illius actuatio, hæc duo in suo actu includat.

Ergo, in Deo, quatenus est Deus, vita personalis est agnoscenda.

Probatur pars posterior, nempe : *plura, sive actualiter, sive potentialiter existere entia quæ, vi eorum naturæ, ad vitam personalem Dei nullatenus pertinent.*

Etenim, non solum, cogitationis ope, apprehendimus Ens simpliciter, infinitum, supremum, seu Deum ; sed etiam entia secundum quid, finita, inferiora. Hæc nempe entia tum subjective, tum objective cogitatione apprehendimus. *Subjective* quidem, per conscientiam quam de nobisipsis inter cogitandum habemus ; conscientia enim teste, nonnisi in gradu limitato de ente participamus. *Objective* quoque : concipimus enim possibilitatem alicujus limitationis in ente.

Nunc vero entia secundum quid, finita, inferiora, vi eorum naturæ, ad vitam Dei personalem nequaquam pertinent.

Etenim, duplici tantum modo concipi potest entia, de quibus agitur, ad vitam personalem Dei pertinere : 1° quatenus essent partes constitutivæ illius vitæ, quæ proinde sine illis concipi non posset ; 2° quatenus Deus, in sua vita personali per se constitutus, cætera entia sibi uniendo, ad suæ vitæ consortium et communionem ea elevaret.

Ex his duobus modis, posterior quidem possibilis est ; imo, fide edocti, credimus elevationem hujusmodi de facto in mysterio Incarnationis peractam fuisse. At simul, facile constat elevationem entis finiti ad divinam personalitatem eo modo intellectam, manifeste supponere ens illud ad vitam Dei per-

Cela est loin du Spinosisme

sonalem, vi naturæ suæ, non pertinere, sed eam esse donum prorsus indebitum et supernaturale.

Quod spectat ad priorem modum, haud difficile ostendi potest ipsum essentialiter repugnare. — Nam 1° in hac hypothesi, conceptus Dei horum entium conceptu necessario admisceretur, nec proinde Deum apprehendere possemus ut ens ab omnibus aliis omnino distinctum ; ens enim distingui non potest ab illius partibus constitutivis. Atqui, illud dici nequit. Deus enim in se concipitur tanquam essentia completa et distincta, cujus conceptus nedum cæterorum entium conceptibus admisceatur, illos econtra logice præcedit. Ergo, etc... 2° Vita personalis Dei utpote infinita, partibus finitis constitui non potest. Tunc enim in seipsa limitationem includeret. Quod autem limitationem includit infinitum esse nequit. — 3° In tantum entia, de quibus quæstio movetur, partes constitutivæ vitæ personalis Dei dici deberent, in quantum nihil aliud forent, ut volunt pantheistæ quos hic confutamus, quam *formæ*, *determinationes*, *manifestationes* hujus vitæ. Hoc autem dici non potest. Eo ipso enim quod ut entia distincta concipiuntur, individualitates distinctas constituere possunt vitamque propriam habere. Quod autem vitam propriam habere potest, aliud utique quam *forma, determinatio*, *manifestatio* vitæ alicujus esse debet. Ergo demum plura, sive actualiter, sive potentialiter, existunt entia quæ, vi eorum naturæ, ad vitam personalem Dei nequaquam pertinent.

110. THESIS TERTIA. — *Entia quæ a Deo, quoad vitam personalem distinguuntur, ab ipso quoque distinguuntur quoad substantiam : ideoque, identitas substantialis, ad sensum emanatistarum, est rejicienda.*

Prob. — In eo substantia alicujus entis ab ejus vita personali discrepat, quod prior concipi debeat ut posterioris sustentaculum. Vita scilicet personalis est determinatio activa cum conscientia elicita et alteri non imputanda. Substantia autem est vis ipsa quæ, per hanc determinationem, in actu po-

La vie personnelle et la substance sont inséparables.

nitur, aut potius, cujus hæc determinatio actum constituit. — Hæc ultro profluunt ex dictis in Ontologia generali (n. 68 et seqq.) *de Substantia in genere.*

Hoc præsupposito, thesis nostræ probatio ad id reducitur ut ostendatur vim eamdem activam, quæ est subjectum actus infiniti, per quem Deus personaliter vivit, non posse simul sustentaculum esse actuum finitorum, quibus entia a Deo distincta constituuntur. Illud autem sic ostendi potest.

Duplex tantum suppetit modus concipiendi vim eamdem activam quæ est subjectum actus infiniti per quem Deus personaliter vivit, posse simul aliorum actuum sustentaculum esse: illius nempe *divisio*, et illius indivisæ remanentis *copossessio*. — Juxta priorem modum, substantiæ singulorum entium, ab actu divino distinctorum, totidem forent partes vis activæ, quæ Dei substantiam constituit. Hæ nempe partes in hujusmodi vi activa primum indistincte continentur ; adeo ut ex illis unica confletur substantia. Productio autem entium finitorum in eo consistit, quod Deus unam aut alteram ex his partibus per aliquam suæ substantiæ divisionem, proprio actui subtrahat, illisque novam determinationem proindeque vitam distinctam tribuat. Sic, apposite ad imaginem ab ipsismet emanatistis adhibitam, entia a Deo procederent, quemadmodum *tela ex aranea, sericum ex bombyce.* — Posterior modus in eo consistit quod substantia divina indivisa remanens, actui divino, simulque actui cæterorum entium, præberet sustentaculum. Tunc igitur, ad hujusmodi entium creationem, nihil aliud requiritur quam productio novarum determinationum in eadem vi activa quæ jam, ad vitam Dei personalem constituendam, infinite determinatur. Harum determinationum ope, substantia Dei, suum licet actum retinens, ab aliis actibus terminatur et quasi *copossidetur.* Hinc, per creationem, aliquid simile fieret in tempore apud Deum, ac ab æterno apud eumdem fieri credimus, dum ipsius substantia, indivisa remanens, tribus tamen personis distinctis copossidenda communicatur.

Atqui, neuter ex his modis propugnari potest.

1° Quod ad priorem attinet, supponit 1° actum divinum quamvis indivisibilem, substantiam tamen divisibilem pro substrato habere; supponit 2° eidem actui partes aliquas substrati hujus divisibilis subtrahi posse, ut novam determinationem induant. Atqui, hæc duo contradictionem involvunt. — *Prius quidem.* Ubicumque enim divisibilitas existit, ibi quoque multiplicitas agnosci debet. Unde, in hypothesi facta, actus unicus Dei multiplicem substantiam pro substrato haberet. Evidens est autem multiplicitatem substantiarum, actuum multiplicitatem necessario exigere. Actus enim nihil aliud est quam determinatio vis activæ quæ substantiam constituit, seu potius, est ipsamet vis activa determinata. Cum autem determinatio, extra vim illius productricem, nihil sit reale, ideoque tota in ea existat; ubi vis activa multiplex invenitur, ibi quoque determinatio multiplex esse debet. Omnino igitur repugnat unam eamdemque determinationem plures vires activas pro substrato habere. Ergo, prius repugnat. — *Posterius quoque.* Si enim actus divinus aliquam partem de suo substrato amittere posset, possibile igitur foret vim activam ab ipsius actuali determinatione separari, ac proinde hæc vis per se, et independenter a quolibet actu, aliquid reale et concretum foret. Hoc autem consectarium veræ notioni substantiæ omnino opponitur. Etenim, juxta hanc notionem, quemadmodum nulla determinatio nisi in substantia, ita et nulla substantia nisi cum aliqua determinatione esse potest. Præterea, Deus, in hac hypothesi, aliquid de suo ente amittere posset. Hoc autem tum ipsius infinitati, tum ipsius immutabilitati essentialiter repugnat.

2° De posteriori modo, juxta quem eadem vis activa, qua Deus in suo actu constituitur, alios actus, indivisa remanens, reciperet, sicque, per aliquam copossessionem, entium a Deo distinctorum substantia foret, idem est dicendum.

Etenim actus seu determinatio activa vis alicujus non differt,

ex dictis, ab hujus exercitio, aut potius nihil aliud est quam hæc ipsa vis sese exerens. Hoc posito, si vis qua Deus in suo actu constituitur, per alios actus, indivisa remanens, terminari posset, vel tunc per unumquemque horum actuum complete et adæquate seipsam exereret; vel in nullo eorum completum exercitium obtineret, sed in eorum collectione tantum; vel demum in uno complete exereretur, in cæteris autem incomplete tantum.

Atqui, nulla ex his hypothesibus fieri potest.

Non prima. — Nam 1° inter vim sese plene exerentem et eamdem vim sese iterum plene exerentem, discrimen esse nequit. Ideoque hypothesis vis ejusdem plura exercitia completa simul habentis est contradictoria in terminis. — 2° Eadem præterea hypothesis hoc consectarium induceret singula entia substantiam divinam copossidentia, non secus ac ipsemet Deus, infinitate gaudere.

Non secunda. — Nam 1° si nullum detur exercitium completum activitatis divinæ, singula igitur exercitia quibus informatur sunt finita. Tunc igitur Deus, quatenus Deus, seu, quod idem est, quatenus infinitus, vita personali non gaudet. Hoc autem, ex probatis supra, admitti non potest. — 2° Eadem hypothesis induceret consectarium, cujus absurditatem jam confutavimus, multiplicitatis partium in substantia divina. Etenim plures actus diversæ naturæ, et, ut supponitur, independentes ab invicem, non possunt esse vis ejusdem exercitium; eadem autem distinctio quæ inter illos existit, inter vires quæ in illis actuantur esse debet.

Non tertia. — Contradictorium est enim et absurdum eamdem vim in aliquo actu simul esse et non esse. Atqui, in hypothesi quam confutamus, illud eveniret. In hac enim hypothesi, vis activa quæ Dei substantiam constituit, plures actus produceret inter quos unus quidem completum illius exercitium foret, alii vero nonnisi incomplete illam actuarent. Hæc igitur vis suum actum completum haberet simul et non haberet.

Haberet quidem; ex hypothesi. Simul tamen non haberet; cum, ex eadem hypothesi, plures actus producat in quibus nonnisi incomplete et inadæquate evolvitur. Ergo, etc...

Ergo, entia quoad vitam personalem a Deo distincta, ab ipso quoque quoad substantiam distingui debent. Ergo, emanatismus quocumque modo intellectus, est rejiciendus.

Solvuntur Objectiones.

111. Obj. 1°. — Juxta fidem catholicam, eadem substantia divina copossidetur a tribus personis realiter distinctis. Ergo, a pari, nulla est repugnantia in eo quod eadem substantia a pluribus entibus indivisim possideatur.

Resp. Neg. conseq. et parit. — Etenim, tres personæ divinæ haberi non debent tanquam tres actus seu tres determinationes independentes ejusdem substantiæ. Sed, nihil aliud sunt quam termini distincti quibus essentialiter constituitur actus divinus. Hinc unaquæque earum ens completum non efficit; sed se invicem ita exigunt, ut unam absque duabus aliis concipere sit omnino impossibile. Possunt igitur in eadem substantia esse, quin hæc a pluribus actibus distinctis possideatur. Non ita est autem de entibus quæ præter actum divinum concipiuntur. Hæc enim entia, cum ad actum divinum non pertineant, et tamen aliquid reale per se dicant, actum constituere debent ad actu divino omnino distinctum. Hoc posito, si eamdem substantiam cum Deo copossiderent, substantia divina pluribus actibus simul donaretur. Talem autem copossessionem impossibilem esse in thesi ostendimus.

112. Obj. 2° — Si entia quædam per suam substantiam a Deo distinguerentur, plures substantiæ distinctæ agnosci deberent. Atqui, pluralitas substantiarum est aliquid contradictorium in terminis. Ergo, etc.

Prob. min. — Substantia definiri solet: *Illud quod per se existit*. Atqui, ens per se existens nonnisi unum esse potest. Ergo, etc. — Ita præcipue Spinosa.

Resp. Neg. min. — *Ad probat. Dist. maj.* Substantia definitur: *Illud quod per se existit*, id est, *quod non est alicujus rei determinatio*, seu ut aiunt, *quod non indiget subjecto cui inhæreat*,

concedo; id est, *quod vi essentiæ propriæ existentiam habet*, nego. —*Dist. min. in eodem sensu*, nempe : Ens per se existens est unicum, *si per se existere in posteriori sensu intelligatur*, concedo; *si in priori*, nego.

Responsionis sensus patet ex dictis supra de natura substantiæ.

113. Inst. — Responsio modo allata supponit omne ens non indigens inhæsionis subjecto, non ideo a se existere. Atqui, illud dici nequit. Ergo, etc. — *Prob. min.* Si enim res ita se haberet, ens, de quo agitur, produci posset ab alio cujus non foret modus. Atqui, nihil a quovis ente produci potest quod non sit ipsius modus.

Supponamus enim aliam productionem possibilem esse, seu ens posse producere aliquid quod non sit ipsius modus, quod proinde ab illo realiter distinguatur; vel in hac hypothesi producens et productum eadem habent attributa, vel non. Si prius, male distincta dicuntur, nam inter res quarum eadem sunt attributa, nulla distinctio fieri potest. Si posterius, productio contradictionem involvit; repugnat enim quod res producens rei productæ conferat attributa, quibus ipsa privatur. Ergo, etc.

Resp. Neg. min.— Non modorum tantum, sed et substantiarum, seu rerum subjecto inhæsionis non indigentium, productionem possibilem esse infra probabimus, ubi *de Creatione*. Fatemur quidem hic agnoscendum esse mysterium rationi humanæ impervium. Obscuritas autem alicujus veritatis motivum sufficiens non est illam rejiciendi, quando legitime fuit demonstrata. Cæterum, numquid melius concipimus productionem modorum a substantia quam tamen adversarii admittere coguntur?

Quoad ultimum ratiocinium, cujus ope suam argumentationem Spinosa confirmare nititur, admissa disjunctiva ab ipso proposita, negamus legitimitatem conclusionis quam ex utroque membro deducit. Etenim 1° ex eo quod substantia quæ producit, et substantia producta, eadem habeant attributa, concludit Spinosa has substantias identicas esse; atqui hæc conclusio legitima non est. Nam ut duæ substantiæ eædem dicantur, non sufficit eas de eadem essentia metaphysica participare, seu easdem habere proprietates; sed eamdem habeant existentiam necesse est. Ergo, quamvis substantiæ producentis et substantiæ productæ diversa forent attributa, non sequitur has substantias identicas esse. — 2° Non magis valet conclusio quam e posteriori disjunctivæ membro eruere nititur præfatus auctor; qua nempe, ex eo quod causa continere debeat quidquid est in effectu, infert substantiam non posse produci ab alia, quæ non eadem ac ipsa habeat attributa.

Causa enim continere quidem debet quidquid realitatis est in effectu, sed necesse non est ut hanc realitatem eodem modo contineat. Causa nempe perfecta et infinita modo perfecto et infinito continet proprietates, quas suis tribuit effectibus in gradu imperfecto et finito. Substantia igitur productrix eadem habere debet attributa ac substantia producta, eo sensu quod attributa posterioris in priori contineri debeant saltem eminenter, seu, secundum omne illorum *positivum;* nihilominus tamen effectus attributa diversa habere dici potest, in eo sensu quod hæc attributa eodem in gradu, ac ipsius causa, non possideat.

114. Obj. 3°.—Substantia rerum est illud quod earum ens proprie constituit. Atqui, nonnisi unum ens esse potest. Ergo, etiam nonnisi una substantia.

Resp. Dist. min. — Nonnisi unum ens esse potest, *si per ens intelligatur tantum Ens simpliciter,* concedo ; *si per ens intelligatur generatim sive Ens simpliciter, sive ens secundum quid,* nego. — Hæc distinctio sufficienter explicatur ex hucusque dictis, circa necessitatem admittendi entia secundum quid ab Ente simpliciter distincta.

115. Instab.— Responsio allata supponit entia secundum quid ab Ente simpliciter realiter distingui. Atqui, illud contradictionem includit in terminis. Ergo, etc... — *Prob. min.* Illud enim tantum realiter distinctum ab Ente simpliciter dici potest quod nullatenus de ipso participat ; alioquin qua parte de ipso participaret, ab eo distinctum dici non posset. Atqui, quod de Ente simpliciter nullatenus participat, absque contradictione *ens* in quovis gradu dici non potest ; *ens* enim esse et participare de Ente simpliciter in aliquo gradu, sunt quid unum et idem. Ergo, suppositio distinctionis realis entium secundum quid ab Ente simpliciter, contradictionem includit in terminis.

Resp. Neg. min. Ad probat. Dist. maj. — Illud tantum realiter distinctum ab Ente simpliciter dici potest, quod nullatenus de ipso participat, *si per participationem identificatio intelligatur,* concedo ; *si per participationem intelligatur similitudo in aliquo gradu,* nego. — *Dist. min. in eodem sensu* ; nempe : Quod de Ente simpliciter nullatenus participat, absque contradictione ens in quovis gradu dici non potest, *si participatio sumatur, sive pro identificatione, sive pro similitudine,* concedo ; *si sumatur pro identificatione tantum,* nego.

Itaque entia secundum quid distinguuntur ab Ente simpliciter in eo sensu quod nullatenus cum ipso identificentur, seu quod

idem ens cum ipso in communi non possideant. Hoc autem non obstante, *entia* dici possunt absque contradictione, eo quod realitas, qua constituuntur, aliquam analogiam seu similitudinem habet cum Entis proprie dicti realitate. Etenim concipimus entia, de quibus agitur, tanquam terminos a Deo, vi causalitatis creatricis quæ ipsi competit, productos. Porro, in idea productionis, includitur quidem idea distinctionis inter productum et producentem. At includitur simul idea analogiæ cujusdam, vi ipsiusmet productionis, inter utrumque hunc terminum existentis; nam, ex axiomate recepto : *Causa nihil effectui tribuere potest, quod ipsa non habeat*. Merito igitur res creatæ *entia* dici possunt, licet ab Ente simpliciter entitative distinguantur. Quod si quæratur a nobis quomodo fieri possit ens terminos producere, qui simul, et ab ipso distincti sint, et cum illo similitudinem habeant, sufficiat nobis ad illud respondere hæc duo in idea creationis, quam e nostra mente pantheistæ nunquam evellere poterunt, essentialiter includi.

116. Obj. 4° — Illud admitti non potest, ex quo sequeretur Deum non esse infinitum. Atqui, posito quod dentur entia a Deo substantialiter distincta, Deus non est infinitus. Ergo, talia entia existere admitti non debet. — *Prob min.* Illud ens non est infinitum quod non possidet omne ens. Atqui, posito quod dentur entia a Deo distincta, Deus non possidet omne ens. Ergo, etc...

Resp. Neg. min. ad prob. Dist. maj. — Illud ens non est infinitum quod non possidet omne ens *intensive spectatum*, concedo ; *extensive spectatum*, nego. — *Dist. min. in eodem sensu*, nempe : posito quod dentur entia a Deo distincta, Deus non possidet omne ens, *extensive spectatum*, concedo ; *intensive spectatum*, nego.

Scilicet, infinitum ens illud dicitur quod omnes gradus possibiles entis in se continet, ita ut nulla concipi possit perfectio, quæ in illo non inveniatur ; debet igitur in hoc sensu omne ens possidere. Si autem per omne ens possidere intelligatur in se continere omnes peculiares individuationes entis, negamus illud ad infinitatem requiri. Cum enim illæ individuationes nihil aliud sint quam variæ *actuationes*, et si hac imagine uti fas est, quasi plurima *exemplaria* ejusdem gradus entis, eorum possessio nullam perfectionem adderet enti quod jam possideret gradum entis in ipsis actuatum ; quemadmodum non plus doctrinæ possidet qui plura exemplaria ejusdem libri, quam qui unum tantum in suo dominio habet. Nunc vero, Deus utique, antequam creet, omnes

gradus entis possidet, relative ad intensitatem; alioquin illos gradus in entibus creatis actuare non potuisset. Nec dici potest creationem aliquid ex suo ente illi detrahere; non enim cum sua substantia, sed ad illius similitudinem creaturas fingit. Hinc quantuscumque sit creaturarum numerus, infinitas Dei nullatenus exinde læditur.

Tantum abest quin *omnis entis possessio*, in posteriori sensu intellecta, ad ens infinitum constituendum requiratur, ut, e contra, ens quod eo modo omne ens possideret, eo ipso infinitum non esset. Etenim, ens illud, utpote conflatum partibus finitis, finitudinem in suo conceptu includeret; ens autem infinitum nullam finitudinem in suo conceptu includere debet. Præterea, ens in quo omnes individuationes peculiares entis formaliter invenirentur, numerum quemdam partium in se haberet. Ens autem quod habet numerum partium, infinitum non est; numerus enim est essentialiter finitus.

117. Instab. — Si valeret responsio, hoc consectarium sequeretur rem in se continentem alterius rei valorem, per hujus rei additionem, quoad valorem non adaugeri. Atqui, illud falsum est. Ergo, etc.

Prob. min. — Nummi ænei valor in nummo aureo utique continetur. Atqui, tamen nummus æneus nummo aureo additus majorem valorem efficit. Ergo, etc.

Resp. Dist. maj. — *Ubi agitur de valore qui in intensitate consistit,* concedo; *ubi agitur de valore qui in quantitate consistit*, nego. — *Dist. min. in eodem sensu.*

Etenim, ubi agitur de valore qui in quantitate, id est, in numero unitatum consistit, libenter fatemur quodlibet additamentum illum adaugere. Hoc enim additamento numerus unitatum, per quem valor determinatur, major efficitur. Sic, in exemplo ad minorem probandam ab adversariis allato, nummi aurei valor nihil aliud est quam certus quidam numerus *centesimarum*. Posito igitur quod una *centesima* ipsi addatur, jam major erit numerus, ideoque major erit valor quam antea. At ubi agitur de valore qui in intensitate consistit, idem dici nequit. Posito nempe quod gradum intensivum entis jam aliquis possideat, si eumdem gradum iterum acquirere posset, majus quidem foret *quantitative*, non vero *intensive*. Cum enim non fuisset adauctus nisi per additionem ejusdem gradus entis, evidens est ipsum, in genere intensitatis, nihil acquisivisse, imo nec acquisiturum fore etsi millies eodem modo adaugeretur.

Hinc, ut exemplum ab adversariis allatum iterum adhibeamus, si valorem nummi aurei homines æstimarent, non ex numero unitatum cui æquivalere censetur, sed ex intensitate seu gradu specifico entis quo constituitur, additio omnium nummorum æneorum possibilium hunc valorem nequaquam adaugeret.

Nunc vero valor seu perfectio quæ constituit infinitatem Dei in quantitate procul dubio non consistit. Quantitas enim actu infinita est aliquid contradictorium in terminis.

Non obstante igitur exemplo nobis opposito, responsio a nobis allata vim suam retinet.

SECTIO TERTIA.

DE ATTRIBUTIS EXISTENTIÆ DEI.

118. Attributorum existentiæ divinæ notio et divisio. — Quando Deus in se, et independenter ab aliorum entium conceptu, apprehenditur, ipsius existentia nullo speciali attributo prædita apparet, nihilque de eo affirmari potest nisi quod (*summe*, id est, absque imperfectione et limite,) existit.

Si autem Dei existentia cæterorum entium existentiæ comparetur, pluribus attributis, quorum ope ab his discrepare concipitur, statim prædita apparet. Cum enim cætera entia multiplici ex parte in suo existendi modo deficiant, quot imperfectiones in illis, quatenus existentibus, deprehenduntur, tot perfectiones in Deo, sub eodem respectu, distingui debent.

Nunc vero, imperfectiones entium a Deo distinctorum, si sub respectu existentiæ spectentur, triplici ex fonte provenire possunt: 1° ex eo quod eorum essendi principium in operatione alicujus causæ ab iis distinctæ inveniatur; 2° ex eo quod existere non possint nisi in tali spatio, aut in tali tempore; 3° ex eo quod

quantitati subjaceant. (*Ont. gen.*, n. 116). Quænam sint ergo existentiæ divinæ attributa, sub hoc triplici respectu, nunc dicendum.

CAPUT PRIMUM.

De Attributis existentiæ divinæ, quæ referuntur ad conceptum operationis, seu de Necessitate existendi.

119. Objectum et divisio capitis. — Attributa in hoc Capite enumeranda in eo consistunt quod existentia Dei, nullius operationis proprie dictæ (*Ont. gen.*, n. 117) terminus esse possit, in eo quod proinde nullum aliud principium habeat quam ipsammet essentiam divinam. Hæc prærogativa constituit *existendi necessitatem*. Dicemus itaque 1° de necessitate existendi in se spectata, 2° de illius consectariis (*Ont. gen*, n. 154).

ARTICULUS PRIMUS.

De Necessitate existentiæ divinæ in se spectata.

120. Necessitas existendi definitur. — In duplici sensu vulgo intelligitur existentiæ divinæ necessitas 1° In sensu *relativo*, quatenus, Deo non existente, nullum aliud ens existere posset; unde sequitur Deum, in hypothesi quod aliquid existat, necessario existere. — 2° In sensu *absoluto*, quatenus essentia divina talis est naturæ ut existentiam actualem necessario exigat.

Existentiam divinam in priori sensu necessariam esse omnino constat ex dictis in prima Sectione. De ejusdem igitur existentiæ necessitate, in posteriori sensu, solummodo hic agitur. Hanc statuet sequens

121. Thesis. — *Existentia Dei est absolute necessaria.*

Prob. — Illius entis existentia absolute necessaria dici debet, cujus essentia nonnisi in actu concipi potest. Atqui, essentia Dei nonnisi in actu concipi potest. Ergo, etc.

Major constat ex definitione necessitatis existentialis modo allata. — Præterea, cum essentia cujuslibet entis, utpote ab illius intelligibilitate non discrepans, omnino necessaria sit, eo ipso quod detur ens cujus essentia existentiam ita postulet, ut non existens concipi non possit, concludendum erit ens illud existentiam quoque habere omnino necessariam.

Minor vero sic probatur. — Prout jam supra ratiocinati sumus, essentia quævis, ut pote aliquid intelligibile, aliquam realitatem habere debet, sive in se, sive in alio in quo eminenter contineatur. Atqui, posterius de Deo qui, quatenus Ens simpliciter, in alio eminenter contineri non potest, dici nequit. Ergo, prius necessario dici debet.

Ergo, constat existentiam Dei esse absolute necessariam.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Necessitate existentiæ divinæ in illius consectariis spectata, seu de aseitate, impassibilitate et immutabilitate.

122. Necessitatis existendi consectaria enumerantur. — Necessitas existendi in ente duo relative ad illius existendi modum inducit consectaria, nempe : 1° illud ens tum in facto, tum in modo suæ existentiæ, nullius entis a seipso distincti actioni subjacere ; 2° internæ mutationi obnoxium non esse. Prius *aseitatem* et *impassibilitatem,* posterius *immutabilitatem* constituit.

Varia hæc attributa Deo competere ostendent theses sequentes :

123. Thesis prima. — *Deus existit a se.*

Prob. — Illud ens a se existere dicitur quod, in existentiæ suæ facto, nullius entis a seipso distincti operationi subjacet. Atqui, talis est Deus.

Deus enim existentiam ab alio accepisse supponi non potest, nisi 1° saltem uno instanti non existens concipi possit, nisi 2° ens ab ipso distinctum in existentia ante ipsum constituatur, nisi 3° per hujus entis influxum a posse ad actum transeat. Atqui, hæc tria repugnant.— *Primum quidem.* Ens enim quod uno tantum instanti non existens concipi potest, necessarium non est in sua existentia. Eo ipso enim quod uno instanti non existit, non est necessaria connexio inter ipsius essentiam et ipsius existentiam. (Præterea, ens quod uno instanti non existens concipitur, absque repugnantia supponi potest nunquam existere, proindeque necessarium dici nequit.) Atqui tamen, Deus, ex modo probatis, necessaria gaudet existentia. Ergo, primum repugnat. — *Secundum quoque.* Etenim, independenter ab Ente simpliciter, proindeque ante ipsum, nullum ens in existentia constitui potest. — *Tertium tandem.* Ens enim quod per alterius operationem a posse transit ad actum, huic enti in suo esse inferius existit ; siquidem, ex una parte, nullam habet perfectionem quam ens illud non habeat ; ex altera parte, omnes, quæ in illo inveniuntur, perfectiones non habet, ea enim saltem vi causandi destituitur qua fuit ad existentiam perductum. Atqui, Deus nulli enti inferior esse potest.

124. Thesis secunda. — *Deus est impassibilis.*

Prob. — Illud ens impassibile dicitur quod relative ad suum essendi modum, alterius entis influxui non subjacet. Atqui, talis est Deus.

Etenim, cum essentialiter repugnet ens aliquod existere, nisi existat aliquo modo determinato, quidquid alicui enti factum existentiæ confert, modum quoque existendi illi conferat necesse est. Atqui, Deus factum existentiæ non aliunde accipit quam a propria natura. Ergo, et existendi modum nonnisi ab eodem fonte accipere debet.

125. Thesis tertia. — *Deus internis mutationibus subjacere nequit, seu est immutabilis.*

Prob. — Hæc thesis ultro sequitur ex necessitate et aseitate existentiæ divinæ. Etenim, vi utriusque illius attributi, Deus determinatur ad existendum per suammet essentiam. Porro, cum, ex jam observatis, nullum ens ad existendum determinari possit, nisi determinetur ad existendum aliquo modo ; est igitur pro Deo aliquis existendi modus in quo per suam essentiam constituitur, qui proinde per hanc essentiam non minus stricte exigitur quam ejusdem entis existentia.

Hoc autem posito, evidens est Deum nulli mutationi obnoxium esse posse.

Si enim mutare posset, vel quatenus modum existendi a sua essentia determinatum amitteret, vel quatenus hunc modum servando, alios tamen acciperet.

Atqui, utrumque repugnat.

Prius quidem. — Contradictorium est enim ens amittere quod ipsi essentiale est.

Posterius quoque. — Nam impossibile est quod ens, modum existendi servando, novos existendi modos nihilominus acquirat. Per modum enim existendi alicujus entis intelligi debet determinatio actualis omnium facultatum illius entis, seu actuatio illius sub omnibus respectibus in quibus est actuabile. Hoc posito, evidens est novos existendi modos, quibus ens aliquod affici posse concipitur, nonnisi per modorum præcedentium cessationem, huic enti obvenire posse. Si enim prioribus modis perseverantibus in ente, cæteri nihilominus huic obvenirent, tunc eadem facultas duplicem simul determinationem haberet. Hoc autem repugnare nemo non videt.

Ergo, quæcumque fiat hypothesis, Deus mutare non potest.

126. Corollarium. — *Ergo, nihil contingentis in Deo admitti debet.* — Illud enim contingens vel in ipsomet actu quo primum constituta fuit existentia divina inveniretur, vel

x une faculté qui n'a aucune détermination serait purement possible n'existerait pas [illegible] si nos facultés n'avaient pas toujours un exercice, nous ne serions qu'en partie, nous ne serions plus des hommes.

huic existentiæ jam constitutæ adveniret. Utrumque autem, ex dictis, manifeste repugnat (1).

CAPUT SECUNDUM.

De Attributis existentiæ divinæ, quæ referuntur ad conceptus spatii et temporis, seu de Immensitate et Æternitate.

ARTICULUS PRIMUS.
De Immensitate Dei.

127. Immensitatis Dei notio generalior. — Per immensitatem Dei vulgo intelligitur attributum quo Deus omnibus in locis præsens invenitur. Cum autem hanc Dei omnipræsentiam alii aliter explicaverint, nec illam Deo competere ullatenus probari possit, nisi controversia circa illud punctum exorta prius dirimatur; tria proinde nobis erunt præstanda : 1° varios sensus in quibus auctores immensitatem intellexerunt historice exponemus; 2° in quonam ex his sensibus immensitas intelligi debeat determinabimus; 3° demum immensitatem, in hoc sensu intellectam, Deo reipsa competere astruemus.

I° *Auctorum opiniones circa naturam immensitatis exponuntur.*

128. Diversitatis opinionum circa immensitatem Dei origo exponitur. — Cum per immensitatem omnes intelligant aliquam relationem entis ad spatium, tot illius notiones

(1) Hic confutandæ forent objectiones quæ contra immutabilitatem Dei vulgo proponuntur. Cum autem desumantur unice ex operationibus Dei ad extra, confutationem illarum, postquam de hujusmodi operationibus tractaverimus, opportunius afferendam esse duximus.

esse debent apud auctores, quot circa naturam spatii systemata propugnaverint.

Porro, systemata hæc, excepto systemate Kantii, in quo quælibet realitas objectiva spatio denegatur, ad tria reduci possunt (*Ont. gen.*, n. 163, 164 et 166). Alii nempe cum Epicuro spatium habent ut aliquid ab entibus quibuslibet omnino distinctum in quo, ut in vase, omnia quæ existunt, ne Deo quidem excepto, collocantur. — Alii, cum Newtone, Clarkio et aliis pluribus, spatium inter divina attributa numerant. Spatium, aiunt illi auctores, est quasi *sensorium divinum,* in quo nempe recipiuntur quæcumque existunt, ut Deus illa cognoscat et gubernet. — Alii demum quibus suffragati sumus, post Leibnitzium tenent spatium extra entia nihil esse, constitui vero per ordinem juxta quem sibi invicem entia coexistunt.

Hinc triplex immensitatis notio.

129. Immensitatis notio in systemate Epicuri de natura spatii. — Qui primam opinionem propugnant, tenent simul quodlibet ens substantiale suum spatium occupare; ita ut nec idem ens in pluribus spatiis contineri, nec idem spatium plura entia continere concipi possit. Immensitatem igitur in eo sensu intellectam quod substantia quædam omnia spatii loca adimpleat, tanquam aliquid impossibile et contradictorium habent. Deum autem in eo sensu immensum esse dicunt quod simul ac, ad instar cæterorum entium, locum distinctum per suam substantiam occupat, cætera loca pervadat, vel per suam scientiam, juxta quosdam, vel per suam operationem, prout alii volunt.

130. Immensitatis notio in systemate Newtonis et Clarkii de natura spatii. — Secundæ opinionis patroni immensitatis naturam aliter explicant. Hæc scilicet nihil aliud est quam ipsamet infinitas spatii, quod in quacumque directione absque limitibus diffusum necessario concipitur. Cum autem spatium illud substantiæ divinæ essentialiter inhæreat, utpote illius attributum, sequitur Deum non per suam opera-

tionem tantum, aut per suam scientiam, sed per suam substantiam immensum dici debere.

131. Immensitatis notio in systemate Leibnitzii de natura spatii. — Denique, in tertia opinione, in qua spatium concipitur tanquam ordo coexistentiæ inter entia, immensitas in eo consistere debet quod ens aliquod omnibus entibus immediate coexistat, actualiter nempe existentibus, virtualiter autem tantum possibilibus.

II° *Vera immensitatis notio traditur.*

132. Dotes requisitæ in vera immensitatis notione enumerantur. — Nunc determinandum venit quisnam ex tribus modis in spatio existendi nuper enuntiatis, conceptum immensitatis, de qua an Deo tribui debeat inquirimus, vere adimpleat.

Ut illud præstemus, dotes in vera immensitatis notione requisitæ, primum sunt exponendæ.

Per immensitatem omnes intelligunt hunc modum existendi quo Deus in omnibus spatii locis præsens invenitur. Ut igitur aliquis existendi modus immensitatis conceptum vere adimpleat, duæ in illo conditiones requiruntur : 1° ut nec in se, nec cum aliis attributis divinis contradictionem includat, 2° ut præsentiam in omnibus locis vere constituat.

Nunc vero, nec præsentia substantialis in uno loco, operativa autem tantum in aliis; nec extensio infinite protensa; sed sola coexistentia immediata omnibus entibus, duas illas conditiones adimplet. Triplicem hanc assertionem triplici in thesi seorsim astruemus.

133. Thesis prima. — *Præsentia substantialis in uno loco, operativa autem in aliis, non est immensitas.*

Prob. — Hæc enim præsentia duplicem dotem modo enumeratam non adimplet. Scilicet :

1° *Tum in se, tum cum aliis attributis divinis contradictionem includit.*

In se quidem. — Ex dictis enim in Ontologia generali (n. 137), repugnat operationem, utpote non distinguibilem a respectu activo operantis ad operatum, ab alterutro ex his terminis separari posse. Atqui, in hypothesi quod ens in aliquo loco substantialiter præsens, in aliis, licet absens, nihilominus ageret, operans ab operatione separaretur.

Relative quoque ad attributa divina. — Etenim, cum omnia loca, in se spectata, *homogenea* sint, et ad ens recipiendum æqualiter apta, præsentia substantialis Dei, in uno tantum loco determinato, esset aliquid contingens. Atqui, Deus, utpote ens necessarium, nihil contingens habere potest.

Ergo, 1° præsentia, de qua agitur, tum in se, tum cum aliis attributis Dei contradictionem includit.

2° *Hæc præsentia non constituit præsentiam in omnibus locis.*

Ens enim quod hujusmodi præsentia fruitur, cum in uno tantum loco substantialiter existat, nonnisi per abusum, in omnibus locis præsens dici potest.

Notio igitur immensitatis primum tradita conditiones requisitas non adimplet, ideoque rejici debet.

134. Thesis secunda. — *Extensio infinite protensa, ad sensum Newtonis et Clarkii, nec ipsa conceptum immensitatis adæquat.*

Prob. — Hæc enim extensio duas dotes supra enumeratas iterum non adimplet.

Nam 1° *extensio infinite protensa tum in se, tum relative ad cætera Dei attributa, contradictionem includit.*

In se quidem. — Extensio enim concipi non potest, nisi tanquam includens multiplicitatem partium a se invicem separabilium. Atqui, repugnat objectum tale infinitate gaudere. Quidquid enim coalescit ex partibus, semper majus concipi potest.

Relative quoque ad cætera attributa Dei. — Tunc enim in

Deo invenirentur partes a se invicem separabiles, quod ipsius simplicitati infra demonstrandæ opponitur.

2° *Hæc demum extensio præsentiam in omnibus locis non constituit, pro ente in quo invenitur.*

Ut enim ens vere in omnibus locis præsens dicatur, necesse est ut totum inveniatur in singulis locis. Nam, si singula loca per aliquam partem tantummodo occuparet, posset quidem in omnibus locis habere partem suiipsius, ipsum vero omnia loca nequaquam occuparet. Atqui, in hypothesi quam confutamus, illud eveniret. Cum enim, prout modo diximus, extensio absque partibus concipi non possit, ens cujus est attributum, singulis illis partibus per aliquam sui ipsius partem respondere debet, proindeque præsentia in omnibus locis, juxta sensum proprium, nequaquam fruitur.

Ergo, 2° etc...

135. THESIS TERTIA. — *Immensitas cum coexistentia immediata omnibus entibus perfecte identificatur.*

Prob. — Hæc enim coexistentia duas præfatas dotes perfecte adimplet.

Et quidem 1° *nec in se, nec relative ad cætera attributa Dei, contradictionem includit.*

Non quidem in se. — Nulla est enim repugnantia in eo quod ens aliquod non uni tantum enti, sed pluribus, ideoque omnibus immediate coexistere possit. Ad id enim sufficit ut in illa omnia immediate influxum exerceat (*Ont. gen.* n. 169 et seqq.); quod certe contradictionem non involvit.

Non relative ad cætera attributa Dei. — Posito enim quod in Deo aliquis modus relative ad spatium existendi admitti possit, seu, quod Deus aliquibus saltem entibus possit immediate coexistere; evidens est nullam in ipsius attributis repugnantiam inveniri posse in eo quod omnibus entibus immediate coexistat. Atqui, Deum, illæsis attributis, posse coexistere saltem nonnullis entibus, omnino evidens est.

Ergo, etc.

2° *Demum coexistentia immediata omnibus entibus præsentiam in omnibus locis vere constituit.*

Posito enim quod spatium extra entia sibi coexistentia nullum sit, præsentia in omnibus locis nihil aliud esse poterit quam præsentia omnibus prorsus entibus. Atqui, per coexistentiam immediatem omnibus entibus, hæc præsentia producitur. Tunc enim ens aliquod alteri enti merito præsens dicitur, cum in illud agit absque ullo intermedio. Atqui, ens quod alteri coexistit immediate, in hoc agit absque intermedio. Ergo, etc...

136. Definitio immensitatis. — Coexistentia igitur immediata omnibus entibus omnes conditiones adimplet quas exigit conceptus immensitatis Deo tribuendæ. Et cum nullus alius relative ad spatium existendi modus has conditiones adimpleat, immensitatem definire possumus : *Attributum vi cujus ens aliquod omnibus aliis entibus immediate coexistit.*

III° *Utrum Deus sit immensus ?*

Hanc quæstionem resolvet sequens

137. Thesis. — *Deus est immensus.*

Prob. — Juxta immensitatis notionem modo allatam, ens illud immensum dici debet *quod omnibus entibus immediate coexistit.* Igitur, ad thesis nostræ probationem requiritur et sufficit ut ostendamus Deum cæteris entibus 1° coexistere, 2° immediate coexistere.

Atqui, hæc duo constant.

Prius quidem. — Ens enim aliquod alteri enti coexistere dicitur, quod rationem existentiæ hujus entis in se continet (*Ont. gen.*, n. 170). Atqui, Deus in se continet rationem existentiæ quorumlibet entium. Nam, prout alibi ostendetur, nullum est ens quod a Deo creatum non fuerit; evidens est autem creaturam concipi non posse nisi creatoris ope,

proindeque suam in illo rationem existendi necessario invenire. Ergo, Deus, quatenus creator, omnibus entibus vere coexistit. Ergo, prius constat.

Posterius quoque. — Hæc enim duo sibi immediate coexistunt, quorum coexistentia non producitur per tertium ens cui utrumque coexistit (*Ont. gen.*, n. 172 et 173). Atqui, Deus creaturæ coexistit, quin tertii entis adminiculum sit illi necessarium. Ergo, etc...

Ergo demum, Deus est immensus.

138. Principia solutionis objectionum. — Ut magis ac magis immensitatis divinæ natura intelligatur, quædam subjungendæ sunt observationes, quas in solutione objectionum, nostræ immensitatis divinæ notioni forsitan opponendarum, indesinenter ante oculos habere debemus.

1° Cum immensitas divina non concipiatur, nisi per respectum Dei ad creaturas, Deus igitur, si in se, id est, independenter a qualitate creatoris spectetur, nec immensitate frui, nec illa privari dici potest.

2° Ex eo quod immensitas in Deo concipiatur per illius coexistentiam cum creaturis, sequitur attributum illud, non secus ac operationes Dei exteriores, sub duplici respectu spectari posse, scilicet : *in se* et *in exercitio exteriori*. — In se spectata, immensitas Dei est vis, qua essentialiter pollet Deus, coexistendi omnibus entibus, ita ut nullum ens existere possit, quin illi Deus sit præsens. Immensitas Dei sic spectata, est aliquid infinitum, necessarium, immutabile, etc..., ut patet. — Immensitas Dei, considerata in exercitio exteriori, consistit in ipsomet facto quo Deus coexistit et præsens est omnibus entibus ab ipso creatis. Porro, entia a Deo creata, nec necessaria sunt, nec infinita numero. De immensitate igitur Dei, relative ad ipsius exercitium externum, idem dici debet. Evidens est nempe factum, quo Deus coexistit entibus contingentibus et numero finitis, aliquid contingentis et finiti admixtum habere. Non tamen exinde sequitur contingens et

finitum in Deo inveniri ; duplex enim ille character afficit quidem terminum exteriorem relationis qua Deus immensus dicitur, Deum autem ipsum nequaquam afficit. Hoc magis evolvemus in tertia Parte.

3° Ex eo quod entia etiam finita *multilocari* possint, ac proinde omnibus in locis præsentia simul existere, prout infra ostendemus, minime sequitur immensitatem Deo exclusive non competere. Nam inter ipsius immensitatem, et hanc improprie dictam immensitatem, quæ creaturis competere concipi potest, essentiale discrimen existere facile constat. Scilicet, creaturæ cum nullo ente, vi propriæ naturæ, coexistunt ; facile enim absque illa coexistentia concipi possunt; Deum autem concipere impossibile est, quin illum ut omnium quæ sunt aut esse possunt rationem continentem, proindeque ut immensum concipiamus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Æternitate Dei.

139. ÆTERNITATIS DEI NOTIO GENERALIOR. — Æternitas Dei se habet ad tempus, quemadmodum ipsius immensitas ad spatium. Est igitur proprietas qua Deus universis temporis instantibus præsens invenitur. Cum autem illud ab omnibus eodem modo non intelligatur, eædem quæstiones quas circa immensitatem agitavimus, hic iterum repetendæ sunt, ideoque nobis occurrit expendendum : 1° quænam sint variæ auctorum opiniones circa naturam æternitatis, 2° quænam sit vera æternitatis notio, 3° utrum Deus sit æternus.

I° *Auctorum opiniones circa naturam æternitatis exponuntur.*

140. DIVERSITATIS OPINIONUM CIRCA ÆTERNITATEM DEI ORIGO EXPONITUR. — Tot distingui possunt æternitatis notiones diversæ, quot circa naturam temporis systemata distinguuntur.

Porro, systemata hæc, si excipias opinionem Kantii, juxta quem tempus nullam objective realitatem habet, ad tria reduci possunt. — Alii nempe tempus habent ut aliquid ab entibus quibuslibet omnino distinctum. Illud nempe concipiunt tanquam seriem infinitam instantium, quam varia entia, ne Deo quidem excepto, successive percurrere debent. — Alii, cum Newtone, Clarkio et aliis, tempus divinis attributis annumerant; ita ut series illa instantium, quæ tempus constituit, non extra Deum foret, ut in prima opinione, sed in Deo tota includeretur. — Alii demum, quibus suffragati sumus, post Leibnitzium tenent tempus extra entia in ipso constituta nihil esse, ipsum vero determinari per ordinem juxta quem varii status ejusdem entis sibi invicem succedunt.

Hinc triplex æternitatis notio.

141. Æternitatis notio, juxta eos qui realitatem independentem tempori adscribunt. — Qui primam opinionem circa tempus tenent, admittunt singula entia in tempore necessario constitui, in eo sensu quod eorum existentia variis illius instantibus respondeat; ea tamen lege, ut hujusmodi instantia nonnisi successive percurrant. Eorum autem duratio eo major dicitur, quo majorem instantium numerum percurrerint. Entia quorum duratio nonnisi numerum finitum instantium complectitur, *temporanea* dicuntur. *Æternum* econtra illud dici debet, quod ita præsenti instanti temporis coexistit, ut omnibus instantibus præexistentibus coexstiterit, futuris vero necessario debeat successive coexistere.

142. Æternitatis notio in systemate Clarkii circa naturam temporis. — Secundæ opinionis patroni *æternitatem* appellant hanc temporis proprietatem qua nullos prorsus limites habet, quocumque modo percurratur. Seu, aliis verbis æternitas illa est temporis proprietas, vi cujus, series instantium ex quibus, tanquam elementis, coalescit, nec initium, nec finem habet. Cum autem tempus sit attributum substantiæ divinæ, sequitur hanc æternam merito dici debere.

143. Æternitatis notio in systemate Leibnitzii circa tempus. — In tertia opinione, duplici in sensu ens aliquod æternum dici potest, *interne* scilicet et *externe*. — *Interne* ens æternum dicitur cujus actus talis est naturæ ut in statu meræ potentiæ nequaquam concipi possit. Ens nempe illud, nec initium habuit, cum initium sit transitus a posse ad actum ; nec finem habiturum est, cum finis sit transitus ab actu ad merum posse ; nec successioni subjacet, cum successio transitum indesinentem a posse ad actum, in sensu supra explicato, importet. Æternitas sic intellecta a necessitate essendi vix discriminatur ; de ea tamen hic mentionem facimus eo quod ad æternitatem externam, de qua proprie hic agitur, prærequiratur. — *Externe* igitur ens æternum dicitur, juxta temporis theoriam de qua nunc agitur, cujus actus unicus omnibus actibus, sive realibus, sive possibilibus, cæterorum entium coexistit, ita ut hi actus, ex una quidem parte, sint sibi invicem successivi, ex altera vero parte, relative ad præfatum actum sint omnes simultanei.

II° *Vera æternitatis notio traditur.*

144. Dotes requisitæ in vera æternitatis notione, enuntiantur. — Nunc determinandum venit quænam ex tribus æternitatis notionibus modo enuntiatis, conceptum divini attributi, quod hac voce exprimi solet, vere adimpleat.

Ut illud præstemus, dotes in vera æternitatis notione requisitæ primum sunt exponendæ.

Per æternitatem omnes intelligunt existentiam Dei in omnibus temporibus. Ut igitur aliquis existendi modus æternitatis conceptum vere adimpleat, duæ in illo requiruntur conditiones : 1° ut nec in se, nec cum aliis attributis divinis contradictionem includat, 2° ut præsentiam in omnibus temporibus vere constituat.

Nunc vero, nec præsentia actualis in uno instanti temporis,

potentialis vero in aliis instantibus; nec duratio absque limite protensa; sed sola coexistentia actus unici alicujus entis omnibus cæterorum entium actibus, duas illas conditiones adimplet.

Assertionem hanc in triplici thesi astruemus.

145. Thesis prima. — *Præsentia actualis in uno temporis instanti, potentialis vero in aliis temporis instantibus, non est æternitas.*

Prob. — Hæc enim præsentia duplicem dotem modo enuntiatam non adimplet. Scilicet :

1° *Tum in se, tum cum aliis attributis divinis, contradictionem includit.*

In se quidem. — Posito enim quod ens aliquod in uno tantum temporis instanti actu concipiatur, ipsum in aliis instantibus nunquam existere absque contradictione supponi potest; quod enim de aliquo ente semel concipitur, semper de eodem concipi potest. Hypothesis igitur entis quod, in uno instanti temporis actu præsens, in aliis instantibus potentialiter vi essentiæ suæ existit, in se contradictionem includit.

Relative quoque ad attributa divina. — Tunc enim actualitas entis divini, in quolibet temporis instanti, aliquid contingens foret. Atqui, nihil in Deo contingens esse jam probavimus.

2° *Hæc demum præsentia, præsentiam proprie dictam in omnibus temporibus non constituit.*

Ens enim quod illa fruitur, cum nunquam actualiter existat, nisi in uno temporis instanti, nonnisi valde improprie omnia temporis instantia occupare dici potest.

Ergo, *præsentia actualis*, etc...

146. Thesis secunda. — *Duratio absque limite protensa, ad sensum Newtonii et Clarkii, non est æternitas.*

Prob. — Hæc enim duratio, duas dotes supra enuntiatas non adimplet.

1° *Hæc duratio tum in se, tum relative ad cætera Dei attributa, contradictionem includit.*

In se quidem. — Tempus enim concipi non potest nisi tanquam multiplicitas instantium. Porro, quidquid ita concipitur, illimitatum absque repugnantia supponi nequit. Quidquid enim multiplicitatem includit semper majus supponi potest.

Relative quoque ad cœtera attributa divina. — Si enim tempus, cum suis instantibus distinctis, in Deo contineretur, jam in Deo partes a se invicem separabiles conciperentur, quod de Deo dici nequit.

2° *Demum duratio infinite protensa præsentiam proprie dictam in omnibus temporibus non constituit.*

Etenim, illud tantum præsentiam proprie dictam in omnibus temporibus constituit, vi cujus, ens totum existit in singulis temporis instantibus. Porro, vi durationis infinite protensæ, ens totum non existit in singulis temporis partibus. Duratio enim ex partibus distinctis essentialiter coalescit, quarum unaquæque unum temporis instans constituit. Ens igitur quod, inter sua attributa, durationem infinite protensam numeraret, haberet quidem aliquid suiipsius in singulis temporis instantibus ; totum autem in nullo ex his instantibus existeret.

Ergo, duratio infinite protensa non est æternitas.

147. Thesis tertia. — *Æternitas interna in existentia initii, finis et successionis experte; æternitas vero externa in coexistentia talis existentiæ omnibus cœterorum entium actibus successivis reponi debent.*

Prob. — Facile enim constat duas dotes modo enuntiatas huic æternitatis notioni competere.

1° *Existentia sine initio, fine et successione omnibus cœterorum entium actibus successivis coexistens, nec in se, nec cum cœteris Dei attributis contradictionem involvit.*

Ex una enim parte, conceptus existentiæ his dotibus præditæ non enuntiat simul et negat rem eamdem. Ex altera parte, nihil in ejusdem existentiæ conceptu invenitur quod summam Dei perfectionem lædat ; ut per se satis patet.

2° *Existentia sine initio, fine et successione, omnibus cœte-*

rorum entium actibus successivis coexistens, veram et proprie dictam omnibus temporis instantibus præsentiam constituit.

Etenim, tempus nihil aliud est quam *ordo successivorum, quatenus successivorum* (*Ont. gen. n.* 186), illiusque instantia nihil aliud sunt quam res ipsæ sibi invicem succedentes, id est, termini varii successionum quæ tempus constituunt. Hoc posito, si supponatur existentiam aliquam talis esse naturæ ut, dum ex una parte, nec initio, nec fini, nec successioni obnoxia est, omnibus rebus quæ sibi succedunt coexistat, existentia hæc præsentia singulis instantibus temporis manifeste perfruetur.

148. ÆTERNITATIS DEFINITIO. — Æternitatem igitur adæquate sumptam definire possumus : *Attributum, vi cujus, existentia initii, finis et successionis expers, omnibus cæterorum entium actibus coexistit.*

An æternitas sic intellecta Deo competat, nunc expendendum.

III° *Æternitas Dei astruitur.*

149. THESIS. — *Deus est æternus.*

Prob. — Juxta æternitatis notionem modo allatam, ens illud æternum dici debet, quod, ex una parte, initio, fine et successione in seipso caret, quod, ex altera parte, per unicum actum quo constituitur, omnibus cæterorum entium actibus coexistit. Atqui, talis est Deus. Ergo, etc...

Prob. prima pars minoris, nempe : *Deum initio, fine et successione in seipso carere.*

Et quidem, 1° *Deus initio caret.* Deus enim est ens necessarium. Atqui, ens necessarium initium habere non potest. Initium enim est transitus a posse ad actum ; ens autem necessarium, utpote in actu essentialiter constitutum, a posse ad actum transire non potuit. Ergo, etc...

2° *Deus fine caret.* Illud iterum sequitur ex ipsius essendi necessitate. Hæc enim non minus excludit transitum ab actu ad merum posse, per quem finis existentiæ constituitur, quam

transitum a posse ad actum, in quo consistit initium existentiæ. Ergo, etc...

3° *Deus successione caret.* Deus enim est in se prorsus immutabilis. Atqui, ens immutabile successioni subjacere nequit. Successio enim transitum a statu ad statum essentialiter supponit. Ubi autem transitus a statu ad statum invenitur, ibi certe immutabilitas non adest. Ergo, etc...

Prob. secunda pars min., nempe : *Deum, per unicum actum quo constituitur, omnibus cæterorum entium actibus coexistere* Illud sequitur ex dictis supra de immensitate Dei. Deus nempe, utpote auctor omnium quæ sunt aut esse possunt, in seipso rationem includit existentiæ quorumlibet entium, non in uno tantum, sed in singulis eorum durationis instantibus spectatorum. Dum igitur ipse remanet successionis expers, in unumquemque tamen actuum successivorum, quos percurrunt cætera entia, influxum exercet, proindeque illis omnibus per unicum actum coexistit. Ergo, etc...

150. Principia solutionis objectionum. — In responsione afferenda objectionibus quæ contra Dei æternitatem proferri solent, hæc sedulo attendi debent.

1° Æternitas Dei, quatenus discrepat ab ipsius necessitate et immutabilitate, seu *æternitas externa*, non concipitur, ex dictis, nisi per respectum Dei ad creaturas. Si igitur in se solo Deus spectetur, cum nullam, ut sic, relationem ad tempus habeat, nec æternus, nec temporaneus dici potest.

2° Ex eo quod æternitas externa Dei concipiatur per coexistentiam illius actus unici cum actibus successivis cæterorum entium, sequitur attributum illud duplici sub respectu spectari posse : *in se* scilicet, et *in ipsius exercitio.* — In se spectata, æternitas Dei externa est vis quæ illi competit coexistendi per suum actum omnibus actibus possibilibus. Æternitas Dei, sic spectata, est aliquid infinitum, necessarium, immutabile. — Considerata in exercitio, æternitas externa Dei consistit in ipsomet facto quo Deus præsens est singulis entium ab ipso

creatorum actibus. De elemento finitudinis et contingentiæ quod æternitati Dei sic spectatæ admixtum videtur, eadem redit observatio ac supra ubi de *immensitate divina* (n. 138).

3° Ex eo quod absolute possibile sit ens finitum in tempore *multilocari*, ac proinde, per unum actum, pluribus actibus cæterorum entium coexistere, minime sequitur æternitatem exclusive Deo non competere. Sub hoc enim respectu, inter Deum et creaturas essentiale discrimen adest. Hæ siquidem absque ulla ad cætera entia coexistentia concipi possunt, proindeque hanc prærogativam habent aliunde quam a propria essentia; Deus vero, vi essentiæ suæ, et necessario, omnibus entibus, quoad singulos eorum actus, coexistit.

CAPUT TERTIUM.

De Attributis existentiæ divinæ quæ referuntur ad quantitatis conceptum, seu de Unicitate et Simplicitate Dei.

151. Horum attributorum divisio. — Duplex distinguitur quantitatis species : *discreta* nempe seu *numerus*, et *continua* quæ et *extensio* appellatur. Hinc attributa existentiæ Dei, quæ ad hunc conceptum referuntur, bipartito dividuntur in *unicitatem* et *simplicitatem*.

ARTICULUS PRIMUS.

De Unicitate Dei.

152. Unicitatis definitio. — Unicitas Dei *illud est attributum quo essentia divina in pluribus individuis distinctis actuari non potest*. Itaque, vi illius attributi, non plures dii, sed unus tantum agnosci debet (1).

(1) Hoc Dei attributum unitatis nomine vulgo designatur. *Unicitatis* vocem ad illud exprimendum cum quibusdam adhibuimus, ut distingueretur ab unitate proprie dicta quam inter essentiæ divinæ proprietates supra annumeravimus.

Hanc Dei prærogativam denegaverunt polytheistæ, contra quos sit sequens

153. **Thesis.** — *Deus est unicus*.

Prob. — Deus est ens necessarium. Atqui, ens necessarium est unicum. Ergo, etc...

Probatur minor. — Ens necessarium illud est cujus essentia necessariam cum existentia connexionem habet, seu cujus essentia non potest concipi nisi in actu. Ens autem tale unicum esse debet.

Nam 1° si aliter esset, si nempe essentia entis, de quo agitur, in pluribus individuis actuaretur, dicendum foret pluralitatem individuorum actu existentium adeo necessariam esse hujusmodi essentiæ, ut nonnisi in quodam numero individuorum concipi posset. Atqui, hoc dici non potest. Etenim nulla est essentia quæ sine contradictione supponi non possit in uno tantum individuo actuata. — Et vero, in hypothesi quod aliqua essentia plura individua exigeret, hæc individua, vel a se invicem independentia essent, vel sese invicem supponerent. *Si prius;* jam unum sine altero concipi potest, nec proinde essentiæ in unoquoque eorum actuatæ necessaria sunt. *Si posterius;* unumquodque igitur ex præfatis individuis existentiam completam non constituit; hoc autem posito, non jam plures actuationes, sed potius quasi plures ejusdem actuationis determinationes, hæc individua constituere dici debent. Ergo, etc...

2° Quando actuatio essentiæ efficitur vi ipsiusmet essentiæ, fieri debet juxta omnem gradum quo possibile est hanc essentiam actuari. Alioquin, in hujus essentiæ actuatione aliquid contingens et arbitrarium inveniretur; contingens autem et arbitrarium, in his quæ unice ab essentiis rerum pendent, inveniri non possunt. Posito igitur quod essentia ad actum necessario reducta, actuari possit in pluribus individuis, in his omnibus eo ipso actuatur. Nunc vero, semel ac essentia supponitur reducta ad actum in duobus individuis, eo ipso in tribus, in quatuor, etc... actuabilis concipitur, quin numero

actuationum illius possibilium limites assignari queant. Itaque in hypothesi quod ens necessarium plurale foret, ipsius pluralitas nullos limites haberet, ideoque esset actu infinita. Atqui, pluralitas actu infinita repugnat (*Ont. gen.*, n. 197). Ergo, etc.

3° Ibi nulla est pluralitas, ubi nulla distinctio terminorum est possibilis. Atqui, in ente necessario, nulla distinctio terminorum possibilis est. — Etenim duplici tantum ex fonte distinctio inter entia provenire potest: ex *essentia* nempe, quatenus iisdem notis non insigniuntur, et ex *actuationis principio* a quo *esse* acceperunt. Evidens est enim quod ubi eadem essentia, idemque actuationis principium inveniuntur, plures terminos actuatos concipere omnino impossibile est. Porro, in ente necessario eadem est essentia, idem est quoque actuationis principium. Et quidem *essentia eadem est*, ex hypothesi. *Idem quoque actuationis principium*; in ente enim necessario, actuationis principium ab essentia non discrepat. Ergo, in ente necessario nulla distinctio terminorum, nulla proinde pluralitas agnosci debet. Ergo, etc.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Simplicitate Dei.

154. Simplicitatis Dei definitio. — Simplicitas est *illud attributum quo a Deo quodlibet compositum excluditur, quo nempe ex pluribus actibus distinctis, ad totum efformandum sibi invicem junctis, Deus non coalescit.*

155. Simplicitatis Dei impugnatores enumerantur. — Attributum illud negaverunt 1° pantheistæ quidam *materialistæ* dicti, potius autem *athei* dicendi, juxta quos Deus non distinguitur ab aggregatione rerum omnium quæ mundum constituunt. — 2° Dei quoque simplicitatem sustulerunt philosophi perplures qui, vel aliquid igneum aut æthereum Deum esse dicebant, vel ipsi formam humanam tribuebant. — 3° De-

mum, citantur ignari quidam monachi priorum seculorum, ab antiquis conciliis damnati, qui Deum a qualibet mole corporea segregatum, sibi repræsentare non valentes, corpus simile nostro illum habere existimabant: unde *anthropomorphitæ* nuncupati fuerunt.

Contra quos omnes sit

156. Thesis. — *Deus, quatenus existens, est simplex.*

Prob. 1° Existentia Dei nihil aliud est quam ipsius essentia actuata. In tantum igitur illa simplicitate careret, in quantum hæc in suo conceptu compositionem includeret. Porro, essentia divina, utpote unitate prædita (n. 24) nullam compositionem includit.

Prob. 2° Deus est ens necessarium. Atqui, ens necessarium omnem a seipso compositionem excludit. Etenim ens necessarium excludit a seipso quidquid est contingens. Porro, compositio est aliquid contingens. Nam compositio concipi non potest nisi ut aggregatio partium separabilium, proindeque ut aliquid quod sine contradictione supponi potest incipere et interire. Quod autem incipere aut interire potest, est contingens. Ergo, etc.

157. Obj. Deus dare non potuit quod non habebat ipse. Atqui, Deus compositionem materiæ dedit. Ergo.....

Resp. Dist. maj.— Deus dare non potuit nisi quod habebat ipse, *reale nempe et positivum*, concedo; *negativum tantum*, nego. — Etenim fatendum quidem est Deum nihil positivum et reale dare posse, quod ipsemet saltem eminenter non habeat : de negativo autem et imperfectione illud dici nequit, ut facile constat. Nunc vero compositio in materia mera est negatio. In hac enim compositione duo tantum spectari possunt : pluralitas nempe partium, et earum inter se ad totum efformandum aggregatio. Sub utroque autem respectu, compositio nihil nisi negativum dicit. — Sub priori quidem : pluralitas enim partium non aliunde possibilis efficitur, nisi ex contingentia illarum partium, qua nempe suum existendi principium, non in propria essentia, sed in libera alterius entis voluntate habent. Unde, pro illius entis arbitrio, vel in uno individuo, vel in pluribus individuis earum essentia actuari potest.— Sub posteriori quoque respectu : aggre-

gatio enim constituitur per actionem plurium entium in invicem, nihil igitur positivum extra hujusmodi entia supponit.

THEODICEÆ PARS TERTIA.

DE OPERATIONE DEI.

158. Operatio Dei definitur. — Per operationem Dei intelligimus *exercitium vis causandi ipsi inhærentis*. Porro, manifestum est, ex dictis, vim illam causandi ad Deum ipsum terminari non posse. Hinc sequitur operationem divinam, de qua nunc tractandum habemus, concipi debere tanquam respectum activum, cujus actus divinus, in suo esse complete constitutus, est subjectum; cujus vero terminus est existentia quædam a divina existentia essentialiter distincta (1).

Duplici sub respectu operatio Dei, non secus ac cujuslibet entis operatio, spectari potest : *objective* scilicet, seu in termino circa quem versatur, et *subjective*, seu in exercitio activitatis vi cujus terminus producitur. Hinc duæ Sectiones.

(1) Operatio hæc, propter distinctionem saltem existentialem inter ipsius terminum et ipsius subjectum, vulgo *externa* seu *ad extra* nuncupatur. Sic illam distinguunt a determinationibus essentialibus actus divini, quæ operationes Dei *internæ* seu *ad intra* vulgo appellantur.

SECTIO PRIMA.

DE OPERATIONE DEI OBJECTIVE SPECTATA.

159. Tria sunt quæ extra seipsum Deus operatur : 1° entia possibilia transire facit a nihilo existentiæ ad existentiam; 2° eadem entia in existentia accepta jugi influxu conservat; 3° illis tandem in productione modorum, quos successive induunt, cooperatur.

Primum dicitur *creatio*, secundum *conservatio*, tertium *concursus*. De his in totidem Capitibus pertractabimus.

CAPUT PRIMUM.

De Creatione.

Inquirendum habemus 1° quid sit creatio; 2° an stricte requiratur creatio ut aliquid, præter Deum, existentia fruatur; 3° an et quousque creandi potestas competat Deo.

I° *Creationis notio traditur.*

160. — Creationem accurate definiendi necessitas. — Quisquis varias relationes, quæ inter Deum et cætera entia existere possunt, attente consideraverit, is facile intelliget eas omnes in conceptu creationis fundamentum habere. Cum, ex altera parte, nullus forsan in scientiis philosophicis inveniatur

conceptus qui mendosis expositionibus magis fuerit adulteratus, in hoc toti esse debemus, ut illius veram et genuinam notionem hic afferamus.

161. Vocis CREATIO sensus diversi. — Vox *creatio*, in usu loquendi ordinario, cujuscumque generis productionem exprimit. Sæpius tamen, et magis proprie, designat productiones quæ ad aliquid novum et antea inauditum terminantur. Sic, de *creationibus* poetarum, oratorum, etc... quotidie loquimur. Sic speciatim viros præcellenti ingenio præditos, qui sive in scientiis, sive in artibus, novas aggrediuntur vias, *creatores* dicimus. In sensu autem stricte philosophico, vox *creatio* designat tantum productionem vi cujus ens aliquod substantiale transit a non-ente ad ens.

162. Creationis stricte sumptæ definitio. — Apposite ad hunc sensum, quem hic tantummodo curare debemus, possumus creationem definire : *Operationem cujus terminus est substantia.* — Dixi 1° *operationem* ; quid per hanc vocem intelligi debeat fuse exposuimus in Ontologia generali (n. 117). — Dixi 2° *cujus terminus est substantia.* In aliquo sensu, nulla est operatio cujus terminus substantia non sit ; quælibet enim operatio ad aliquid reale, proindeque ad aliquid substantiale dirigitur. Cum autem, proprie loquendo, operationis terminus sit illud quod, vi operationis, producitur, hinc ea tantum operatio ad substantiam terminari dici potest, quæ substantiam ipsam producit. Creationem itaque definiendo : *operationem cujus terminus est substantia*, exprimere volumus illius objectum esse, non solum formam aut modificationem in substantia jam existente producendam, sed substantiam antea non existentem ad existentiam perducendam.

Ut hanc creationis notionem magis completam efficiamus, utile duximus quasdam observationes hic subjungere.

163. An creatio definiri possit : productio ex nihilo. — Plurimi creationem definiunt : *Productionem ex nihilo.* Hæc definitio ab ea quam modo attulimus reipsa non discre-

pat. Ut enim fiat operatio cujus terminus sit substantia, necesse est ut substantia hæc non existat nisi per operationem cujus est terminus ; ideoque ut, ante illam operationem, nullatenus exstiterit. Substantia autem non existens est merum nihilum. Creare igitur substantiam est illam e nihilo producere. Non quidem quod nihilum sit quasi materia ex qua substantia creanda conficiatur, juxta sensum absurdissimum quem nonnulli præfatæ definitionis propugnatoribus perperam tribuerunt. Substantia autem e nihilo produci per creationem in eo sensu dicitur, quod, creatione mediante, transeat a non-ente ad ens, seu quod incipiat aliquid esse.

164. An et quatenus terminus creationis in creatore contineatur. — Actio creatoris substantiam aliquam e nihilo educentis non concipitur, nisi ea conditione, ut creator in se contineat quidquid perfectionis confert termino suæ actionis. Alioquin terminum hunc vi propria producere, illiusque existentiæ rationem adæquatam continere, male diceretur. Hoc tamen intelligi non debet in eo sensu quod creator ex seipso aliquid separet, cujus ope, terminum creationis constituat. Tunc enim non foret productio substantiæ. In eo igitur consistit actio creatrix, quod gradus entis in creatore jam existens, et idem in ipso remanens, extra illum de novo actuetur, adeo ut essentia quæ, uno tantum modo ante creationem existebat, quatenus nempe in creatore eminenter continebatur, post creationem multipliciter existat. Creatio igitur non gradus entis, seu *essentias*, sed *existentias* tantum multiplicat.

Hinc intelligi datur quonam in sensu vera sit formula philosophica a pluribus auctoribus adhibita : *Post creationem non dari plus entis*, *sed plura entia*, seu *plura habentia ens*. Si nempe per hanc formulam exprimere quis vellet existentias per creationem non multiplicari, id est, numerum substantiarum eumdem post creationem esse ac antea, præfata formula, utpote pantheismum redolens, procul dubio rejici deberet. Si autem ita adhibeatur, ut nihil aliud exprimat, nisi quod gradus

entis intelligibilis per creationem non multiplicentur; adeo ut, post creationem, non major existat intensitas entis, sed tantum plures sint, ut ita dicam, individuationes entis jam existentis; in hoc sensu omnino vera videtur præfata formula.

Productio hæc novarum individuationum, entis intensitate eadem remanente, sat apte repræsentatur (in quantum res tam diversæ sibi invicem componi possunt) per multiplicationem exemplariorum ejusdem libri, artis typographicæ ope. In hac enim multiplicatione, non major producitur doctrinæ intensitas; sed tantum ejusdem doctrinæ expositio multoties traditur.

165. Creationis naturam nonnisi imperfecte cognoscimus. — In his quæ præcedunt, creationis quidem notionem exacte determinare voluimus, nequaquam vero illius modum explanare. Hic enim mysterium adesse quibuslibet ingenii humani investigationibus impervium, persuasum habemus. Duplici ex fonte mysterium istud potissimum oritur 1° ex imperfectione ideæ qua naturam causæ generatim apprehendimus; 2° ex defectu in nobis potestatis creandi.

Et quidem quod spectat ad ideam causæ generatim, cum vis causandi non sit in se quid primitivum, sed suam in ente rationem invenire debeat, exinde sequitur illius conceptum completum non esse, nisi illius rationem in conceptu entis detegamus. Hoc autem nobis impossibile esse experientia constat. Hinc concipimus quidem quid sit *causare;* quomodo autem ad *causandum* ens sese determinat, prorsus ignoramus.

Primo huic fonti obscuritatis qua idea creationis admiscetur, addendum est hanc causationis speciem in nobis nullatenus inveniri. Licet enim, modum quo sese exerit vis causandi nobis inhærens, in se et ontologice, prorsus ignoremus; attamen ignorantiæ, in qua sub hoc respectu versamur, aliquatenus supplet quotidianum vis illius experimentum. Quod enim indesinenter peragimus, hoc intelligere persuasum habemus. Utrumque autem cognitionis genus nobis deest rela-

La notion de cause n'est pas la même que celle de l'être. Voir M. Cousin être cause et être substance est la même chose. Toute substance créée n'a lieu qu'à la condition d'être causée ce qui n'est pas pour Dieu. La cause première est substance d'abord il faudrait en tirer la causalité ce qui est impossible. Nous saisissons notre âme, le moi, les effets, les volontés, les pensées, mais le lien, le comment nous ne pouvons le voir.

tive ad creationem; dum enim, ex una parte, quomodo peragatur ontologice ignoremus, ex altera nihil in propriæ activitatis exercitio invenimus quod illius experimentalem notionem nobis suppeditet. Hinc facile concipitur cur cætera quidem causationis genera melius intelligere existimemus, natura vero creationis conceptu difficilior nobis videatur; dum, in rei veritate, priorum idea non clarior, sed tantum nobis familiarior dici deberet.

II° *Nullum ens præter Deum existere posse, nisi per creationem, astruitur.*

166. Dualismi notio generalior. — Notione creationis accurate determinata, expendere debemus utrum, posito quod extra Deum entia quædam existant, principium existentiæ suæ in creatione necessario habeant.

Partem negantem tuentur quotquot existimant aliquid necessarium extra Deum existere posse.

Error ille *dualismi* nomine vulgo designatus, duplicem formam præcipue induit.

167. Dualismus religiosus. — Juxta priorem formam, quæ *dualismus religiosus* nuncupari posset, ab æterno existunt duo principia rerum omnium, ambo necessaria, activa, et a se invicem prorsus independentia, sive in sua existentia, sive in suis actibus. Alterum, quod *Deus* dicitur, est essentialiter bonum. Alterum, econtra, est essentialiter malum. Mundus utriusque actioni debetur, et ideo bonis et malis admiscetur. Ita præcipue plures sectæ hæreticæ priorum Ecclesiæ seculorum, et in primis *Manichæorum* secta.

168. Dualismus philosophicus. — Est et alia ejusdem erroris forma, quam *dualismum philosophicum* possemus appellare, eo quod a sectis philosophicis, præcipue propugnata fuit. Juxta illius patronos, duo quoque principia ab

æterno et necessario, ideoque a se, existunt. Unum ex illis activitate et intelligentia gaudet, supremaque fruitur independentia et perfectione, uno verbo, *Deus* est. Alterum principium est mundus, qui, licet a se existens, ut ipsemet Deus, huic tamen tanquam superiori subjicitur, et ab eo pendet, vel ut formam, juxta quosdam, vel ut motum, juxta alios, recipiat. Ita celebriores philosophi apud Græcos, in primis Plato et Aristoteles.

Contra hos omnes, sit

169. THESIS. — *Nullum ens, præter Deum, existere potest, nisi per creationem.*

Prob. — Illud omne per creationem existit, quod in se, seu in sua essentia, existentiæ, qua fruitur, rationem non habet. Atqui, nullum ens, præter Deum, existentiæ, qua fruitur, in sua essentia rationem invenit. Ergo, etc...

Seorsim probandæ sunt major et minor.

Probatur major. — Quidquid enim in sua essentia existentiæ rationem non habet, seu, quod idem est, quidquid v solius essentiæ non existit, non constituitur, per hanc essentiam, nisi in statu meræ potentialitatis; licet enim existens supponatur, absolute tamen non repugnat quod existentia privetur. Ens autem quod, per suam essentiam, in statu meræ potentialitatis constituitur, nonnisi per creationem ad existentiam deduci posse facile constat. Ens enim illud, ut ad existentiam perveniat, transire debet a potentia ad actum, seu a non-ente ad ens. Hicque transitus nonnisi per efficaciam causæ, enti de quo agitur extrinsecæ, fieri potest. (*Ont. gen.* n. 226). Sed transitus a non ente ad ens, per efficaciam causæ, est illud præcise quod, juxta definitiones præcedentes, creationem appellamus.

Probatur minor. — Supra (n. 153) demonstratum fuit Deum esse unicum, id est, essentiam divinam nonnisi in unica existentia per se actuari. Posito igitur quod, præter Deum, ens aliquod a se existat, hujus entis essentia ab essentia divina discrepare debet. Essentiæ autem divinæ attributum specificum est

plenitudinem entis habere, seu *esse simpliciter* (n. 13). Necesse est igitur entia *a se* a Deo distincta, si quæ existant, ad aliquem gradum entis determinari, ideoque non *esse* nisi *secundum quid*.

His præsuppositis, minoris probandæ demonstratio ad id reducitur, ut ostendamus nullum ens secundum quid existentiæ suæ rationem in sua essentia continere. Illud autem facile constat.

Etenim, illud tantum existentiæ suæ rationem in sua essentia habere dici potest, quod existit vi ipsius *esse*, id est, cujus existentia confunditur cum realitate objectiva quæ conceptui entis necessario competit. Ens autem quod ita existit, non potest aliquo gradu entis carere, seu non potest *esse* nisi *simpliciter*. Objectiva enim realitas, quam in ente agnoscere debemus, non huic aut alteri gradui entis competit, sed enti juxta totam vim illius vocis, id est, *enti simpliciter*. — Et vero, si ens quoddam limitibus circumscriptum, vi tamen realitatis enti necessario inhærentis, seu vi ipsius *esse*, existeret, non illius existentiæ tantum, sed et illius limitum ratio in natura entis reponi deberet. Hoc autem manifestam involvit repugnantiam. Limites enim nihil aliud sunt quam exclusio alicujus gradus entis. Atqui, ens, ex natura sua, aliquem gradum entis excludere non potest. Alioquin, ens enti opponeretur, quo nil absurdius dici potest.

Ergo, nullum ens, præter Deum, in sua essentia suæ existentiæ rationem habet. Ergo, quidquid extra Deum existit est creatum.

170. Corollarium. — *Creatio est saltem in se possibilis.*

Etenim, ut creatio sit possibilis, duo requiruntur et sufficiunt : 1° ut absolute possibile sit entia quædam extra Deum existere ; 2° ut entia hæc nonnisi per creationem existere possint.

Atqui, hæc duo constant,

Prius quidem, prout in præcedenti Parte contra pantheistas demonstratum fuit.

Posterius quoque, prout in thesi modo posita ostendimus.

Solvuntur Objectiones.

171. Obj. — Nulli enti assignari debet existentiæ principium, quod contradictionem involvit. Atqui, talis est creatio. In eo enim consistit creatio ut aliquid ex nihilo producatur. Atqui, *aliquid ex nihilo* fieri contradictorium est. Ergo, etc.

Resp. Neg. min. — ad probationem, dist. maj.: in eo creatio consistit quod aliquid ex nihilo producatur, id est, *quod aliquid, per efficaciam causæ realis sufficientis, a non ente ad ens transeat,* concedo, id est, *quod aliquid ex nihilo tanquam causa aut materia formetur*, nego. — *Distinguenda minor in eodem sensu.*

Equidem, creatio, prout ex præcedentibus constat, per se dicit transitum alicujus entis a non-esse ad esse, id est, exigit ut quod antea non existebat, nunc existat. In hoc sensu verissimum est dicere ens creatum ex nihilo fieri. Falsum est autem creationem exigere ut nihilum sit entis creati principium aut materia. Illius enim entis principium est creator cujus potestate producitur; ejusdem autem materia ante ipsum non existebat, alioquin creatum dici non posset. — Nunc autem eamdem distinctionem minori applicando, facile ostendi posset productionem ex nihilo in posteriori tantum sensu repugnare; in priori vero, mysterium quidem rationi humanæ prorsus impervium, nullam autem repugnantiam includere. Ibi enim tantum agnoscenda est repugnantia, ubi aliquid enuntiatur quod notiones contradictorias, id est, sese invicem refellentes, simul includit. Atqui, illud non evenit in productione ex nihilo in sensu legitimo intellecta: nulla enim est contradictio in eo quod res prius non existens, per efficaciam causæ sufficientis, ad existentiam perducatur.

172. Instab. — Productio ex nihilo, quocumque in sensu intelligatur, rejici debet, modo suppositio nihili, seu non entis, sit aliquid contradictorium in terminis. Atqui res ita se habet. Etenim nihilum est aliquid mere negativum, nihil namque aliud per se dicit quam negationem realitatis: porro negativum concipi non potest nisi per positivum cujus est negatio; nihilum igitur concipi

non potest nisi per realitatem: ergo quisquis supponit nihilum, supponit simul realitatem ac proinde sibi contradicit. — Ita fere D. Cousin: *Histoire de la Philosophie*, 5e *leçon* (*cours de* 1828).

Resp. Dist. min, — Suppositio nihili, seu non entis, contradictionem includit, *si hæc fiat de nihilo absoluto quod in negatione totius entis consistat*, concedo; *si hæc fiat de nihilo relativo tantum, quod in alicujus individui negatione consistat*, nego. — Etenim, duplici in sensu intelligi potest vox *nihilum*, vel nempe ad exprimendam totius entis negationem, ut quando nonnulli athei dicunt tempus fuisse in quo nihil existebat; vel ad exprimendam non-existentiam alicujus entis determinati. Porro, libenter fatemur prioris nihili suppositionem manifestam contradictionem includere; fieri enim non potest nisi per negationem entis, quod ideo prius concipitur. De nihilo autem, in posteriori sensu intellecto, idem dici non potest. Nulla enim contradictio est in eo quod ens aliquod contingens concipiatur non existere, cum econtra ipsamet hujusce entis idea illius non-existentiam ut possibilem essentialiter supponit. Objectio igitur proposita tota in æquivocatione ludit, mirumque videri potest auctorem modo citatum tanta cum fiducia eam proponere.

173. Iterum instabis. — Vel causa creatrix, ante creationem, continebat effectum, vel non. Si prius, nulla adest creatio, sed tantum manifestatio alicujus realitatis in causa absconditæ et obvolutæ. Si posterius, creatio est impossibilis; repugnat enim causam producere quod nullatenus habebat. Ergo.....

Resp. — Tota hujusce objectionis difficultas versatur circa sensum qui vocabulo *continere* assignari debet. Duobus enim modis, prout jam alibi diximus, res aliqua aliam continere potest, quoad nempe illius formam, quemadmodum, v. g., pecunia in crumena includitur; aut eminenter, quando scilicet res aliqua quidquid alteri competit modo perfectiori continet. — Hac præmissa explicatione, si in priori sensu intelligatur vocabulum *continere*, neganda est conclusio ex posteriori dilemmatis membro educta: ex eo quod nempe creatura in creatore non contineatur juxta propriam formam, minime sequitur creationem esse impossibilem; in creatione enim, licet causa effectum formaliter non contineat, ipsi tamen nihil confert quod ipsa perfectiori modo non possideat. Si autem in posteriori sensu intelligatur vocabulum *continere*, neganda est econtra prioris membri dilemmatis conclusio: nam, licet causa eminenter contineat omnem effectus realitatem, vere tamen hujus productio creatio dici debet. Ibi enim

adest creatio, ubi res existentiam a sua causa distinctam incipit obtinere; atqui, in hypothesi facta, illud evenit. Ergo...

III° *An et quousque creandi potestate Deus gaudeat, expenditur.*

174. Deus potestatem creandi in summo gradu possidet. — Hujus quæstionis solutio ex iis quæ præcedunt sponte deducitur, nec specialem difficultatem parere potest. Scilicet :

1° Ex eo quod creatio sit possibilis, manifeste sequitur creandi potestatem Deo competere. Etenim, posita creationis possibilitate, potestas creatrix aliquid positivum exhibet menti. Huic itaque enti competere debet quod in suo esse quidquid positive concipitur essentialiter includit.

2° Potestas creatrix, quam in Deo cogimur admittere, nullos limites habet; sed ad omne creabile necessario extenditur. Ratio eadem est ac supra. Nullum nempe creabile concipi potest, quin simul positive concipiatur potestas creatrix, vi cujus creari possit. Hæc igitur potestas in Deo inveniri debet.

3° Non solum autem potestas creatrix, qua pollet Deus, ad omnia creabilia extenditur; ita ut nullum creabile concipiatur quod Deus actuare non possit. Nihil præterea creari potest quod in Deo suam non habeat rationem existendi, *saltem ultimam.* Etenim, ultima ratio rerum omnium quæ, creationis ope, ad existentiam perduci possunt, nonnisi in ente a se existente inveniri debet; nam quidquid a se non existit, suam existendi rationem ab alio ente mutuatur, nec ideo ultima existendi ratio dici potest. At, ex probatis, Deus solus inter omnia entia aseitate pollet. Ergo, etc...

Dixi *rationem saltem ultimam.* His verbis, abstrahere voluimus quæstionem inter auctores agitatam, et a nobis infra tractandam, utrum ens creatum cætera entia creandi vim habere

possit. Quocumque enim modo hæc quæstio resolvatur, semper inconcussum remanet, rationem ultimam rerum omnium creatarum, in Deo solo esse reponendam.

CAPUT SECUNDUM.

De Conservatione.

175. Conservationis notio. — Conservationis nomine designant auctores *operationem qua Deus res semel creatas in earum esse continuat et sustinet.*

De illa duo quærenda occurrunt : 1° An requiratur, 2° quænam sit ejus natura.

I° *Conservationis necessitas astruitur.*

176. Opiniones exponuntur. — Circa conservationis necessitatem, celebris inter philosophos, præsertim a Cartesii temporibus, exstat controversia. — Alii nempe existimant substantiam ad existentiam semel perductam, in suo *esse* perseverare ex seipsa, donec positivo Dei decreto annihiletur. In hac igitur sententia Deus creaturas non conservat, nisi quatenus ab illis destruendis abstinet : hæc conservatio, quæ nomen hoc proprie non meretur, vocatur *negativa* seu *indirecta*. — Alii philosophi docent auxilio Dei positivo et perpetuo creaturas indigere, ut in sua perseverent existentia. Admittunt igitur conservationem *positivam* et *directam*.

Conservationem negativam solam admitti debere, aut potius conservationem necessariam non esse, præcipue propugnavit P. Gassendi. Inter defensores conservationis positivæ, in primis citari merentur : Cartesius, Malebranchius, Fenelonius, quibus, in antiquis temporibus, præiverat S. Augustinus.

Cum his posterioribus sit

177. Thesis. — *Creatura in existentia semel accepta, sine influxu Dei perseverare non potest; ideoque conservatio positiva est admittenda.*

Prob. — Creaturæ, ut in accepta existentia perseverare possit, hic utique influxus necessarius est, quo rejecto, illius existentia continuata effectus esset sine causa. Atqui, talis est influxus Dei. Ergo, influxus Dei creaturæ, ut in existentia perseveret, est necessarius.

Major per se patet. — *Minor* autem sic astrui potest.

Admisso quod perseverantia creaturarum in existentia semel accepta, nullius influxus, ex parte Dei, sit effectus, jam, ut illi causa assignetur, nihil aliud dici potest, nisi perseverantiam hanc in ipsamet creatura rationem sufficientem habere, quatenus ab hujus essentia exigeretur, aut saltem existentiæ qua fruitur consectarium foret. Atqui neutrum dici potest.

Non prius. — Essentia enim creaturarum non magis utique valet ad perseverandum in existentia quam ad illam prima vice recipiendam. Sed, ex dictis, essentia creaturarum transitus earum a non-ente ad ens rationem non continet. Ergo, etc.

Non posterius. Cum enim varia instantia existentiæ creaturarum, sibi invicem succedant, a se invicem igitur separari possunt, ideoque nullam inter se connexionem essentialem habent. Unde absolute concipitur creaturam in quocumque existentiæ suæ instanti annihilari posse. Hoc autem posito, perseverantia illius in existentia, existentiæ jam acceptæ consectarium dici nequit. Ergo, etc.

178. Corollarium. — Ex hac thesi sequitur annihilationem creaturarum inter operationes divinas annumerandam non esse, seu Deum creaturas proprie non annihilare. Hæc enim annihilatio foret operatio sine termino, quod repugnat. Annihilatio igitur creaturarum, posito quod eventura sit, nihil aliud erit quam cessatio respectus activi quo Deus illas indesinenter existere facit.

Solvuntur objectiones.

179. Obj. 1°. — Illud admitti nequit ex quo sequeretur non eamdem Deo peritiam competere quam humanis artificibus. Atqui, si necessaria foret conservatio positiva, non tanta Deo peritia competeret quanta artificibus humanis ; horum enim opera semel fabricata, non jam auxilio externo indigent ut in existentia perseverent. Ergo...

Resp. Neg. min. — Ratio discriminis inter opera humana et creaturarum productionem in eo consistit, quod artifices humani dum opera perficiunt, nec eorum materiam, nec leges quibus illa materia regitur, producant. Nihil igitur aliud efficiunt quam materiæ partes in eo statu constituere, in quo, vi legum naturalium, aliquos effectus permanenter producere debent. Perseverantia igitur hujusmodi operum, nec ipsis, nec eorum opificibus tribuenda est, sed Deo qui solus posuit et conservat leges quarum virtute existunt. Quando autem Deus creat, cum omnipotentia sua omnia producat, nec ulla res nisi per ipsum existere possit, necesse est ut vim creatricem exerceat, non solum primo instanti sed per totam rerum creatarum durationem.

180. Obj. 2°. Creaturæ sunt indifferrentes ad existentiam vel non existentiam. Ergo quemadmodum nonnisi per causam positivam ad existentiam perduci potuerunt, ita et existentia semel accepta privari non possunt, nisi ab aliqua causa item positiva.

Resp. Dist. antec. — Creaturæ sunt indifferentes ad existentiam vel non existentiam, *in eo sensu quod ex se ad existentiam non tendant, sed tam possint creari, quam non creari,* concedo ; *in eo sensu quod absque ullo Dei auxilio in existentia semel accepta perseverare possint,* nego antecedens ; propter rationes in thesi expositas.

181. Obj. 3°. — Si singulis instantibus creentur entia contingentia, mens humana non magis erit libera in singulis suæ durationis instantibus quam in primo ; atqui in primo non fuit libera ; ergo nec in aliis.

Resp. Neg. maj. — Etenim, si in singulis existentiæ suæ instantibus mens libera non foret, maxime, ut volunt adversarii, quia actioni suæ nunquam præexisteret, eo quod in quolibet instanti de novo crearetur. Atqui hæc ratio non valet. Ut enim agens sit liber, minime necesse est ut actioni suæ præexistat ; alioquin Deus cum libertate agere non posset, cum in ipsius duratione

nihil dici possit præexistere. — Hinc si mens libera non sit in primo existentiæ suæ instanti, illud non provenit ex eo quod in eo ipso instanti creetur, sed vel ex dispositione Dei rem ita constituentis, vel etiam ex defectu idearum satis evolutarum quæ ad libertatis exercitium prærequiruntur.

II° *Conservationis natura expenditur.*

182. Opiniones exponuntur. — Auctores qui conservationis proprie dictæ seu positivæ necessitatem nobiscum admittunt, inter se iterum, in illius natura determinanda, dissentiunt.

Alii nempe conservationem habent tanquam operationem a creatione distinctam.

Alii econtra dicunt ipsam nihil aliud esse quam creationem singulis instantibus, si ita loqui fas est, repetitam. In hac igitur opinione, toties creatura e nihilo educeretur, quot in existentiæ illius duratione momenta distingui possunt. Ita in primis sentire videtur Fenelonius (*Traité de l'Existence de Dieu*, 2me partie).

183. Controversia resolvitur. — De hac controversia hæc statueremus.

1° Sub aliquo respectu creatio et conservatio a se invicem discrepare non videntur. Utriusque enim operationis objectum est substantia in actu constituenda. Quod quidem tale sit creationis objectum, ex dictis constat. De conservatione idem dici debet. Operatio enim vi cujus *esse substantiale* alicui enti conservatur, non minus ad substantiam in actu constituendam terminari dici debet, quam operatio qua *esse substantiale* alicui enti prima vice conceditur.

C'est toujours l'effet d'un être [illegible]

2° Non tamen diceremus, prout nonnulli innuere videntur, conservationem in eo consistere quod singulis instantibus substantiæ creatæ e nihilo existentiæ ad existentiam perducantur ; adeo ut creaturarum duratio conflaretur creationibus

La conservation n'est que le décret éternel de la création ; c'est la parole de Dieu qui nous porte à chaque instant ; il n'y a pas succession d'actes en Dieu ; un seul acte

et annihilationibus alterna vice sibi succedentibus. Tunc enim non una foret sed multiplex cujuslibet creaturæ existentia, sicque identitate substantiali careret. Hanc tamen identitatem substantiis creatis competere posse dubium non est; prout deducitur in primis ex conceptu temporis qui in identitate substantiali creaturarum manifeste fundatur.

3º Idem conceptus temporis, prout illum in Ontologia exposuimus, solutionem præsenti difficultati nobis videtur suppeditare. Juxta nos scilicet tempus essentialiter consistit in successione. Successio autem concipi non potest nisi per status diversos, quos eadem substantia ita induit, ut cessatio unius sit productio alterius. Unde demum sequitur ens aliquod durare, seu in existentia perseverare dici non posse, nisi, quatenus idem remanens quoad ipsius substantiam, quamdam statuum mutationem in seipso experiatur.

Hoc posito, quid sit conservatio, et in quo a creatione differat, facile concipitur.

Scilicet, cum una eademque sit cujuslibet entis creati substantia, illius productio nonnisi per unam eamdemque operationem a Deo causari potest, quam generico *creationis* nomine possumus designare.

Cum autem, prout modo diximus, aliqua diversitas statuum sibi invicem succedentium in unaquaque substantia agnosci debeat; necesse est ut operatio divina, vi cujus substantia producitur, ad singulos illius status terminetur, et illos, ut ita dicam, in sua comprehensione includat.

Hinc duplex respectus *creationis proprie dictæ* et *conservationis*, quem in illa operatione, licet eadem remanente, possumus discernere.

Hæc nempe, quatenus substantiam in primo ex suis actibus constitutam active respiciens, *creatio* proprie appellatur; quatenus vero eamdem substantiam respicit in singulis statibus qui primo succedunt, speciali designatione dicitur *conservatio*.

CAPUT TERTIUM.

De Concursu.

Dieu crée et conserve tous les êtres [illegible] se contente-t-il de leur donner la faculté d'agir ? En sorte qu'ils agiraient d'eux-mêmes ? Non, sans le concours nous n'agirions jamais.

184. Concursus notio. — Concursus nomine designant auctores *auxilium quod Deus creaturis confert ut varias determinationes, quas successive induunt, elicere possint.*

De illo concursu ante omnia inquirere debemus an sit necessarius, seu utrum creaturæ auxilio divino indigeant, non solum ut in esse constituantur, et perdurent, sed etiam ut ad agendum sese determinent. Quænam sit illius natura, præsertim relative ad actus liberos, postea inquiremus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Necessitate Concursus divini in creaturarum actionibus.

185. Quæstionis status exponitur. — Deum ad actiones creaturarum concurrere, in eo saltem sensu quod illis concesserit jugiterque conservet facultatem agendi, ex dictis manifeste sequitur, nec ullus unquam negavit. Hic autem quæritur utrum, præter facultatem agendi ipsis competentem, creaturis iterum opus sit, ut in actum prorumpant, speciali Dei auxilio quo illarum facultas adjuvetur.

Partem negantem jam in antiquitate patronos habuisse testari videntur hæc S. Augustini verba : *Sunt qui arbitrantur tantummodo mundum ipsum factum a Deo, cætera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit et jussit, Deum autem ipsum nil operari* (Genes. ad litter., l. 5, c. 20). Eamdem expresse tenuerunt plures theologi scholastici, inter quos præcipue eminet Durandus, Meldensis episcopus, qui circa initium seculi xiv floruit. Juxta illum, creaturis, ut agant, sufficit

potestas expedita agendi vel non agendi iis ab initio concessa, et in decursu earum existentiæ conservata. — Communius vero admittunt auctores necessitatem concursus divini ad quemcumque actum a creaturis peragendum. Cum his posterioribus sit

186. Thesis. — *Ut creaturæ suam agendi facultatem ad actum applicent, ipsis necessarius est concursus divinus.*

Prob. — Deus, prout jam demonstratum manet, non solum creaturis initium existendi confert, sed etiam illas positive conservat, id est, illas, in singulis earum durationis instantibus, existere facit. Atqui, creatio et conservatio positiva absque concursu Dei, in singulis earumdem actionibus, concipi non potest. Ergo, etc...

Probatur minor. — Actiones creaturarum nihil aliud sunt quam variæ determinationes, per quas successive transit earum substantia, et quæ, quocumque modo duratio definiatur, singulis hujus instantibus respondent. Hoc posito, quæstio nobis resolvenda ad id reducitur, utrum terminus operationis, qua Deus creaturas in singulis instantibus positive conservat, sit substantia creaturarum in actu constituta seu determinata, an vero substantia in potentia actus, seu mere determinabilis. Evidens est enim quod si posterius dicatur, causam vincunt adversarii: non minus iterum evidens est quod, priori hypothesi admissa, admittendus est concursus; Deus siquidem substantiam in actu constitutam positive conservare non potest, quin illam creet agentem, quin proinde ipsius actui cooperetur.

Nunc vero, ex his duabus hypothesibus, posteriorem admitti non posse sic probari potest.

Terminus, ad quem dirigitur conservatio positiva, non est profecto mera abstractio, sed realitas concreta et proprie dicta, est enim ens ipsum creatum in sua existentia physica. Atqui, terminus concretus, realis, physice existens, non substantia tantum determinabilis, sed substantia actualiter deter-

Dieu nous crée et nous conserve perpétuellement, mais avec nos facultés en acte; un être [illegible] pari; Dieu le fait exister, Dieu en créant une âme, crée une pensée en acte, et non pas la faculté de penser; Dieu a donc sa part dans tous nos actes. — Dieu ne peut pas créer une abstraction; il crée un être [illegible] ses facultés et concourt à tous nos actes. — Ceci suit comme un corollaire, le concours thomiste.

minata esse debet. Substantia enim mere determinabilis foret substantia *ut sic*, id est, a quibuslibet modis separata. Porro, substantia, eo modo spectata, nihil aliud est quam abstractio, quæ inter entia realia nequaquam invenitur.

Ergo, substantia, quam in entibus creatis indesinenter conservat Deus, est substantia determinata. Ergo, singulis hujusmodi entium actibus concursus divinus est necessarius.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Natura Concursus divini.

187. Difficultas solvenda proponitur. — Deum singulis creaturarum actibus positive cooperari, jam nobis constat. Hoc quidem, quoad entia inferiora, quæ scilicet libere non agunt, eorum creationis mysterio novam addere difficultatem non videtur.

De creaturis vero libertate præditis idem dici nequit.

Exigit enim libertas ut agens, qui illa fruitur, possit pro libito agere aut non agere. Atqui, posito quod Deus alicui actui positive concurrat, non facile concipitur quomodo potestas quam habet agens illum non ponendi, nullum exinde detrimentum patiatur. Posito enim concursu Dei, fieri non posse videtur ut illum actum agens non ponat.

Difficultas hæc adhuc gravior apparet, attenta peccandi libertate, quæ creaturis concedi posse concipitur. Si enim actus peccaminosi qui ab hujusmodi creaturis perpetrari possunt, concursui divino subtrahantur; Deus igitur omnibus actibus creaturarum non concurrit. Si econtra huic concursui subjiciantur; Deus igitur peccato cooperatur positive; quod cum summa illius sanctitate conciliari nequit.

Solutio igitur a nobis afferenda in eo consistere debet, ut determinetur modus quo Deus ita creaturarum liberarum actibus cooperetur, ut, ex una parte, verum illis concursum præbere dici possit, ex altera vero illarum libertatem non lædat, nec auctor peccati ipse efficiatur. Varia systemata ad hanc solutionem afferendam adinventa primum exponemus, eorumque expositioni brevem criticen postea subjungemus.

II° *Systemata exponuntur.*

188. Ordo sequendus in hac expositione. — Ad concursum Dei cum creaturis explicandum, in plurimas sententias abeunt auctores, nullaque forsan in tota Philosophia et Theologia invenitur quæstio, de qua tam vehementes agitatæ fuerint controversiæ. Harum controversiarum historiam nectere nostri non est instituti; sufficiat nobis brevem hic expositionem dare præcipuarum opinionum, quæ circa illud punctum proferuntur.

Ut in hac expositione aliquis servetur ordo, faciliorque singularum opinionum intelligentia reddatur, observandum est quadruplici præsertim ex parte concursum divinum controversiis locum præbuisse, nempe 1° ex parte illius principii, 2° ex parte modi quo in voluntatem influit, 3° ex parte illius determinationis ad actum, 4° ex parte ejusdem efficaciæ.

189. Systemata circa principium concursus divini. — Circa *primum*, quæritur undenam repetenda sit divini concursus origo, seu quomodo Deus ad illum præbendum determinari possit. Triplex circa illud profertur systema.

1° Sunt qui docent concursum Dei quemlibet actum voluntatis, in cujus auxilium venit, præcedere; ita concursum *prævium* propugnare dicuntur. Juxta illos, antequam voluntas ullo modo adhuc egerit, ideoque antequam concursum divinum mereri aut postulare potuerit, a Deo, per hunc concursum, determinatur ad talem vel talem actum. Ita omnes Thomistæ.

2° Alii rejecerunt concursum prævium, huicque *simultaneum* substituerunt. Sibi nempe effingunt concursum divinum tanquam auxilium quod Deus voluntati creatæ jugiter offert, quodque ideo illi præsens esse non desinit. Illud quidem auxilium in voluntatis determinationem nullatenus influit; sed statim ac illa determinatio existit, præsto est auxilium ad actum ad quem tendit perficiendum. Sic voluntas et concursus in se invicem proprie non influunt, sed separatim ad eumdem actum perficiendum agunt; voluntas sese determinando, concursus actum exsequendo. Exemplum illius concursus nobis suppeditant duæ vires parallelæ quæ ad idem onus sublevandum aut attrahendum incumbunt. Ita Molina, soc. Jes. theologus, in suo famoso opere: *De concordia gratiæ et liberi arbitrii*, etc...

3° Nonnulli tandem dixerunt concursum a Deo præberi consequenter ad voluntatis determinationem. Hæc igitur opinio cum

præcedenti admittit voluntatis determinationes a quolibet concursu immunes existere; ab eadem vero dissentit in eo quod rejiciat concursum perpetuo voluntati præsentem esse, ut hæc quocumque voluerit illum convertat. Voluntatis scilicet determinationes haberi debent tanquam precationes naturales quibus ad præbendum concursum impellitur Deus.

190. Systemata circa modum quo concursus divinus in voluntatem influit. — Si nunc expendatur modus quo concursus exercetur, plurima iterum occurrunt systemata quæ tamen ad duo reduci posse videntur, quorum unum *concursus physici*, alterum vero *concursus moralis* systema nuncupatur.

Igitur 1° concursus physici propugnatores existimant Deum ad actum voluntatis cooperari tanquam causam efficientem, ita ut tam illi quam voluntati tribui debeat physica entitas actus. Ad naturam autem illius concursus explicandam in triplicem abeunt sententiam. — Alii nempe dicunt hunc concursum nihil aliud esse quam decretum quo Deus vult creaturæ cooperari : terminus enim hujusce decreti est ipsamet cooperatio actui, seu partialis hujusmodi actus productio. — Alii vero dicunt concursum divinum, nec in decreto divino, nec in actu creaturæ consistere, sed in aliqua entitate vi decreti divini producta, cujus ope, quasi per instrumentum, Deus creaturas ad agendum determinat. Hanc entitatem vocant *præmotionem*. Concursum physicum in priori sensu intelligunt nonnulli Thomistæ. At multo major pars eorum posteriorem sensum admittit. — Alii demum concursum constituunt in aliquibus modalitatibus voluntatem afficientibus, et quibus ejus propensio in aliquod fertur objectum. Has autem modalitates alii reponunt in actibus indeliberatis voluntati advenientibus, ab ipsa autem nequaquam productis ; alii in actibus item indeliberatis ab anima absque libertate productis ; alii demum in modificationibus animæ mere passivis, in dolore scilicet aut delectatione.

2° Qui solum concursum moralem admittunt, omnem activam Dei cooperationem ad productionem actuum creaturarum rejiciunt. Deus, in hac opinione, non concurrit cum voluntatibus creatis, nisi ipsis præbendo motiva, quibus voluntas affecta, in actum propria virtute erumpit. Hæc autem motiva alii reponunt in impressionibus quas circumstantiæ exteriores producunt in animam; alii præterea requirunt specialem et mere internam intellectus illustrationem ; alii demum speciale hoc auxilium non pro intellectu solum sed et pro voluntate exigunt.

191. SYSTEMATA CIRCA DETERMINATIONEM DIVINI CONCURSUS. — Nova iterum existit controversia circa gradum determinationis divini concursus, ad varios actus ipsius ope elicitos.

Scilicet 1° juxta Thomistas, specialis est concursus divinus pro quibuslibet actionibus quæ faciendæ sunt, sicque in omnibus creaturarum actibus non semper idem est. Alio itaque modo concurrit Deus ad deambulandum, alio ad scribendum aut loquendum, etc...

2° Concursum autem cum hac determinatione rejicit Molina, eo quod ipsum, sic intellectum, ad illud consectarium deducere existimavit quod Deus foret auctor peccati. Hoc autem consectarium vitare nititur admittendo concursum vagum esse et indeterminatum, proindeque ipsum ad talem potiusquam ad talem actum ex natura sua non impellere. In hac igitur opinione, concursus nihil aliud est quam auxilium creaturis a Deo oblatum, ut illo ad quamlibet actionem sive honestam, sive turpem, utantur. Hoc illustrat Molina exemplo solis cujus calor ex se indifferens est ad hunc vel illum effectum producendum, ad procreandum, v. g., animal aut plantam.

192. SYSTEMATA CIRCA EFFICACIAM DIVINI CONCURSUS. — At præcipuum controversiæ punctum situm est in efficacia concursus. Omnes scilicet admittunt concursum esse efficacem, id est, infallibiliter effectum suum obtinere. At ubi agitur de eo determinando per quod hujusmodi efficacitatem obtinet valde scinduntur philosophi.

Nam 1° Thomistæ acriter propugnant concursum divinum efficacem esse *ab intrinseco* et independenter ab omni prævisione determinationis hunc subsequentis. Admittunt igitur illius efficaciam eamdem esse pro quibuslibet hominibus.

2° Concursum *ab intrinseco* efficacem totis viribus impugnant Molinistæ, illique substituere nituntur concursum efficacem *ab extrinseco*. Juxta illos itaque ideo efficax est concursus divinus, quia huic consensuram esse voluntatem creatam, cui applicatur, prævidit Deus. En igitur modus quo, in Moliniano systemate, Deus infallibiliter a voluntatibus creatis, effectus quos vult obtinere, reipsa obtinet. Scientiæ suæ ope, certo prænoscit quid sit eventurum, posito quod tali vel tali voluntati creatæ, tale vel tale auxilium conferat : scit v. g. quod si det voluntati A, cujus intima natura ipsi agnita est, auxilium B, hæc voluntas ad illud auxilium non obtemperabit ; quod si autem ipsi conferat auxilium C, hæc procul dubio obtemperabit. Hoc autem posito, decretum fert de

auxilio C voluntati A conferendo ; et sic, futuram illius determinationem certo prænoscit. — Illud systema cum aliqua modificatione nonnulli admittunt. Dicunt nempe concursum suam efficaciam desumere ex ipsius *congruitate* cum actu eliciendo. Hæc congruitas consistit in eo quod auxilium ita circumstantiis loci, temporis, personarum, etc.. sit attemperatum, ut, in his circumstantiis, ipsi resisti non ~~posse~~ Deus prævideat. Hæc autem opinio, quæ *congruismus* nuncupatur et Suaresio vulgo tribuitur, a mero Molinismo reipsa vix discrepare videtur. Alia iterum profertur systematis Molinistarum modificatio quæ P. Thomassinum auctorem habet. Hic reponit auxiliorum divinorum efficaciam in eorum multitudine. Quando, inquit, Deus ad aliquem actum voluntatem creatam vult inflectere, illi confert plurima auxilia ad eumdem effectum obtinendum tendentia, et quorum tanta est varietas, ut licet singulis resistere possit voluntas, adeo tamen premitur, ut certo tandem sit vincenda. Hoc autem systema, non secus ac præcedens, essentialiter nobis discrepare non videtur a systemate Molinæ.

III° *Systematum modo expositorum crisis instituitur.*

193. Systemata modo exposita ad duo reducuntur. — Ex præcedenti expositione, liquet omnia systemata, ad concursum quem Deus præstat creaturis liberis explicandum, excogitata, ad duo generaliora reduci posse. Ex una scilicet parte, stat schola Thomistica, quæ admittit concursum *prævium*, *physicum*, *specialem* et *ab intrinseco efficacem ;* ex altera, adsunt Molinistæ, qui strenue militant pro concursu *simultaneo* aut *subsequenti*, *morali*, *indeterminato*, et demum *suam efficaciam desumente ab extrinseco*, id est, *sive ex prævisione consensus*, *sive ex congruentia*, *sive ex multitudine auxiliorum*.

De utroque hoc systemate quid sentiamus breviter dicendum.

194. Systema Molinianum expenditur. — Systema Molinianum, quod libertati creaturarum magis favet, quodque ideo multis arridet, pluribus tamen impugnationibus ansam præbet. Huic enim objiciunt Thomistæ quod, dum libertatem humanam Deique sanctitatem servare conatur, concursus divini realitatem de facto destruat, sicque solvendam difficultatem intactam relinquat. Etenim

1° Admittunt Molinistæ, concursum divinum prævium non

esse, sed sive simultaneum, sive subsequentem. Atqui, exinde sequi videtur Deum ad actus creaturarum, proprie loquendo, non concurrere. — 1° Illud quidem manifestum est in opinione concursus subsequentis. Actus enim creaturarum, si illos ab effectibus externis abstrahamus, nihil aliud sunt quam determinationes earum facultatis activæ ad hoc aut aliud. Porro determinatio hæc, in sententia de qua agitur, concursui divino omnino subtrahitur, illiusque actioni subjacere non potest, nisi supponatur concursus prævius. Hinc videtur, in hac opinione, concursum reipsa non exerceri, nisi in effectus externos, quod ex probationibus antea datis omnino rejici debet. — 2° De sententia concursus simultanei idem dici debet. Nam, (præterquam quod ille concursus alius esse non potest quam concursus indeterminatus, quem admitti non debere infra ostendemus) in idem vitium incidere videtur quod concursui subsequenti modo exprobravimus. Etenim hoc concursu voluntas proprie loquendo non determinatur ad agendum ; itaque, ante ipsius actionem, admittendus est voluntatis actus, qui illi subtrahatur.

2° Admittunt etiam concursum non esse physicum, sed moralem, id est, in ipsammet voluntatis determinationem proprie non agere. Porro, hoc quoque videtur rejiciendum. Etenim probatio in præcedenti Articulo a nobis allata ad astruendam consursus necessitatem, exigit ut concursus divinus, non in motiva tantum, sed in ipsammet actus productionem influat.

3° Sub alio iterum respectu peccare videtur systema Molinistarum, in eo nempe quod eorum concursus non sit *specialis*, sed *vagus* per se et *indeterminatus*. Etenim, concursus divinus, sic intellectus, nihil aliud est quam merum instrumentum, aut, si ita loqui fas est, merus vectis quem ad suos actus perficiendos adhibet voluntas. Atqui, talis concursus prorsus insufficiens est. Nam 1° ex illius admissione sequeretur Deum ad omnes voluntatis creatæ actus non concurrere ; ut enim concursu indeterminato voluntas utatur, necesse est ut jam aliquem actum produxerit. 2° Concursus divinus talis naturæ esse debet ut, illius ope, ratio reddi possit cur ad hunc potius quam ad alium actum voluntas sese determinet. Atqui de consursu indeterminato illud dici nequit. Hic enim non magis ad unum actum quam ad alium tendit, nec proinde voluntatis creatæ determinationem ad hunc aut ad illum explicare potest.

4° Præcipuum discrimen, quod systema Molinianum a systemate opposito distinguit, se tenet ex utriusque doctrina circa

naturam efficaciæ quæ concursui, ex omnium confesso, competere debet. Porro, hac etiam ex parte, admitti non posse videtur Molinæ concursus. Nam, juxta illius propugnatores, efficax non est a sua natura, sed tantum quia voluntas ei reipsa consentit. Atqui, hæc doctrina cum notione concursus universalis stare nequit. Si enim, prout ostendimus, ad quaslibet determinationes eliciendas, divinus concursus, et quidem prævius, sit necessarius, nulla igitur hujusmodi determinatio concipi potest, nisi in hypothesi quod Deus suam illi cooperationem præbuerit, proindeque decretum tulerit de cooperatione præbenda.

Hoc autem admisso, efficacia ex prævisione cooperationis desumpta omnino repugnat. Si enim Deo ad cognoscendam sui concursus efficaciam, satis non est ut illius naturam attendat, sed requiratur insuper, ut cooperationem creaturæ huic concursui prævideat; ergo, absolute possibile est ut creata voluntas concursui non obtemperet. Posito autem quod illud sit possibile, jam non repugnat in voluntate creata determinationem existere quæ sit a concursu divino prorsus independens. Hoc autem necessitati concursus, quam supra demonstravimus, opponitur.

195. Systema Thomisticum expenditur. — Systema Thomisticum iisdem ac Molinianum difficultatibus non subjacet. Illo scilicet admisso, in tuto ponitur divini concursus integritas, quam Moliniana hypothesis lædere videtur. Sub altero autem respectu consideratum, acriter impugnatur a Molinistis, quorum argumentatio sic fere se habet.

Hoc circa concursus divini naturam systema rejici debet, quo posito, nec creaturæ liberæ esse possent, nec Deus a peccato foret immunis. Atqui, tale est systema Thomisticum. — Hoc quidem admisso, creaturæ in agendo liberæ esse non possunt. Ubi enim datur concursus *physicus* et *efficax ab intrinseco*, ibi agenti creato non remanet potestas agendi aut non agendi, ibi proinde nullus superest libertati locus. — Eidem systemati, merito exprobrari potest quod faciat Deum auctorem peccati. Si enim, prout volunt Thomistæ, Deus singulis creaturarum actibus, etiam peccaminosis, cooperetur, per concursum *prævium* et *specialem*; ergo peccata velle, imo et creaturas ad peccandum inducere dicendus est.

Utramque hanc impugnationem Thomistæ repellere nituntur. Responsionum ab ipsis allegatarum summa hæc esse videtur.

1° Quod spectat ad libertatem humanam, ut intelligatur quomodo salva esse possit, etiam admissa necessitate concursus Thomistici,

advertendum est hunc concursum in eo sensu intelligendum non esse, quod Deus independenter a nostra voluntate actus nostros perficiat, sed in eo sensu quod nos constituat talem vel talem actum per nostram voluntatem agentes. Igitur, Deus proprie loquendo, non facit actus nostros, qui tunc *nostri* prorsus immerito dicerentur, sed tantum nos facit, si ita loqui fas est, *illos actus facientes*. Hoc posito, ut in hypothesi concursus thomistici, libertas salva concipiatur, sufficit repugnantiam non adesse in eo quod Deus creet aliquam voluntatem aliquid libere agentem. Atqui, nulla in hoc repugnantia reipsa invenitur.

Etenim, ad actum liberum constituendum, duo requiruntur : 1° ut agenti essentiale non sit illum producere, proindeque ut illius positio vel omissio sit in hoc agente æque possibilis : 2° ut ab ejusdem agentis activitate pure proveniat, id est, ut agens, in illius productione, sit a quibuslibet influxibus passivis omnino expeditus, sed cum plena spontaneitate et electione agat (Cf. *Psych.*, n. 273 et seqq.). Porro, duæ illæ conditiones, non obstante concursu thomistico, in actibus nostris inveniri possunt. — *Prior quidem*. Etsi enim Deus nobis in agendo physice et efficaciter cooperetur, minime sequitur actus a nobis elicitos nobis esse omnino essentiales, ut patet. — *Posterior quoque*. Etenim, concursus Dei intelligi non debet de influxu quodam externo quo in activitatem nostram, in suo esse constitutam, Deus ageret, ut variis impressionibus, sive per intellectum, sive per sensibilitatem illam afficeret. Concursus, qualem intelligunt saltem plures Thomistæ, est aliquid intimius nobis qualibet impressione passiva. Scilicet non differt ab operatione qua Deus vim activam, qua constituimur, varios actus producentem indesinenter creat. Illius igitur objectum directum non est actus ipse, sed potius activitas ipsa eliciens actum. Unde, licet hunc concursum Deus exerceat in actus nostros, nil tamen obstat quin ab activitate nostra pure procedant.

[Marginal handwritten notes: "pas imposé par un agent externe" ; "nous aurons un acte qui ne vient pas de l'extérieur ni de ma nature, il ne peut venir que de moi"]

Et vero, facultas agendi creaturarum in duplici statu spectari potest, scilicet *in actu primo* et *in actu secundo* : prior est nuda potentia nondum ad actum reducta ; posterior est ipsemet actus ad quem potentia sese determinat. Facultati in hoc duplici statu spectatæ libertas competere potest, sed non eodem modo. Ipsi *in actu primo* spectatæ in eo sensu libertas competit, quod ad actum ponendum perfecte sit indifferens, ita ut ad unum potiusquam ad alium nullatenus adhuc determinetur. Libera dici potest eadem facultas in *actu secundo*, in eo sensu quod, licet deter-

minata ad talem actum, ad oppositum tamen servat potestatem, nunquam quidem ad actum reducendam (obstat enim determinatio quæ jam existere supponitur), veram nihilominus et expeditam. Porro, exinde facile constat præmotionem thomisticam libertatem nequaquam lædere. — Non quidem illam lædit in *actu primo*, cum ipsam nullatenus afficiat. — Non etiam in *actu secundo*. Ut enim in *actu secundo* libertatem læderet, requireretur potestatem ad oppositum per ipsam tolli. Atqui, præmotio thomistica potestatem ad oppositum non tollit. Hæc enim consistit in determinatione efficaci voluntatis ad aliquid, ac proinde nihil aliud in hac efficit quam ipsius indifferentiam ad hunc vel illum actum destruere. Porro determinatio voluntatis ipsiusque indifferentiæ cessatio, cum potestate expedita agendi oppositum perfecte stare possunt, ut omnes fateri coguntur, et quotidiana constat experientia. Ergo, nulla est repugnantia in eo quod Deus creet voluntatem libere agentem, proindeque concursum divinum, etiam in sensu thomistarum, cum libertate humana stare non posse, ostendi nequit.

2° Sanctitatem divinam per hujusmodi concursum lædi non magis Thomistis exprobrari potest. Triplici enim ex parte concursus, quem omnibus actibus etiam peccaminosis Deus præbet, ipsius sanctitatem lædere dici posset : quatenus nempe 1° posito illo concursu, Deus peccatum ipse faceret ; quatenus 2° saltem illi faciendo positive cooperaretur ; quatenus 3° saltem erga illud indifferens remaneret, dum ipsi aut virtutis actibus eodem modo concurreret.

Atqui, sub nullo ex his respectibus, concursus Dei actibus peccaminosis, ipsius sanctitatem lædere ostendi potest.

Non quidem sub primo. — Ille enim tantum facere peccatum dici debet, cujus voluntas peccato terminatur. Hoc autem in Deo non evenit etiam quando actibus peccaminosis creaturarum concurrit. Quod enim tunc terminat suam voluntatem non est, uti ex dictis constat, ipsemet actus peccaminosus, sed voluntas creata hunc actum libere eliciens. Atqui, voluntas creata actum peccaminosum libere eliciens non est peccatum. Voluntas enim creata, etiam tali modo determinata, est aliquid entis, proindeque aliquid in se boni ; dum peccatum, utpote quid malum, in mera negatione consistere debet. Igitur, in voluntate ad peccatum libere determinata duo distinguenda sunt : 1° entitas hujus voluntatis sic determinatæ quæ est in se bona ; 2° determinatio libera hujus voluntatis, quæ, utpote debita perfectione carens,

Dieu crée une volonté qui pèche par là même il ne produit pas le péché.

quand Dieu crée une substance il crée donc un agent - s'il est intelligent - il agira avec intelligence et pourra choisir entre 2 voies —

peccatum constituit. Porro, ex his duobus, prior quidem Dei operationem terminat et ab ipso efficitur; posterior vero soli voluntati creatæ imputari debet, cum ab ipsa libere procedat. Ergo, sub primo respectu, id est, quatenus Deus peccatum faceret, concursus non lædit divinam sanctitatem.

Nec etiam sub secundo. — Etenim duplex esse potest cooperatio ad peccatum : una nempe, quæ versatur circa ipsummet *formale* peccati, seu circa illud quod actum in *esse peccati* proprie constituit; altera, quæ versatur tantum circa *materiale* peccati, seu circa illud quod actus peccaminosi quasi corpus et positivum efficit. Ex his duabus cooperationibus, prior quidem essentialiter mala est; at in concursu divino nullatenus invenitur, eo quod formale peccati utpote unice consistens in negativo, in defectu nempe perfectionis debitæ, potest quidem afficere determinationem voluntatis quæ peccat, cooperationis autem positivæ ex parte alterius voluntatis objectum esse nequit. Quoad posteriorem cooperationis speciem, in concursu quidem invenitur; nihil autem includit quod sanctitati divinæ sit oppositum. Hæc enim cooperatio cum terminetur ad objectum in se bonum, essentialiter mala dici non potest. Deformitatem igitur moralem includere nequit, nisi propter circumstantias peculiares, ut puta, affectum ad peccatum, qui illam produceret, aut legem specialem illam non præstandi, etc... Atqui, talem circumstantiam Dei concursum peccaminosum reddere nil probat. Et vero, omnes concedere debent Deum saltem posse actibus malis cooperari per potestatem quam creaturis confert illos perpetrandi. Porro, si talis cooperatio Dei sanctitatem non lædit, hanc magis lædere nequit cooperatio quam ipsimet actui peccaminoso Deus præbet ipsi concurrendo.

Ergo, sub secundo respectu, id est quatenus Deus actibus peccaminosis cooperatur, concursus divinus Dei sanctitatem lædere ostendi nequit.

Nec demum sub tertio. — Etsi enim, relative ad concursum proprie dictum, Deus eodem modo se gerat erga actus creaturarum bonos et malos, non ideo his et illis indifferens dici potest. Deus enim sufficienter manifestat ipsius amorem erga virtutem ipsiusque odium erga peccatum, per suam erga utrumque rationem agendi. Dum enim, ex una parte, a peccato, quantum in illo est, creaturas deterret, tum prohibitionibus, tum comminationibus; ex altera parte, ad virtutem colendam potenter excitat et adjuvat, non solum illam præcipiendo et remunerando, sed

etiam auxilia specialia præstando, quibus ad illam sequendam creaturæ liberæ efficacius impelluntur.

Ergo, sub quocumque respectu spectetur concursus divinus, ipsum cum summa sanctitate quam in Deo agnoscimus stare non posse, nullatenus ostenditur.

196. Conclusio. — Si in tam ardua quæstione mentem nostram aperire nobis liceret, hæc statueremus.

1° Propter rationes supra allatas, sufficiens non videtur concursus *subsequens* aut *simultaneus*, *moralis*, *indeterminatus* et *efficax ab extrinseco*. Ex altera parte ostendi non potest concursum *prævium*, *physicum*, *determinatum*, *efficacem ab intrinseco*, aliquam repugnantiam includere. In hac igitur controversia pro S. Thomæ discipulis libentius staremus.

2° Quod spectat ad modum juxta quem præmotio thomistica explicari debet, nihil aliud nobis esse videtur quam ipsemet actus creationis quo nempe Deus indesinenter producit quidquid in creaturis invenitur positivi, id est, non solum earum substantiam, sed et earum actus. Ideo, hypothesim entitatis enti creato superadditæ, cujus ope, Deus, juxta plures, ens illud ad agendum præmoveret, rejicimus.

3° Hinc videtur mysterium, quod in concursu Dei cum libertate creaturarum conciliando invenitur, a mysterio creationis non discrepare. Hoc quidem mysterium ab hypothesi thomistica non tollitur. In eo autem hæc hypothesis Molinismo præstare videtur, quod 1° melius exponit difficultatem solvendam, quatenus nempe, nec libertatem humanam destruit ad statuendum concursum, nec concursum tollit ad libertatem salvandam; quod 2° etsi non ostendat quomodo hæc duo inter se concilientur, sufficienter tamen demonstrat nullam essentialem oppositionem inter ipsa inveniri.

SECTIO SECUNDA.

DE OPERATIONE DEI SUBJECTIVE SPECTATA.

197. **Hujus sectionis objectum.** — In hac Sectione examinandum venit quomodo Deus ad aliquid producendum ad extra sese determinet, seu, aliis verbis, quomodo relative ad

Comment Dieu est-il affecté quand il crée, conserve les créatures et concourt à tous leurs actes

terminum quem externe producit, interne, ut ita dicam, afficiatur.

Porro, quemadmodum Deus ab intra constituitur per actum intellectus et amoris cujus est simul subjectum et terminus objectivus; ita operatio externa Dei, quatenus subjectiva est, in determinatione quadam ipsius intellectus et amoris, relative ad aliquem terminum producendum, consistere debet.

Quidquid igitur de operatione divina, sub hoc respectu considerata, dicendum habemus, duobus in Capitibus complectemur, in quorum priori, *de Intellectu divino relative ad res creatas*, in quorum vero posteriori, *de Voluntate divina relative item ad res creatas*, tractabimus.

CAPUT PRIMUM.

De Intellectu divino relative ad res creatas, seu de Scientia Dei ad extra.

198. Divisio capitis. — Tria nobis erunt examinanda: 1° utrum, per suum intellectum, res externas Deus apprehendat, 2° in quonam medio illas apprehendat, 3° quomodo demum hæc rerum creatarum ab intellectu divino apprehensio cum creaturarum libertate conciliari possit.

ARTICULUS PRIMUS.

De Existentia scientiæ Dei ad extra.

199. Scientiæ divinæ objecta enumerantur. — Res externæ, quæ scientiæ divinæ objectum esse possunt, ad triplicem classem referuntur. — In prima reponuntur res mere ***possibiles***, sive fuerint creatæ, sive in statu meræ *creabilitatis* remanserint. — In secunda classe reponunt auctores res *condi-*

tionatas, id est, quæ quidem nec fuerunt, nec sunt, nec erunt; sed quæ, posita aliqua conditione, fuissent, essent, aut futuræ forent: talis est v. g. veritas istius sermonis ad civitatem quamdam gratiæ rebellem a Christo directi: *Si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ fuerunt in te, in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.* Hæc iterum conditionata duplicis sunt generis prout, conditione posita, libere aut necessario sunt secutura. — In tertia demum classe reponendæ veniunt res *existentes* sive in præterito, sive in præsenti, sive in futuro; sive iterum liberæ sint, sive necessariæ.

200. Doctrinæ exponuntur. — Nunc vero, Deum possibilia quæcumque cognoscere, nullus unquam negavit.

Quoad res conditionatas, veteres quidam theologi, e Thomistarum schola, scientiam Dei relative ad illas denegasse a nonnullis accusantur: ipsi tamen ab hoc errore a cæteris ejusdem scholæ philosophis absolvuntur.

Quod vero spectat ad tertiam classem veritatum, utrum et quousque ad illas sese extendat scientia divina, non omnino concordant auctores.

1° Sunt nempe qui, sub hoc respectu, scientiam quamcumque Deo denegant. In primis citari merentur: — 1° Plures philosophi qui, ne scientia Dei, relative ad res existentes, immutabilitati divinæ noceret, illam Deo abjudicarunt; ita inter alios Aristotelem sensisse a quibusdam auctoribus perhibetur. — 2° Citari possunt etiam increduli recentiores, *deistæ* nuncupati, qui, ut se à judiciorum divinorum formidine tutarentur, scientiam eorum, quæ apud nos geruntur, Deum non habere contenderunt. — 3° Tandem in eumdem errorem inciderunt pantheistæ perplures, juxta quos Deus est vis cæca, quæ intellectu non donatur, nisi in entibus individualibus, ut v. g. in hominibus.

2° Ab his omnibus dissentit sanior pars philosophorum, eorum etiam qui a fide christiana alieni existunt. Unanimes autem in aliqua rerum externarum scientia Deo concedenda;

circa istius scientiæ extensionem a se invicem iterum dissentiunt. Dum enim plerique agnoscunt Dei scientiam ad omnia quæ existunt sese extendere, cujuscumque sint naturæ; alii ab ejus dominio excludunt res futuras, quarum existentia pendet a voluntate libera entium creatorum. Ratio hujus limitationis est ipsamet libertas creaturarum quam, cum præscientia actuum quos productura est, stare non posse existimant. Hunc errorem circa præscientiam Dei propugnaverunt : apud veteres, M. T. Cicero : apud recentiores, nonnulli e schola eclectica philosophi.

201. Thesis prima. — *Omnia possibilia per suam scientiam Deus apprehendit.*

Prob. — Possibilitas rerum (*Ont. gen.*, n. 127) duobus constituitur : illarum nempe archetypo in essentia divina contento, et actuabilitate illius archetypi per potestatem creatricem Deo essentialem. Atqui, hæc duo Deus necessario cognoscit; eorum enim cognitio a cognitione quam de seipso habet reipsa non differt. Ergo...

202. Scholium. — Hæc thesis, licet certissima et ab omnibus admissa, cuidam tamen controversiæ inter auctores originem præbuit. Quæstio versatur circa numerum possibilium quæ scientia Dei attingit, an nempe infinitus sit, vel finitus.

1° Quidam posterius admittunt et dicunt possibilium numerum reipsa finitum esse : per se enim numerus aliquid finitum essentialiter dicit. — Illud autem propugnari non posse videtur; quantuscumque enim supponatur possibilium numerus, alia iterum possibilia sine fine concipi poterunt.

2° Alii igitur verius propugnant possibilia, quæ sunt objectum scientiæ divinæ, finita numero non esse : inde autem non sequitur illorum numerum esse infinitum ; infinitas enim et numerus inter se repugnant. Sed inter hæc duo medium datur. Nempe, possibilia, antequam ad extra producantur, numerum non constituunt; tunc enim non distinguuntur ab essentia Dei, nec possunt numerari, quin essentia hæc numerum constituat.

In eo igitur sensu possibilia infinita Deus videt, quod cognoscat suam essentiam talis esse naturæ, ut numerum quemcumque creaturarum superet; quemadmodum æternitas divina, licet simplicissima, nullisque instantibus conflata, coexistere tamen potest omnibus temporibus, proindeque illa eminenter includit.

203. Thesis secunda. — *Quælibet futura conditionata Deus cognoscit.*

Prob. — Hæc scientia procul dubio Deo ascribi debet sine qua, præsentem rerum ordinem instituendo, illumque aliis ordinibus possibilibus anteponendo, modo prorsus cæco et inintelligenti sese determinasset. Principium istud evidens est: cum enim activitas causæ primæ nonnisi ab ipsius intellectu ad actum determinari possit, si ordinis præsentis ab aliis discrimina Deus non cognovisset, ad hunc eligendum sese nunquam determinare potuisset. Nunc autem non minus manifestum est Deum cognitionem hanc habere non potuisse, nisi futura conditionata cujuscumque naturæ cognoverit: cognitio enim talis vel talis ordinis in Deo, nihil aliud esse potest quam cognitio eventuum secuturorum, posita tali vel tali causa; hoc autem præcise est illud quod conditionatorum futurorum scientia nuncupatur.

204. Thesis tertia. — *Omnia facta existentialia, præterita nempe, præsentia et futura, sive libera, sive necessaria, scientia divina comprehendit.*

Prob. — Duo nobis ad thesim demonstrandam probanda veniunt: 1° Deum quælibet facta existentialia, dum eveniunt, perfecte cognoscere, 2° Deum hujusmodi facta, dum eveniunt, cognoscere non posse, quin illa vel postquam evenerunt, vel antequam eveniant apprime cognoscat. Atqui, hæc duo constant.

Probatur prima pars, nempe : *Deum quælibet facta existentialia, dum eveniunt, perfecte cognoscere.* — Etenim, ex probatis supra, nihil prorsus evenire potest quod a Deo vel

tanquam causa creatrice, vel tanquam causa concurrente, non pendeat. Atqui, quidquid a Deo sub alterutro ex his respectibus pendet, ab eo profecto cognitum esse debet. Rationem hujus veritatis jam attulimus in thesi præcedenti. Deus nempe, utpote causa prima, ad nihil efficiendum nisi per intellectum determinari valet.

Probatur secunda pars, nempe : *Deum hujusmodi facta, dum eveniunt, cognoscere non posse, quin illa, vel postquam evenerunt, vel antequam eveniant, apprime cognoscat.* — Si enim aliter esset, cognitio factorum, de quibus agitur, nonnisi successive Deo adveniret, sicque in illo prius et posterius invenirentur. Atqui, ex supra probatis, prius et posterius nonnisi in rebus creatis existunt, a Deo autem prorsus exsulant. Deus igitur semper cognoscit quidquid unquam cogniturus est. Ergo, ex eo quod cognovit, vel cognoscet, omnia facta existentialia, concludere debemus illum semper eadem cognoscere.

Scholium.

205. Scientiæ divinæ species. — Diversitas objectorum, quæ Deus cognoscit, locum præbuit theologis plures species scientiarum in eo distinguendi. De hac divisione scientiæ divinæ, quæ magnam olim in scholis celebritatem obtinuit, pauca hic notare non erit inutile. Duplex primitus apud philosophos et theologos distinguebatur scientia in Deo, nempe scientia *simplicis intelligentiæ* et scientia *visionis*. Prior versatur circa possibilitatem rerum, eaque omnia quæ essentiis innituntur. Posterior versatur circa facta quæ, sive olim exstiterunt, sive nunc existunt, sive in futuro exstitura sunt.

Hanc autem scientiæ Dei divisionem adæquatam non esse plurimi propugnant, præsertim e *molinistarum* schola. Hi nempe contendunt inter scientiâm *simplicis intelligentiæ* et scientiam *visionis*, aliam agnoscendam esse, quam ideo *scien-*

tiam mediam vocant, et cujus objectum sunt futura conditionata. Hæc enim futura, inquiunt, non pertinent ad scientiam *simplicis intelligentiæ;* siquidem, nec meram possibilitatem, nec necessitatem exprimunt. Non magis scientia *visionis* apprehendi possunt; nunquam enim, ut supponitur, eventura sunt.

Hoc autem non obstante, veterem scientiæ Dei divisionem multi retinent, hæcque in primis acriter propugnatur a schola thomistica, quæ *scientiam mediam* ad scientiam *simplicis intelligentiæ* referendam esse putat. Cum autem explicatio, circa illud punctum a thomistis allata, intelligi non possit, nisi cognoscatur eorum systema, de quo in sequenti Articulo; illius expositionem huc remittimus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De medio in quo Scientia Dei exercetur.

206. Medium scientiæ divinæ definitur. — Quæstiones expendendæ. — Medium, in quo scientia Dei exercetur, est *illud per quod res variæ, quæ hujus scientiæ objectum constituunt, a Deo cognoscuntur.*

Duplici enim modo, res aliqua cognosci potest, in seipsa scilicet, vel in alia. In seipsa cognoscitur quando intellectui immediate applicatur, sicque illius perceptionem objective terminat. In alia vero cognoscitur, quando ipsa intellectui non applicatur, sed ab illo apprehenditur, quasi mediante, ut ita dicam, aliquo speculo. Hæc alia res illud constituit quod *medium cognitionis* nuncupant.

In hoc igitur Articulo, inquirendum venit : 1° utrum varia objecta quæ Deus cognoscit per suam scientiam, ipsius intellectum proprie terminent, an non ; 2° in hoc posteriori casu, in quonam medio illa objecta apprehendat.

Quoad rerum essentiam et possibilitatem, nulla difficultas esse potest ; variæ enim auctorum opiniones circa medium in quo Deus illas pervidet, vix inter se differre videntur, nisi quoad verba.

Relative autem ad alias res quæ sunt objecta scientiæ divinæ, duæ celebriores sententiæ auctores dividunt.

207. Opinio Thomistarum. — Prima, in ordine temporum, est illa quam Thomistæ propugnant, et quam in scriptis D. Thomæ contentam autumant. Sic se habet.

Deus nihil quod a seipso distinguatur cognoscere potest, nisi in aliquo medio. Hoc medium est decretum quo eventuum, etiam liberorum, existentiam prædeterminat. Relative ad futura quæ nonnisi a divina voluntate pendent, hoc decretum est ipsamet voluntas Dei hæc futura in illorum *esse* constituentis: sic, v. g., Deus, ante creationem mundi, hanc cognovit in voluntate sua mundum e nihilo extrahendi. Relative ad futura absoluta, quæ a creaturarum voluntate libera pendent, hoc decretum consistit in voluntate concedendi agenti libero auxilium quod, per se, et ante prævisam agentis determinationem, infallibilem cum hac determinatione connexionem habet. Auxilium illud *præmotionem physicam* appellant, et illud sedulo distinguunt ab altero auxilio quo voluntas constituitur in potentia expedita agendi aut non agendi, ita ut tamen nunquam certissime actura sit, nisi per *præmotionem physicam* applicetur ad actum. Quomodo Deus in hac opinione excusetur a peccato, quomodo etiam, non obstante præmotione thomistica, agens creatum suam libertatem servare possit, jam diximus, ubi de Concursu.

Hujus systematis ope, facile a Thomistis explicatur quomodo Deus scientiam habeat futurorum liberorum, tum absolutorum, tum conditionatorum.

Scilicet 1° futura absoluta pervidet in decreto absoluto tali agenti concedendi auxilium per se efficax.

2° Futura conditionata libera iterum distinguunt in duplicem classem : prior ea complectit in quibus eventus, licet liber, infallibilem tamen connexionem habet cum conditione ; v. g., *si detur Petro præmotio physica efficax ut bene agat, bene aget* : posterior complectit conditionata in quibus ea infallibilis connexio non invenitur; v. g., *si Tyrii et Sidonii vidissent miracula Christi, pœnitentiam egissent*. Porro, conditionatorum prioris classis Deus cognitionem habet in decreto possibili, quo poneretur conditio ; conditionatorum vero posterioris classis Deus cognitionem habet in decreto auxilium efficax concedendi ad agendum, posito quod adsit conditio ; v. g., *si Tyrii et Sidonii videant miracula Christi, volo ut habeant auxilium efficax ad agendam pœnitentiam*. — Exinde concipitur cur Thomistæ rejiciant,

circa futura conditionata, *scientiam mediam* quam Molinistæ propugnant. Juxta illos nempe, horum futurorum cognitio ad scientiam *simplicis intelligentiæ* reipsa debet referri.

208. Opinio Molinistarum. — Altera sententia præcedenti opposita auctorem habuit Molinam, societatis Jesu theologum. Hic decreta thomistica eorumque physicam præmotionem rejiciens, alterum admittit modum concursum Dei cum creaturis explicandi, quem supra exposuimus. Circa medium quo Deus futura cognoscit, hæc habet.

1° Antequam Deus mundum crearet, scientia *simplicis intelligentiæ* cognovit omnes mundos possibiles, quos e nihilo posset educere, itemque varias combinationes causarum et eventuum quæ in unoquoque eorum poterant evenire.

2° Per scientiam mediam, seu conditionatorum, cognovit omnes eventus subsecuturos in variis hypothesibus possibilibus. Sic, v. g., vidit quod si tali homini tale conferret auxilium ad bene agendum, hic homo auxilio dato abuteretur, dum alter homo, eodem auxilio præventus, huic ad bene agendum cooperaretur.

3° His omnibus cognitis, præsentem mundum creandi decretum posuit, et, in hoc mundo, talem vel talem conditionem ponendi, v. g., Petro concedendi auxilium cum quo, ipsum bene acturum esse per scientiam mediam cognovit.

4° Hinc videtur totam difficultatem hujus systematis, relative ad præsentem quæstionem, in eo consistere, ut explicetur quonam in medio scientia conditionatorum seu *media* exerceatur, id est, quomodo Deus cognoscere possit talem hominem tali auxilio abusurum, aut eo bene usurum esse. Hoc enim semel determinato, facile determinare poterunt Molinistæ in quonam medio futura absoluta, cujuscumque generis, Deus pervideat; ea scilicet cognoscet in decreto quo vult agentibus liberis concedere auxilia, non in se et ex natura sua, ut in sententia Thomistarum, sed ex prævisione abusus aut usus legitimi, efficacitatem habitura. Porro, in natura hujusce medii determinanda, multum abest quin inter se concordent. Alii enim, ut Molina, illud reponunt in *supercomprehensione* causarum secundarum, soli Deo propria, et quæ in eo consistit quod Deus voluntates a se creandas ita perfecte et intime cognoscat, ut sciat certissime ad quid cum tali auxilio sese determinaturæ sint. Alii, cum Suaresio, dicunt Deum hujusmodi facta videre in seipsis, seu in earum veritate objectiva. Alii existimant Deum cognitionem hanc habere posse, suarum ope idearum, quæ non solum repræsentant omnium actionum liberarum possibilita-

tem, sed etiam exprimunt circumstantias in quibus perficiendæ sint. Alii demum se id nescire ingenue fatentur.

Nonnulli, Molinæ systema admittentes, huic quasdam apposuerunt restrictiones aut potius explicationes, de quibus utpote præsenti quæstioni nihil aut parum conferentibus, hic silebimus. Systema *scientiæ mediæ*, sic reformatum, *congruismus* nuncupatur.

Multæ aliæ circa idem punctum prodierunt opiniones, quarum pleræque ad unam aut alteram ex duabus sententiis modo expositis referri possunt. Has quoque, quoad nunc, brevitatis causa omittimus. — Igitur, fusæ huic expositioni finem imponentes, ad quæstionis solutionem devenimus.

209. Thesis prima. — *Internam rerum possibilitatem, seu essentias, in sua intelligentia; earum vero possibilitatem externam, seu actuabilitatem, in sua potentia, Deus cognoscit.*

Prob. prima pars. — Jam probavimus rerum essentias, seu illarum possibilitatem internam ab intelligentia ideisque divinis reapse non discrepare; Deus igitur seipsum cognoscendo possibilia pariter cognoscit, nec alio indiget medio, ad illorum notitiam habendam.

Prob. secunda pars. — Possibilitas externa cum nihil aliud sit quam ipsamet possibilitas interna, quatenus actuabilis per causam sufficientem, nullatenus cognosci potest nisi per hujusmodi causæ cognitionem; atqui, causa universalis per quam possibilia actuari, seu ad existentiam reduci possunt, est omnipotentia divina; ergo, nonnisi in suæ omnipotentiæ cognitione, Deus possibilitatem rerum externam apprehendere potest.

210. Thesis secunda. — *Res existentes, cujuscumque sint generis, Deus cognoscit in decreto quo, vel earum productionem, vel concursum efficacem, ut produci possint, decernit; id est, in suo actu, quatenus est subjectum operationis, vi cujus res illæ existunt.*

Prob. — Thesis nostra profecto erit probata, modo tria sequentia possimus demonstrare: 1° modum cognoscendi res existentes, in hac thesi enuntiatum, scientiam perfectissimam hujusmodi rerum constituere; 2° hunc modum cognoscendi Deo competere; 3° nullum alium modum in ipso possibilem existere.

Atqui, hæc tria constant.

Probatur prima pars, nempe: *modum cognoscendi res existentes, in thesi enuntiatum, scientiam perfectissimam illarum rerum constituere.* — Quod quidem in actu divino, quatenus subjectum est operationis, qua res existentes ad existentiam

perducuntur, haberi possit scientia hujusmodi rerum, facile constat. Actus enim divinus, sic consideratus, est causa prima vi cujus res illæ ponuntur. In illo igitur invenitur ratio ultima existentiæ rerum de quibus agitur. Atqui, cognita ratione ultima existentiæ alicujus rei, eo ipso existentia illius rei utique cognoscitur. — Addo autem modum hunc existentiam cognoscendi perfectissimam existentiæ illius scientiam constituere. Etenim, omnium modorum rem aliquam cognoscendi, ille sane perfectissimus dici debet, qui ad illud, quod in ea primarium existit, dirigitur. Porro, nihil profecto in re qualibet magis primarium existit quam illud quod ipsius existendi rationem ultimam continet. Ergo...

Probatur secunda pars, nempe : *hunc modum res existentes cognoscendi Deo competere.* — Etenim, Deus, uti jam diximus, res existentes producit aut illis agendis cooperatur, tanquam causa intelligens. Atqui, causa intelligens sese causantem necessario cognoscit, ac proinde effectus a se producti in seipsa cognitionem habet.

Probatur tertia pars, nempe : *nullum alium modum cognoscendi in Deo admitti posse.* — Etenim, præter cognitionem rerum existentialium in seipso tanquam causa, alius Deo non suppetit modus res illas cognoscendi, quam ipsamet earum existentiæ objectiva apprehensio. Atqui, hic posterior cognoscendi modus rejiciendus videtur, eo quod *primo* quidem inutilis foret, *secundo* entis divini perfectionem læderet. — *Inutilis foret :* non potest enim Deus res existentes in facto earum existentiæ apprehendere, quin illas ut a seipso productas primario apprehendat; posita autem hac apprehensione, cognitioni quam Deo confert posterior apprehensio nil addere potest ; ideoque est inutilis. — *Læderet quoque entis divini perfectionem :* tunc enim foret in Deo actus cognitionis qui ad objectum a Deo distinctum proprie terminaretur, qui proinde ab exterioritate penderet, quatenus ab ea suam perfectionem desumeret. Hoc autem independentiam actus divini destrueret. Ergo, præter modum res existentiales cognoscendi in seipso tanquam causa, sive creatrice, sive concurrente, nullus alius res illas cognoscendi modus in Deo admitti potest.

211. Thesis tertia. — *Res conditionatas Deus cognoscit in seipso, tanquam illarum causa hypothetica, id est, quatenus vellet illas producere aut illis concurrere, si talis vel talis poneretur conditio.*

Prob. — Hæc thesis ex præcedenti ultro profluit. Si enim

Deus res absolute existentes cognoscere non possit, nisi in seipso, tanquam in earum causa absoluta, evidens est earumdem rerum existentiam conditionatam nonnisi in seipso, tanquam earum causa conditionata, Deum cognoscere posse. Ergo, etc...

212. Corollarium. — Hinc patet scientiam *mediam* Molinistarum rejiciendam esse, nec nisi duplicem scientiam, *simplicis* nempe *intelligentiæ* et *visionis*, in Deo admitti posse. Hæc enim scientiæ species Deo tribui non potest quæ 1° inutilis est, quæ 2° repugnantiam involvit. Atqui, talis est *scientia media*. — 1° *Est quidem inutilis :* hac enim rejecta, explicari potest cognitio quam Deus habet de quibuslibet objectis, uti ex modo dictis satis constat, — 2° *Repugnantiam involvit :* hæc enim scientia supponit res tali vel tali modo se habere, independenter a concursu quem Deus singulis creaturis præbere debet. Atqui, illud impossibile videtur, uti ostendimus ubi de Concursu.

ARTICULUS TERTIUS.

De Conciliatione scientiæ divinæ cum humana libertate.

213. Quæstio solvenda exponitur. — Cum scientiæ divinæ impugnatores, ex impossibilitate futura libera cognoscendi adversus illam præcipue arguant, ad hanc difficultatem solvendam, divinamque scientiam cum libertate humana conciliandam, specialem curam adhibere utile duximus.

Jam vidimus quomodo nonnulli auctores, difficultate istius conciliationis permoti, nullum aliud medium, ad hanc obtinendam excogitare potuerunt, quam scientiæ divinæ relative ad futura libera limitationem.

Alii, ut divina attributa intacta servarent, libertatem humanam tollere magis elegerunt, et, contra evidens conscientiæ testimonium, fatalismum propugnaverunt.

Duplex ille scopulus vitandus nobis est, ideoque ostendendum habemus quomodo scientia divina ad omnia prorsus facta existentialia extendatur, quin ullum pro libertate humana sequatur detrimentum.

Ut solutiones a nobis hic afferendæ melius intelligantur, ante omnia necesse est ut difficultatis expendendæ nodum clare determinemus. Duobus scilicet modis dici potest scientiam divinam libertati humanæ officere : 1° quatenus est præcise scientia, 2° sub respectu medii in quo exercetur. Sub priori respectu spectata, scientia divina dici potest cum humana libertate stare non posse, eo quod actiones cognosci non possint, antequam fiant, quin eo ipso ad essendum necessario determinentur, quin proinde earum libertas destruatur. Scientiæ divinæ, sub posteriori respectu consideratæ, idem exprobrari posse concipitur, quatenus medium, sine quo obtineri non posset, libertatem humanam destrueret.

Porro, de conciliatione divinæ scientiæ, sub hoc posteriori respectu consideratæ, cum libertate humana, hic agendum nobis non est : supra enim monstravimus *concursum*, cujus ope, juxta nos, Deus omnia videt, cum libertate creaturarum perfecte stare posse. Nunc igitur expendendum solummodo nobis est utrum scientia divina, præcise quatenus scientia, humanæ officiat libertati, seu utrum essentialiter repugnet, ut aliqui volunt, quod actio libera, ab aliquo ente certo cognoscatur, antequam fiat.

Ad hanc quæstionem solvendam sit sequens

214. Thesis. — *Possibile est quod Deus cognoscat actiones liberas antequam fiant; ideoque divina scientia libertati humanæ nequaquam officit.*

Prob. — Illæ actiones, vel antequam fiant, divinæ scientiæ objectum esse possunt, quæ, in quolibet temporis instanti, sunt aliquid determinate verum.

Atqui, actiones liberæ, etiam in futuro faciendæ, sunt in quolibet temporis instanti, determinate veræ. Ergo, etc.

Major et minor seorsim probandæ sunt.

Probatur major. — Ut enim scientia exerceatur, satis est ut detur objectum quod apprehendat. Atqui, posito quod res aliqua sit determinate vera, tale objectum necessario existit.

Etenim per rem determinate veram, intelligimus rem de qua enuntiari potest judicium quod, in instanti quo pronuntiatur, sit necessario verum aut falsum, rem proinde quæ in sua veritate jam infallibiliter constituatur. Atqui, impossibile est quod res ita se habeat in aliquo instanti, quin, in illo instanti, quamdam objectivitatem habeat. Nam, quod nihil prorsus est objective, judicii veri aut falsi materia esse non potest. Ergo, posito quod res aliqua sit in quolibet temporis instanti determinate vera, datur aliqua realitas objectiva nunc existens, per quam res de qua agitur, vel antequam eveniat, scientiæ objectum esse potest.

Probatur minor, nempe *actiones liberas, etiam in futuro faciendas, esse, in quolibet temporis instanti, determinate veras.* — Etenim, res illa, prout modo diximus, est, in aliquo temporis instanti, determinate vera, de qua enuntiari potest judicium quod sit necessario, in hoc ipso instanti, aut verum aut falsum. Atqui, nullum est factum sive præteritum, sive futurum; sive liberum, sive necessitatum, de quo tale judicium proferri non possit. Supponatur, v. g., quod mihi sollvendam quis proponat hanc quæstionem : *Utrum postridie Joannes rus ierit*. Sive negative, sive affirmative respondeam, judicium quod pronuntio est necessario, in ipso instanti quo illud pronuntio, verum aut falsum. Si enim dixero : *ibit* et tamen postea non eat, judicium meum fuerit falso prolatum, licet illius falsitas mihi non innotuerit, nisi post cognitam Joannis determinationem. Idem dicendum de mei judicii veritate, si dicente me : *ibit*, reipsa ierit.

Cæterum, etsi non possemus demonstrare quodlibet factum enuntiabile esse in quolibet instanti determinate verum, non ideo causa caderemus; sufficit enim, ad scopum quem nobis assequendum proponimus, ut ostendamus illud non esse absolute impossibile. Atqui, illud facile constat exemplo factorum præteritorum quæ, fatentibus omnibus, sunt in sequentibus instantibus determinate vera, licet tunc non magis in se existant

quam facta futura. Exinde enim merito concludere possumus quod, ut factum sit in aliquo instanti determinate verum, minime requiritur ut tunc in se existat. Animadvertendum est nihil nobis objici posse contra veritatem determinatam factorum futurorum, in quolibet instanti, quod contra veritatem determinatam factorum præteritorum retorquere non possimus.

Ergo, constat actiones liberas, etiam in futuro faciendas, esse in quolibet instanti determinate veras. Ergo, facta futura, etiam libera, objectum esse possunt scientiæ divinæ.

Solvuntur Objectiones.

215. Obj. 1°. — Factum non potest esse in aliquo instanti determinate verum, nisi, in hoc instanti, aliquid existat per quod determinetur. Atqui, nihil prorsus existit, per quod facta libera determinari possint, antequam fiant. Ergo, etc...

Resp. Neg. min. — Constat enim ex thesi, facta etiam libera esse determinate vera, vel antequam fiant; unde concludere licet aliquid tunc esse, per quod hujusmodi determinationem obtineant.

216. Inst. — Factum liberum in suo esse non determinatur, nisi per actum liberum voluntatis. Atqui, actus liber voluntatis non utique existit antequam fiat. Ergo quoque, antequam fiat ille actus, factum liberum in suo actu non determinatur.

Resp. Dist. maj. — Factum liberum in suo esse non determinatur, nisi per actum liberum voluntatis, id est, *non determinatur in variis temporis instantibus, nisi quia per electionem liberam voluntatis in tali vel tali temporis differentia produci debet*, concedo; id est, *non determinatur, nisi quando per electionem liberam voluntatis producitur*, nego. — *Dist. min. in eodem sensu*, nempe : actus liber voluntatis non existit antequam fiat, id est, *ipsius productio non respondet nisi uni temporis instanti*, concedo; id est, *nihil in aliis instantibus existit, per quod determinetur ejusdem actus productio in suo tempore facienda*, nego.

Hic a nobis quæri posset quomodo sit possibile quod, electione

libera voluntatis nondum existente, aliquid tamen existat quod enuntiationes circa illam jam reddat determinate veras aut falsas. Hanc quidem difficultatem insolutam relinquere possemus, intacta thesi nostra. Credimus autem illam haud difficile solvi posse, mediante doctrina a nobis supra propugnata, tum circa concursum, tum circa medium per quod Deus res existentes pervideat. Etenim cum Deus, juxta hanc doctrinam, nonnisi in suo actu cunctas res pervideat, et aliunde, in hoc actu, prius et posterius non detur, facile intelligitur quomodo creaturarum actus, etiam liberi, ab æterno determinati sint relative ad Deum, licet nonnisi in tempore producantur. Idem igitur dici debet de actibus liberis creaturarum, ac de earum existentia, dum illos producunt. Quemadmodum nempe hanc existentiam Deus, quatenus illius creator, ab æterno cognovit, proindeque juxta nostrum loquendi modum, antequam producta fuerit in tempore; ita et actus liberos, quatenus cooperator, ab æterno quoque, proindeque antequam fiant in tempore, cognoscere potest

217. Obj. 2°. — Quod certo eveniet, liberum esse non potest. Atqui, actiones humanæ, a Deo prævisæ, certo evenient. Ergo, non possunt esse liberæ.

Resp. Neg. maj. — Ex eo quod res sit certo eventura, nil exinde, contra causæ illius productricis libertatem, concludi potest : non enim repugnat ut, vel ante determinationem voluntatis, certo sciatur ad quid sese sit libere determinatura.

218. Instab. — Illud tantum liberum dici potest, quod potest non evenire. Atqui, res certo prævisa non potest non evenire. Ergo, non est libera.

Resp. 1°. *Retorqueo argumentum.* — Illud tantum liberum dici potest quod potest non evenire. Atqui, ambulatio actualis Petri, posito quod ab aliquo Petrus ambulans videatur, non potest non evenire. Ergo, non est libera.

Resp. 2°. *Dist. maj.* — Illud tantum liberum dici potest, quod potest non evenire, *absolute* seu *ante omnem hypothesim*, concedo ; quod potest non evenire, *etiam contraria hypothesi facta*, nego. — *Dist. min. in eodem sensu*, scilicet : res certo prævisa non potest non evenire, *in hypothesi quod videatur fieri*, concedo ; *absolute*, nego. — Instantia hæc in æquivocatione tota versatur. Quando nempe dicitur eam rem tantum esse liberam quæ potest non evenire, sensus non est procul dubio, hanc debere posse non evenire, etiamsi hypothesis contraria ponatur. Hoc enim contradictorium foret, nihilque prorsus, etiam inde-

pendenter a prævisione Dei, liberum dici posset; nulla siquidem est actio quæ, in hypothesi quod reipsa fiat, supponi possit non fieri. Sensus igitur præfatæ locutionis est, actionem aliquam liberam esse non posse, nisi voluntas ad eam eliciendam nulla necessitate adducatur, ita ut tam in ipsius potestate sit illam facere, quam omittere. Nunc vero, ut casui præsenti illud applicetur, verissimum quidem est actionem aliquam certo prævisam, non posse non evenire in priori sensu; ipsius enim prævisio supponit hanc faciendam esse: repugnat autem rem eamdem faciendam et non faciendam esse; unde posita prævisione, jam impossibile est ut res non eveniat. Illud autem in posteriori sensu falsissimum est: cum enim nullum influxum in actus productionem exerceat prævisio, hac non obstante, voluntas perfectam agendi aut non agendi libertatem servare potest.

CAPUT SECUNDUM.

De Voluntate Dei ad extra.

219. Voluntatis natura. — Divisio capitis. — Voluntatis nomine illud designatur activitatis exercitium quod, præeunte intellectus cognitione, perficitur. Causa, hac agendi ratione prædita, terminum suæ actionis sibi constituit tanquam bonum cujus consecutionem intendit.

Actum quo Deus operatur ad extra voluntarium esse, ex præcedenti Capite ultro sequitur. Hic autem inquirendum venit 1° utrum et quomodo actus ille fuerit cum libertate elicitus, 2° quibusnam legibus subjiciatur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Libertate divinæ Voluntatis in operibus ad extra.

220. Quæstiones examinandæ. — Existentiam libertatis in operatione qua Deus extra seipsum aliquid producit, primum astruemus. Cum autem actus liberi præsentia in Deo

aliquatenus repugnare videatur cum divinis attributis et in primis cum immutabilitate, quomodo hæc duo inter se concilientur postea expendemus.

I° *Libertas divinæ voluntatis relative ad creationem astruitur.*

221. Opiniones. — De libertate Dei in creatione plurimæ proferuntur philosophorum opiniones.

1° Juxta veteres quosdam philosophos, præcipue e stoïcorum schola, Deus ad creandum determinatus fuit ineluctabili quadam necessitate ab extra sibi obveniente. Necessitatem hanc habebant ad instar numinis cujusdam, seu potius legis supremæ et æternæ, ab illis *fatum* nuncupatæ, cui entium quorumcumque voluntates essentialiter subjiciebantur. Hinc *fatalistarum* nomen quo designari solent qui ita sentiunt.

2° Alii fatentur quidem Deum, in creando, ab omni necessitate extrinseca immunem fuisse, fatique existentiam, tanquam vanum absurdumque figmentum, rejiciunt. Non ideo tamen Deum in creatione liberum fuisse existimant. Creatio enim, inquiunt, est manifestatio et, ut ita dicam, expressio vitæ divinæ, sine qua Deus perfecte non existeret, et quodam suiipsius complemento indigeret. Contendunt igitur creationem esse necessariam, non quidem ab extrinseco, sed quatenus ab ipsamet Dei natura essentialiter exigitur, proindeque *ab intrinseco*. Ita plurimi recentiores, præsertim inter eclecticos, scholæque humanitariæ asseclas.

3° Cæteri omnes philosophi unanimiter docent Deum independenter a creaturarum productione completum et perfectum in suo ente existere, proindeque productionem hanc nihil prorsus ipsi addidisse. Creatio igitur, juxta illos, nihil aliud esse potest quam consectarium electionis liberæ qua Deus, in suo esse plene constitutus, ad aliquid producendum sese determinavit.

Aliquod tamen dissidium, inter eos qui ita sentiunt, hic notare debemus.

Scilicet, communior sententia tenet Deum in decernendo creationem ita liberum esse, ut a creando abstinere possit, illæsis suis attributis.

Aliter sentit Leibnitzius. Hic enim in opere percelebri cui titulus : *Essais de Théodicée*, de libertate Dei hæc habet. — 1° Libertas essentialiter consistit in eo quod agens ad actum non prorumpat, nisi præhabita voluntatis deliberatione et electione. Libertas, sic intellecta, Deo utique competit in creationis actu. — 2° At impossibile est quod subjectum intelligens, præsertim sapientissimum, non sese determinet juxta motivum præponderans, id est, pro eo quod intelligentiæ melius videtur. Juxta hanc legem Deus relative ad creationem sese determinavit. — 3° Licet igitur liber in creando fuerit, non potuit tamen non creare. Non enim creationem decrevisset, si hanc non-creatione meliorem judicavisset; cum, juxta principium modo enuntiatum, sua libertate uti non possit nisi ad illud efficiendum quod melius judicat. Eo ipso igitur quod Deus creaverit, concludere possumus impossibile illi fuisse creationem non decernere. — 4° Ex eodem principio concludit Leibnitzius Deum non potuisse creare nisi mundum optimum. De hoc autem opportunius alibi.

His præhabitis, sit

222. Thesis prima. — *Deus in determinationibus quibuscumque eliciendis, a quocumque influxu extrinseco prorsus immunis est.*

Prob. — Talis enim influxus possibilis esse nequit nisi 1° extra Deum existat aliqua realitas a Deo independens, quæ illius causa esse possit, nisi 2° hæc causa in Deum agendi vim habeat. Atqui, hæc duo repugnant. — Prius quidem; extra Deum enim nihil existit nisi per ipsum. — Posterius quoque; Deus enim est impassibilis. Ergo, etc.

223. Thesis secunda. — *Deus in creando, a necessitate*

interna fuit immunis; sed ad creandum sese determinavit per electionem veram et proprie dictam.

Prob. — Hæc determinatio voluntatis electioni, non vero internæ necessitati utique imputari debet, quæ elicitur 1° cum intelligentia, 2° ab ente jam in suo actu complete constituto, ad cujus proinde essentiam nequaquam pertinet.

Atqui talis est determinatio Dei creantis.

Majoris veritas per se patet. Electio enim in eo præcise consistit quod agens, in suo esse plene constitutus, cum intelligentia ad aliquid sese determinet.

Probatur itaque minor, nempe : *actum Dei creantis elici 1° cum intelligentia, 2° a Deo in suo esse plene jam constituto.*

1° *Cum intelligentia elicitur.* — Hoc constat ex dictis supra, de scientia Dei relative ad res creatas.

2° *Elicitur a Deo jam in suo actu plene constituto.* — Creatio enim, prout illam possibilem esse supra ostendimus, essentialiter consistit in productione termini a Deo substantialiter distincti. Atqui, ut Deus producat terminum a seipso substantialiter distinctum, necesse est ut ipse jam habeat quidquid ad essentialem suiipsius constitutionem requiritur. Ens enim quod nondum constituitur, proprie non *est*, ideoque alicujus effectus realis, seu alicujus quod habeat *ens*, causa esse non potest. — Nec dicatur Deum per ipsummet creationis actum in suo *esse* constitui; tunc enim internus ipsi foret creationis terminus. Porro, terminus creationis, utpote essentialiter a Deo distinctus, ipsi externus esse debet.

224. Corollarium. — Ex hujus thesis probatione concludi potest inter dogma divinæ libertatis, et identificationem rerum omnium in Deo seu pantheismum, medium non dari. Quotquot enim admittunt creationem electionis Dei effectum non esse, ad ipsius vero essentialem constitutionem pertinere, ad hoc consectarium devenire debent : Deum et creationis terminum duplicem actum non efformare, sed inter se identificari. Reipsa,

vix ullus citatur divinæ libertatis in hoc sensu impugnator, qui plus minusve pantheismo non faveat.

225. Thesis tertia. — *Libertas divinæ voluntatis, relative ad creationem, in eo consistit quod Deus, pro libito suo, possit creare aut non creare.*

Prob. — Illud omne, pro libito suo, Deus facit aut non facit, sine quo, saltem uno instanti, perfecte et complete existere potest. Atqui, sine creatione Deus, saltem uno instanti, perfecte et complete existere potest. Ergo, etc...

Probatur major. — Eo ipso quod Deus, sine aliqua operatione, existere potest uno instanti, nulla repugnantia est in eo quod duobus, tribus, etc... instantibus sine illa existat, in eo quod proinde illa penitus careat.

Probatur minor. — Deus, ex thesi præcedenti, in suo esse actuali complete constituitur absque creatione. Hoc autem posito, necesse est ut, saltem uno instanti, sine illa existere possit. Illud enim quod ita enti competit, ut ne uno quidem instanti sine illo concipi possit, cum proprietatibus illius essentiæ constitutivis et sine quibus ens complete existere non potest, penitus confunditur. Ergo, etc...

Si un peut être un seul moment sans produire le monde — si non il lui serait nécessaire mais cela répugne. Mais s'il peut être un moment ainsi, le monde ne lui est pas nécessaire pour être et il peut être toujours ainsi; si donc il le produit c'est qu'il le veut et qu'il aurait pu ne pas le produire.

Ergo, Deus, pro libito suo creare potest aut non creare.

Objectioni satisfit.

226. Obj. — Deus, utpote agens sapientissimus, sese determinare non potest nisi juxta id quod ipsius intellectus melius esse conspicit. Atqui, intellectus divinus conspicit creationem quid melius esse non-creatione. Ergo, etc...

Resp. Disting. maj. — Deus, utpote agens sapientissimus, sese determinare non potest nisi juxta id quod ipsius intellectus melius esse conspicit, id est, *quod ad perfectionem sui entis magis conducere cognoscit*, concedo; *secus*, nego. — *Dist. min. in eodem sensu*, nempe : intellectus divinus conspicit creationem quid melius esse non creatione, id est, *pro ipsismet*

Quand Dieu a créé, il est constitué en lui-même, mais aurait-il pu ne pas créer s'il l'avait voulu

creaturis melius esse existere quam non existere, concedo; id est, *pro Deo perfectius esse creare quam non creare*, nego.

Igitur, vis apparens hujus objectionis tota consistit in confusione quam inducit inter agentium creatorum et Dei creantis leges. Agentia nempe creata, cum per suos actus ad aliquem finem tendere debeant, in cujus consecutione eorum perfectio moralis consistit, vere minus sapientia dici poterunt, si, rejecto quod melius est, id est, quod ad finem magis conducit, deterius, id est, quod illa a fine removet, eligunt. Hoc autem in Deo nequaquam evenit. Cum enim in seipso sui finis consecutionem, suamque perfectionem inveniat, minime ipsi necesse est ut, actuum externorum ope, illas obtineat. Sive igitur creet Deus, sive non, nec magis, nec minus sapiens dici potest; creatio enim et non creatio, relative ad illum, sunt aliquid plane indifferens.

II° *Libertas Dei, relative ad creationem, cum ipsius immutabilitate conciliatur.*

227. Quæstio exponitur. — Deum esse immutabilem supra demonstravimus, eumdem vero perfecta libertate gaudere ex thesibus præcedentibus non minus constat. De modo autem quo duo hæc attributa secum concilientur, maxima difficultas adest. In eo enim consistit Dei immutabilitas quod omnia in ipso ab illius essentia deriventur, ita ut Deus nihil contingentis in se habeat. Econtra, potestas agendi cum libertate aliquid contingens in Deo inducere videtur. Contingens enim illud dicitur quod enti necessarium non est, quod proinde in eo tam non esse, quam esse potest. Porro, in actu libero aliquid tale invenitur. Hinc, inter immutabilitatem Dei et illius libertatem, apparens invenitur contradictio, cui tollendæ incumbendum nobis est.

tout ce qui est en Dieu est nécessaire, tout est en acte, mais Dieu est libre, c.à.d. qu'il peut vouloir ou non, il y a donc en lui q.q. chose qui peut changer.

Hujus difficultatis solutio, prout cuilibet attento facile constabit, tota consistere debet in determinando quomodo Deus decretum liberum proferat de mundo creando aut non creando.

[illegible] libre essentiellement, et contingent. Comment? nous ne le savons pas parce que nous sommes ignorants.

Cum autem, circa illud punctum, duplicem in partem abeant auctores, duplicem quoque solutionem oppositam hic exponendam habemus.

228. Prima solutio. — Juxta Scoti discipulos, quibus vel hodie plurimi assentiuntur, de modo libertatem Dei cum ipsius immutabilitate conciliandi, hæc teneri debent.

1° Cum Deus liber sit erga creationem, ad illam per suammet essentiam non determinatur, ideoque sub hoc respectu in statu perfectæ indifferentiæ versatur. Hoc posito, ut creatio peragatur, ante omnia necesse est ut hæc indifferentia per aliquam determinationem creandi destruatur. Hinc tria in operatione Dei creantis distingui debent : 1° *actus essentialis* Dei, ad creandum aut non creandum per se indifferens ; 2° *modificatio interna* illius actus, qua Deus sese ad creandum determinat, qua nempe Deus in seipso hoc profert decretum : *Volo creare ;* 3° *productio creaturæ,* quæ ex præfata determinatione necessario sequitur.

2° In Deo igitur duplex distingui debet internæ determinationis species : una qua ipsius essentia in suo actu constituitur : altera qua, in suo actu constitutus, creandi volitionem elicit. Prior necessaria est, nec ideo ulli mutationi obnoxia esse potest. Posterior est contingens ; ideoque in eo quod Deus illa careat, nulla invenitur contradictio.

Aucun respect par en même temps changer et ne pas changer.

3° Licet autem, primo intuitu, determinationis contingentis præsentia, quam supponit libertatis exercitium, divinæ immutabilitati opposita videatur, nullum tamen exinde detrimentum patitur hæc Dei proprietas. Divina enim immutabilitas non in eo consistit quod nullam omnino mutationem Deus subire possit ; sed in eo quod nihil perfectivi acquirat aut amittat. Porro, mutationes quas in Deo supponit libertatis exercitium, Deum nec perficere, nec minus perfectum reddere possunt. Nam 1° actus liber ille est qui potest esse aut non esse ; atqui, id quod in Deo potest esse aut non esse, ipsum nec perficere, nec minus perfectum reddere potest. 2° Illud non est Dei

perfectivum, quo posito aut sublato, Deus non concipitur melior aut pejor. Atqui, tales sunt actus de quibus agitur. Deus enim non concipitur melior post creationem quam antea. Hinc patet quomodo Deus, quamvis immutabilis, liber tamen esse possit. Non est nempe immutabilis et liber sub eodem respectu. Immutabilis est relative ad actum quo constituitur, et in quo sita est illius perfectio; sub hoc autem respectu nullatenus liber dici potest. Liber est relative ad volitionem creandi aut non creandi; porro, ipsius natura immutabilitatem sub hoc respectu non exigit.

229. Secunda solutio. — Schola thomistica eamdem difficultatem sic resolvit.

1° In libertate, sive divina, sive humana, tria secernenda sunt: 1° *subjectum*, 2° *terminus*, 3° *exercitium*. — *Subjectum* est vis activa potestatem habens actum pro libito efficiendi. — *Terminus* est illud quod a libertatis subjecto producitur. — *Exercitium* est actus quo subjectum producit terminum, seu est subjectum producens terminum. Quando dicitur subjectum libertatis esse indifferens; illud intelligi debet de productione termini tantum, non vero de ipsamet subjecti liberi existentia.

2° Ut certum admitti debet libertatis exercitium non esse aliquid reale termino et subjecto superadditum. Dicendum est igitur determinationem liberam nihil aliud esse quam ipsummet libertatis subjectum respiciens active suum terminum illumque producens.

3° Exinde sequitur quod si terminus libertatis ipsius subjecto extrinsecus foret, terminus ille produci, destrui, mutarive posset, quamvis subjectum nullam pateretur mutationem. Determinationum enim mutationes solum afficiunt terminum, nullatenus vero subjectum quod idem semper remanet.

4° Jam vero libertatis subjectum dupliciter concipi potest. Etenim 1° concipi potest ut nuda facultas ad hunc vel illum actum sese determinandi, ut, v. g., in homine. At simul 2° concipi potest ut facultas ad actum necessario reducta, seu

en sorte qu'il n'y ait en lui rien en puissance

quæ invincibiliter ad volendum determinetur, ita ut non sit indifferens nisi circa objectum quod ad suam volitionem necessariam terminandam eliciat. Hoc autem inter utrumque discrimen adest, quod, in priori casu, terminus libertatis est ipsemet actus; dum, in posteriori, actus fit libertatis subjectum, hujus vero terminus est objectum circa quod versatur, ut illud producat.

5º His omnibus præsuppositis, ut nunc explicetur quomodo libertatis Dei exercitium cum ipsius immutabilitate conciliari possit, sufficit ut nobis concedatur subjectum libertatis in Deo non nudam esse facultatem sicut in homine, sed actum. Hoc enim admisso, ipsius determinationes liberæ nihil aliud erunt quam *terminatio* activa hujusmodi actus ad tale vel tale objectum; quæ terminatio ne mutationis quidem umbram in Deo producere potest. Porro, tale esse subjectum divinæ libertatis constat ex eo potissimum quod potentia ad actum non reducta, imperfectionem aliquam in Deo argueret; actus enim perfectior est potentia et ante ipsam concipitur: unde probatissimi theologorum docent, post D. Thomam, Deum esse *actum purissimum*.

6º Exinde sequitur actum qui est in Deo libertatis subjectum, se habere ad objecta quæ producit, sicut voluntas nostra relative ad volitiones suas; cum hoc tamen discrimine, quod creaturæ, ad quas terminatur actus divinus, extra Deum existant; dum volitiones nostræ, cum nihil aliud sint quam facultas ad actum transiens, intra nos remanent, sicque mentem nostram intrinsece afficiunt. Supponamus igitur volitiones nostras extra mentem existere, tunc eodem modo libertatis exercitium concipi poterit in Deo et in homine. Nempe 1º quemadmodum voluntas non est indifferens ad existendum, sed tantum ad volitionis productionem; ita et in Deo actus, qui est libertatis subjectum, necessarius quidem est quoad existentiam, indifferens autem tantum quoad creaturarum productionem. 2º Sicut voluntas suas producit volitiones immediate, seu abs-

[illegible]

que ullo intermedio; ita etiam actus divinus de quo agitur. 3° Sicut voluntas, in hypothesi allata, suam eliceret volitionem, absque ulla sui mutatione; ita evenit in actu divino, qui ad has vel illas terminatur creaturas, quin exinde ullam mutationem subeat. (Cf. D. *Lafosse*, *Tractatus de Deo et ejus attrib.*)

230. Discrimen inter solutionem Scotistarum et solutionem Thomistarum, exponitur. — Ex hac expositione sequitur 1° dissidium inter Scotistas et Thomistas ad hoc punctum reduci: utrum in operatione, qua Deus creat, volitio media, inter actum divinum et creaturam, a Deo produci debeat, nec-ne. Sequitur 2° seriam difficultatem in libertate Dei et ipsius immutabilitate inter se conciliandis reipsa non adesse, nisi in quantum præfata volitio ad creationem exigeretur. Si enim hæc volitio tanquam inutilis rejicitur, jam productio libera creaturarum nullum prorsus elementum contingens in Deo inducit, simulque libertas et immutabilitas in tuto ponuntur.

Ad postulatam igitur solutionem, satis est ut contra Scotistas ostendamus volitionem, de qua agitur, nullo pacto admitti posse. Hoc præstabit sequens

231. Thesis. — *In actu creationis, volitio intermedia inter actum essentialem Dei et terminum creatum admitti nequit; ideoque Deus immediate, et absque ulla suiipsius alteratione, terminum hunc producit aut non producit.*

Prob. — Hoc inter actum essentialem Dei et terminum creationis admitti non debet intermedium, cujus 1° productio a causa creatrice tam difficile concipitur, quam productio immediata ipsiusmet termini creati ab eadem causa; cujus 2° præsentia in Deo attributis existentiæ divinæ opponitur; cujus 3° necessitas creationem, nedum explicaret, prorsus impossibilem redderet.

Atqui, talis est volitio quam Scotistæ exigunt in Deo ut creare possit.

[illegible] omnino immutabilem [illegible] — De Civ. D. L. XII. Ch. XIII.
[illegible] produit sans aucun changement.

Probanda minor per partes.

Probatur prima pars, nempe : *productionem hujus volitionis a causa creatrice tam difficile concipi, quam immediatamproductionem terminicreati ab eadem causa.* — Etenim Scotistæ suam hypothesim non finxerunt nisi quia, ut aiunt, concipi nequit quomodo causa, interne non determinata ad creandum vel non creandum, possit tamen creare vel non creare. Atqui, non utique melius concipitur quomodo causa, non determinata ad volendum aut nolendum, possit tamen velle aut nolle. Dicentne adversarii causam iterum indigere ulteriori præparatione ut ad volendum aut nolendum sese determinet ? Sed tunc incidimus in progressum in infinitum, quo posito, nunquam ad quamlibet volitionem causa sese determinare posset. Ergo, 1º etc....

Probatur secunda pars, nempe : *præsentiam ejusdem volitionis aut nolitionis in Deo, attributis divinæ existentiæ opponi.* — Vel enim illa volitio aut nolitio constituit in Deo actum omnino distinctum ab actu quo essentialiter existit, vel eadem volitio aut nolitio hunc actum afficit et ideo ad illum constituendum concurrit. Atqui, utrumque repugnat divinæ existentiæ.

Prius quidem. — Tunc enim duo forent in Deo actus distincti, unus quidem necessarius, alter vero contingens. Sic autem Deus simplicitate careret ; ex dictis enim, simplicitas Dei in eo præcise consistit quod non constet nisi unico actu.

Posterius quoque. — Tunc enim aliquod elementum contingens ad actum essentialem Dei constituendum concurreret, sicque Deus omnino ens necessarium et immutabile dici non posset. — Nec dicant Scotistæ præsentiam contingentis in Deo, in eo tantum sensu repugnare, quod Deus nihil contingentis, quod simul illum perficiat, recipere possit; volitionem autem aut nolitionem, de quibus agitur, ipsum non perficere. Hæc enim distinctio prorsus arbitraria est, nec talem excep-

tionem patiuntur probationes quibus supra astruximus Deum nihil contingentis in suo actu recipere posse (n. 125).

Probatur tertia pars, nempe : *necessitatem volitionis intermediæ in actu creationis, impossibilem prorsus creationem reddere.* — Supponamus enim, cum adversariis, Deum volitione intermedia necessario indigere ad aliquid extra seipsum producendum ; tunc, posita hac volitione, nondum producitur terminus externus, cum divinæ activitatis terminus non alius fuerit quam volitio creandi. Nunc vero, ab illa volitione ad productionem termini externi, eadem est percurrenda distantia, quam ante volitionem ; ideoque Deus, in hypothesi facta, nova indiget volitione, ut, a determinatione creandi, ad creationem proprie dictam transeat. De posteriori autem volitione, cum iterum extra Deum non ponatur, idem ac de priori dici debebit, et sic deinceps usque in infinitum. — Quod si dicant Scotistæ Deum, in aliqua ex his volitionibus constitutum, jam posse absque ulla nova determinatione terminum externum immediate producere ; ergo, admittunt causam, absque ulla suiipsius alteratione, effectum suum posse producere ; sicque necessitas volitionis intermediæ, quam in actu creationis exigunt, evanescit.

Solvuntur objectiones.

232. Obj. 1°. — Ubi diversitas in effectibus agnoscenda est, ibi diversitas aliqua in causa agnosci debet. Atqui, inter creationem aut non-creationem, talis vel talis mundi productionem, adest profecto diversitas. Ergo, in Deo, prout est unius aut alterius ex his effectibus causa, aliqua diversitas interna esse debet.

Resp. Dist. maj. — Ubi diversitas in effectibus agnoscitur, ibi diversitas aliqua in causa agnosci debet, *si effectus sit causæ intrinsecus*, concedo ; *si sit causæ extrinsecus*, nego. — Fateor equidem statum causæ diversum esse pro diversitate effectuum ab ipsa productorum, quando hi effectus extra ipsam non egrediuntur, ut, v. g., evenit in homine. At illud satis negare non

possumus pro effectibus causæ extrinsecis: hi enim immediate, prout modo probavisse credimus, a causa identica semper remanente producuntur.

233. INSTAB. — Illud admitti non potest ex quo sequeretur effectum causam non habere. Atqui, si diversitas effectuum aliquam diversitatem in causa non induceret, foret effectus sine causa; cum enim causa sit per se indifferens ad talem vel talem actum producendum, non potest dici hujus potiusquam illius effectus causa, nisi sese intrinsece determinet ad illum producendum; unde posito quod hæc determinatio non existat, nullam revera habebit causam effectus productus.

Resp. Neg. min., ad probat. neg. anteced. — Etenim eo ipso quod causa sit indifferens ad talis vel talis effectus productionem, sequitur omnes effectus, qui ab ipsa produci possunt, in ea contineri, proindeque suæ actionis terminos esse posse. In hocque præcise consistit natura causæ, quod quamvis in se unica et simplicissima, innumeræ tamen effectuum multitudinis principium esse possit, ponendo sive intra se, sive extra, hunc vel illum terminum. Contendunt quidem adversarii termini externi positionem exigere aliquod intermedium, determinationem scilicet seu volitionem qua vis causandi ad talis potiusquam alterius effectus productionem specificetur, sicque illius causa dici possit. Sic ad creationem mundi exigunt in Deo decretum quoddam, tum a mundo, tum a vi creatrice Dei distinctum, per quod mundus ad *esse* potius quam ad *non-esse* determinetur. Hoc autem intermedium rejiciendum est, ut facile intelliget quicumque causæ notionem seria attentione consideraverit. Scilicet illud intermedium, quocumque vocetur nomine, in sua actuatione ad essentiam causæ non pertinet, ideoque a causa producitur et tanquam illius effectus est habendum. Nunc vero vel producitur immediate et absque ulla causæ determinatione ab hoc intermedio distincta, vel aliquo iterum intermedio ut producatur indiget. Posterius dici nequit, quin detur progressus in infinitum, quo quælibet actio causæ impossibilis prorsus redderetur. Prius igitur tantum propugnari potest, faterique debent adversarii, illud intermedium immediate a causa produci. Porro hoc admittere non possunt quin objectionem nobis propositam ipsi solvendam habeant, nihilque dicere possunt contra productionem immediatam termini externi, quod contra termini intermedii productionem non facile retorqueatur; eorum enim ratiocinio probaretur hunc reipsa

causam non habere, eo quod vis causandi ad hunc vel alium producendum sit indifferens.

Igitur quamvis perfecte non assequamur modum quo in effectum producendum causa prorumpat, tanquam certissimum tenendum est, hanc productionem immediatam esse; proindeque, si terminus sit exterior causæ, hæc, sive terminus ponatur, sive non ponatur, poterit identica remanere.

234. Obj. 2°. — Admissa nostra sententia, nulli actus liberi in Deo forent. Atqui, in Deo actus liberi esse debent. Ergo, etc...

Resp. Dist. maj. — Admissa nostra sententia, nulli actus liberi in Deo forent, *ratione principii interni*, concedo; *ratione termini externi*, nego. — Igitur relative quidem ad principium internum, nulli in Deo sunt actus liberi; quidquid enim Deum interne afficit, in ipso necessarium est. Sunt autem in Deo actus liberi relative ad terminum externum qui, ut ponatur aut non ponatur, est prorsus indifferens.

235. Instab. — Libertas Dei illi intrinseca esse debet. Atqui, si in Deo actus liberi non forent, nisi quoad terminum externum, libertas Dei ipsi non foret intrinseca. Ergo, etc...

Resp. Neg. min. — Libertas enim Dei non consistit in eo quod tali vel tali modificatione contingenti interne affici possit; sed in eo quod possit activitatem suam hoc vel illo effectu externo terminare. Atqui, illud procul dubio Deo est intrinsecum.

136. Obj. 3°. — In nostra opinione, Deus dici non potest mundi creationem voluisse potiusquam noluisse. Atqui, illud absurdum est. Ergo, etc.

Resp. Dist. maj. — In nostra opinione Deus, dici non potest mundi creationem voluisse, *volitione distincta ab ipsamet productione mundi*, concedo; *volitione quæ nihil aliud sit quam ipsamet mundi extra Deum productio*, nego. — Itaque, si per voluntatem mundum creandi in Deo, intelligatur decretum quoddam a Deo latum ipsique internum, fatendum est Deum voluntatem hanc non habuisse : si autem per hanc voluntatem intelligatur tantum respectus activus divinæ activitatis qua, absque ulla modificatione essentiam Dei afficiente, mundus existere incœpit, voluntatem hujusmodi in Deo non existere nullatenus ex nostra opinione sequitur. — Eadem distinctio minori facile applicari posset.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Legibus divinæ Voluntatis in operibus ad extra, seu de Providentia divina.

237. Objectum et divisio articuli. — Leges divinæ voluntatis sunt regulæ quas Deus, in hypothesi quod exterius agat, non sequi non potest, ut opus ab ipso productum ejus voluntatem terminare possit.

Porro, in actione Dei creantis, tria secerni possunt : 1° *electio* finis quem sibi Deus proponere debuit ; 2° *productio* creaturarum tanquam media ad hunc finem ordinanda ; 3° *deductio* tandem creaturarum ad ejusdem finis consecutionem.

Leges igitur divinæ voluntatis relative ad triplex illud objectum seorsim expendendæ nobis erunt.

Harum legum complexio illud constituit quod *Providentiæ* nomine vulgo designatur. Providentia enim, prout in usu ordinario intelligitur, nihil aliud est quam *gubernatio divina creaturarum*, qua nempe, *illis finis præscribitur, media ad hunc assequendum conceduntur, hoc tandem fine frui datur.*

§ 1. *De Legibus divinæ Voluntatis, in operibus ad extra, relative ad electionem finis.*

238. Quæstiones expendendæ. — Deum, in creando, aliquem finem sibi proposuisse, in eo sensu quod operationem suam ad aliquod bonum terminaverit, sponte ex dictis deducitur. Finis enim nihil aliud est quam bonum quod agens, voluntarie operandi facultate præditum, in eliciendo actum essentialiter intendit. De hoc autem fine quæri potest : 1° quisnam esse debuerit ; 2° an ipsum, nonnisi in summo

intensitatis gradu, Deus sibi proponere possit; 3° utrum omnia entia ab ipso creata, ad eumdem finem æqualiter deducere teneatur?

I° *Quisnam sit finis Dei in creatione* (1)?

239. Opiniones. — In hujusce finis determinatione, scinduntur auctores.

1° Sunt qui dicunt Dei finem in creatione mundi fuisse consecutionem gloriæ, quam in seipsum ex mundo creato redundare prævidebat. Scilicet, per gloriam in genere intelligi debet æstimatio et amor quæ perfectionum alicujus entis cognitionem subsequuntur. Porro, duplicis generis gloria, sic intellecta, in Deo agnosci debet: *interna* et *externa*. *Interna* consistit in cognitione quam de seipso Deus habet, et in æstimatione amoreque sui, quæ cognitionem hanc comitantur. *Externa* consistit in cognitione, æstimatione et amore Dei a creaturis. Ex his duabus gloriæ speciebus, prior essentialiter Deo competit. Non ita est autem de posteriori; hæc enim Deo obvenire nequit, nisi supposita creaturarum existentia. Hinc sequitur gloriæ quidem internæ consecutionem Deum ad creandum inducere non potuisse; cum autem attributorum suorum manifestatio, quæ ex creatione mundi oritur, ad ipsius gloriam externam procurandam plurimum conferat, facile concipitur, ipsum sibi non alium finem proposuisse, quam hujusmodi gloriæ consecutionem. Unde in verissimo sensu cum

(1) Finis Dei in creatione mundi duplex distinguitur: finis nempe *naturalis* et finis *supernaturalis*. — Prior ille est qui cum ipsomet creationis facto essentialem connexionem habet, id est, qui posita mundi creatione, a Deo non potuit non intendi. — Posterior est finis quem Deus creato mundo assignare potuit, aut non assignare, qui proinde consistit in bono creaturæ prorsus ndebito.

An finem supernaturalem mundo a se creato Deus assignaverit, et, in hac hypothesi, cujusnam naturæ sit ille finis, theologis expendendum relinquimus. De fine igitur naturali rerum creatarum hic tantum agimus.

Scriptura dici potest : *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.*

2° Alii, et in primis S. Thomas, dicunt finem creationis fuisse bonitatem divinam creaturis communicandam. Scilicet Deus, cum sit sibiipsi sufficientissimus, non potuit creare propter aliquod commodum ex sua actione sibi obventurum ; solam igitur creaturarum utilitatem potuit intendere. Ex alia tamen parte, repugnat Deum alium finem intendere quam seipsum. Exinde sequitur ipsum creare non potuisse nisi propter suam bonitatem, seu beatitudinem, creaturis communicandam, id est, nisi ut creaturas suiipsius possessione beatas efficeret.

240. Observatio. — Antequam de hac controversia sensum nostrum aperiamus, æquivocationi præire debemus.

Scilicet, juxta sensum proprium quem huic voci adneximus, *finis* nihil aliud exprimit quam objectum ad quod ultimo terminatur voluntas operantis. Tunc finis sumitur in sensu objectivo. Nonnunquam tamen evenit eamdem vocem adhiberi ad exprimendum subjectum in cujus utilitatem cedit finis objectivus. Sic, quotidie dicimus egoïstam nonnisi seipsum pro fine sibi constituere.

Ut duplicem hunc finem, aut potius duplicem hunc respectum in fine distinguendum, exprimerent scholastici, priorem appellabant *finem qui*, posteriorem vero *finem cui.*

Hæc distinctio in primis utilis est in quæstione quam tractandam hic suscipimus.

241 Thesis prima. — *Finis Dei creantis consistit in aliquo bono per creationem consequendo.*

Prob. — Hæc thesis vix probatione indiget.

Quod quidem finis Dei creantis in aliquo bono reponi debeat, per se evidens est. Ex dictis enim, finis et bonum inter se identificantur.

Quod illud bonum per creationem debeat obtineri non

minus manifestum est. Aliter enim bonum a Deo intentum finis creationis male diceretur.

242. Thesis secunda. — *Bonum obtinendum, quod creationis finem constituit, si spectetur subjective, id est, tanquam finis* cui, *in creatura reponi debet : objective autem, seu tanquam finis* qui *consideratum, non potest esse nisi ens divinum creaturis communicandum.*

Duæ sunt partes seorsim probandæ.

Probatur prima pars, nempe : *Finem creationis subjective spectatum in creatura esse reponendum.* — Etenim bonum quod creationis finem constituit subjective spectatum, nihil aliud est, ex observatione superius facta, quam subjectum in cujus commodum cedit illud bonum, id est, quod per creationem illud sibi acquirit. Atqui, subjectum illud non potest esse nisi creatura. Vel enim res ita est, vel subjectum illud est Deus ; non datur medium, cum in creatione non alii dentur termini quam Deus et creatura. Atqui, posterius dici nequit. Etenim, si per actum creationis aliquod bonum Deus consequeretur, aliquo igitur bono carere posset, ideoque non esset summum bonum. — Præterea, etsi absolute aliquo bono Deus carere posset, hoc bonum per creationem utique non consequeretur ; nihil enim in creatione invenitur quod ad Deum tanquam auctorem referri non debeat, quod proinde ab ipso non dimanet ; omne igitur bonum quod per creationem Deus consequi supponeretur, jam ante creationem in se ipso habere deberet, quod est contradictorium. Ergo, sola creatura aliquod bonum ex creatione consequi valet, ideoque sola finem subjectivum creationis constituere dici potest.

Probatur secunda pars, nempe : *Bonum consequendum, quod creationis finem constituit, si objective spectetur, in Deo solo creaturis communicando esse reponendum.* — Etenim, bonum quod finem creationis constituit, si objective spectetur, est illud quod sibi primario proposuit divina voluntas tanquam ultimum suæ actionis terminum, seu, cujus intuitu, ad crean-

dum sese determinavit. Hoc autem objectum est Deus creaturis communicandus. — *Est quidem Deus.* Extra Deum enim, nullum ante creationem existebat bonum, cujus intuitu divina voluntas agere potuerit. Præterea, si objectum istud aliud fuisset quam Deus, voluntas divina per aliquid extrinsecum ad agendum mota et determinata fuisset, sicque in sua operatione independens non fuisset; quod repugnat. — *Est præterea Deus creaturis communicandus.* Bonum enim quod est finis creationis, non est bonum simpliciter, sed bonum per creationem consequendum; proindeque enti, quod est finis subjectivus creationis communicandum. Atqui, finis subjectivus creationis est creatura. Ergo...

243. Corollarium. — Finis igitur Dei creantis non fuit gloria externa per suorum attributorum manifestationem pro seipso consequenda. Tunc enim finis subjectivus creationis fuisset Deus, illius autem finis objectivus creatura tanquam attributorum Dei testis et laudatrix. Atqui, utrumque repugnare in thesi præcedenti probavimus.

Profecto, Deus creaturas e nihilo educendo, vult ut suas perfectiones cognoscant et laudent, ut proinde suiipsius gloria per illas procuretur. Hoc autem non vult propter bonum a seipso consequendum, nec consequenter præcise propter gloriam suam; sed propter suiipsius, tanquam summi boni, creaturis communicationem. Hæc enim communicatio, uti dicemus in thesi sequenti, in cognitione et amore Dei per creaturas, in eo scilicet quod Dei gloriam præcise constituit, reponi debet.

244. Thesis tertia. — *Communicatio Dei creaturis, in quo finis ultimus creationis reponitur, consistit in possessione beatifica Dei a creaturis, per cognitionem et amorem* (1).

(1) Vix necesse est ut moneamus possessionem Dei, de qua hic agitur, in sensu mere naturali intelligi debere, ideoque discrepare ab ea possessione Dei supernaturali, ad quam, utpote Christi membra, pervenire speramus. Non loqui-

Tres in hac thesi discerni possunt partes seorsim probandæ: probandum est scilicet : 1° communicationem, de qua agitur, in aliqua possessione entis divini a creaturis consistere; 2° hanc possessionem per cognitionem et amorem constitui; 3° ipsam demum beatitudinem creaturarum producere.

Probatur prima pars, nempe : *Communicationem Dei creaturis in aliqua possessione entis divini ab illis consistere.* — Etenim, communicatio, de qua agitur, talis naturæ esse debet, ut, ex una parte, per illam, distinctio creaturæ a creatore non destruatur; ut, ex altera parte, hac distinctione non obstante, creatura ita Deo uniatur, ut illo tanquam bono suo frui possit. Atqui, illud est præcise quod possessio nuncupatur; ille enim bonum aliquod possidere dicitur cui hujusmodi bono frui conceditur. Ergo, etc...

...pend de donner que ...e un bien à posséder. ...ssion est un droit sur chose distincte du ...sseur

Probatur secunda pars, nempe : *Possessionem Dei a creaturis per cognitionem et amorem necessario constitui.* — Possessio enim fruitiva Dei a creaturis, pro objecto habere debet Deum, sub respectu sub quo bonus dici potest. Atqui, Deus bonus non est, nisi quatenus immediate per amorem, mediate autem per intellectum, sine quo amor possibilis non foret, est apprehensibilis. — Præterea, Deus a creaturis possideri non potest, nisi per aliquam participationem possessioni qua Deus seipso fruitur; Deus enim profecto seipso fruitur sub omnibus respectibus sub quibus fruibilis est. Atqui, Deus seipso non fruitur nisi per cognitionem et amorem. Ergo, etc.

...naissance seule ne suf- ...rait, elle ferait notre malheur, ...nit qu'en possédant le ..., mais c'est par l'amour ...on le possède im- ...atement, mais l'amour suppose l'intelligence ... amatum, quin præ- ...itum

Probatur tertia pars, nempe : *Possessionem Dei a creaturis, quæ finem creationis constituit, creaturarum beatitudinem producere.* — Beatitudo enim est status entis in quo omnes illius facultates complete evolvuntur et exercentur, ita ut nihil jam amplius desiderandum ipsi remaneat. Atqui,

mur in præsenti nisi de ea possessione Dei, quæ concipitur tanquam evolutio plena et perfecta facultatis, qua naturaliter Deum cognoscimus et amamus. Hæc proinde ad naturam nostram pertinet, et fuisset ultimus finis existentiæ nostræ, si Deus nos ad statum supernaturalem in Christo non evexisset.

anima quodam modo omnia est.

possessio Dei de qua nunc agitur, talem pro creaturis statum producere debet. Si enim aliter se res haberet, hæc possessio finis ultimus creationis male diceretur, quippe quæ aliquos creaturæ appetitus non satiatos relinqueret. Ergo, etc...

245. Corollarium. — Ergo, Deus creare non potest, quin inter entia ab ipso producta, aliqua saltem inveniantur intelligendi et amandi facultate prædita. Alioquin, creatio fine debito careret.

Hoc consectarium admitti debet, quæcumque circa Dei finem in creatione mundi sententia admittatur. Quod quidem in nostra admitti debeat, manifestum est. Si autem dicatur Deum creavisse propter gloriam ex suorum manifestatione attributorum a se consequendam, idem dici debet. Manifestatio enim attributorum divinorum, qualis ad gloriam Dei externam requiritur, concipi non potest, nisi sint entia quibus hæc fiat, quæ proinde, ex creaturarum visu, ad creatoris cognitionem et amorem assurgere possint. Porro, illud existere non posse, nisi entia intellectu prædita in mundo inveniantur, evidentissimum est. (Cf. S. Thomam, *Sum. contra gentiles*, l. 2. c. 46).

II° *Utrum communicatio entis divini, quæ est finis necessarius creationis, in summo gradu intensitatis esse debeat?*

246. Quæstio solvenda exponitur. — Plurimi sunt gradus juxta quos Deus, per viam cognitionis et amoris, possideri potest. Quæritur autem an Deus, in hypothesi quod creet, possit pro suo libito sese communicare possidendum in quolibet ex his gradibus; an econtra teneatur suiipsius communicationem facere quantum ipsi possibile est, aut potius quantum ens finitum hujus communicationis capax invenitur.

247. Thesis. — *Deus ad sese creaturis communicandum in gradu summo intensitatis, non tenetur.*

Prob. — Ad sese communicandum in gradu summo intensitatis Deus teneri non posset, nisi quatenus communicatio suiipsius in gradu inferiori, finem sufficientem voluntati ipsius creatrici non constitueret. Atqui, illud dici nequit. Ergo, etc.

Probatur major. — Aliam rationem ad suam opinionem tuendam adversarios allegare non posse facile constat. Etenim, ex alibi probatis, creatio est omnino libera ex parte Dei, ita ut possit pro libito creare vel non creare; ideoque nulla est necessitas absoluta ut sese communicet in tali vel tali gradu, cum posset a qualibet suiipsius communicatione sese abstinere. Hoc posito, si Deus creare velit, ad nihil aliud teneri potest, nisi ad efficiendum actum qui contradictorius non sit, in quo proinde voluntas ipsius finem sufficientem habeat, mediaque item sufficientia ad hunc finem assequendum eligat. Si igitur teneretur Deus ad communicationem suiipsius in summo gradu sibi proponendam, necessitas in qua circa illud versaretur, nonnisi ex insufficientia alterius finis ad terminandam divinam voluntatem, proveniret.

...utrement un monde ...parfait serait indi... ...de Dieu

Probatur minor. — Scilicet communicatio suæ bonitatis, in quocumque gradu, est finis sufficiens ad terminandam Dei voluntatem. Nam 1° quando Deus inter operandum communicationem sui ipsius in quolibet gradu intendit, vere semetipsum sibi constituit finem objectivum suæ creationis. Atqui, impossibile est Deum non esse finem sufficientem suæ actionis. — 2° Si aliter esset, communicatio suæ bonitatis non esset possibilis nisi in summo gradu, nec proinde in hac communicatione plures gradus concipere possemus. Atqui, res ita se non habet. Ergo, etc.

Præterea, Deus ad sese communicandum in summo gradu teneri non potest, nisi in hypothesi quod illud sit possibile, quod nempe detur in Deo gradus communicationis quo major esse non possit. Porro, gradus ille non existit; quantumvis enim Deus enti creato sese fruendum præbeat, illum plenius id facere posse iterum concipitur.

III° *Utrum Dei possessio sit finis omnium creaturarum ?*

248. DUPLEX RESPECTUS QUÆSTIONIS EXPONITUR. — In duplici sensu quæstio modo posita intelligi potest, pro duplici modo quo ens aliquod finem habere concipitur. Scilicet, per finem entis, nonnunquam intelligitur objectum ad quod immediate terminantur illius facultates. At fieri potest objecti illius consecutionem ad aliud ordinari. Hinc per finem entis intelligi quoque datur bonum cujus consecutio est ultima et suprema ratio existentiæ illius entis.

Quando igitur inquiritur utrum possessio Dei sit finis omnium creaturarum, inquiri potest : vel utrum hæc possessio sit ultima ratio cur singulæ creaturæ existant, sive illo bono per seipsas fruituræ sint, sive non ; vel utrum singulæ creaturæ ad Deum per seipsas possidendum necessario destinentur.

249. THESIS PRIMA. — *Possessio Dei est ultima ratio cur singulæ creaturæ existant : hæc igitur possessio earum omnium finis ultimus dici potest.*

Prob. — Possessio Dei, ex supra probatis, est finis ultimus creationis. Hoc posito, omnino necesse est ut quidquid a Deo creatur, ad hunc finem tendat, proindeque nonnisi propter illius consecutionem existat. Ergo, etc...

250. THESIS SECUNDA. — *Singulæ creaturæ ad Deum per seipsas et immediate possidendum, necessario non destinantur.*

Prob. — Nullam *a priori* concipimus repugnantiam in eo quod Deus entia e nihilo per creationem educendo, illorum fines ad invicem subordinet. Concipimus nempe inter entia hujusmodi connexionem quamdam existere, vi cujus alia aliis ad sese evolvendum indigeant. In tali igitur rerum ordine, unicus quorumdam entium finis esse poterit cæteris subministrare media, quorum ope, hæc posteriora ad finem ultimum creationis pervenire poterunt.

Talis est, experientia teste, ordo rerum in mundo præsenti. In hoc enim mundo plurima inveniuntur entia quæ, utpote intelligentia imo et plerumque sensu destituta, ad Dei beatitudinem perfruendam tendere non possunt. Attamen ad finem mundi generalem obtinendum et ipsa, modo naturæ suæ proportionato, concurrunt, quatenus hominem in hujusce finis consecutione adjuvant et incitant. Nam 1° creaturæ quæ in mundo conspiciuntur, sive nostris oculis exhibeant nunquam satis mirandum suæ pulchritudinis spectaculum, sive nos variis exquisitisque delectationibus demulceant, Dei pulchritudinem infinitam, illiusque suavitatem nobis in memoriam revocant, ad eas appetendas nos impellunt, suntque nobis quasi specula per quæ divinas perfectiones apprehendimus. — 2° Eædem creaturæ altera quoque via ad finis nostri assecutionem cooperantur, quatenus nobis suppeditant quæ necessaria sunt, ut probationis nostræ tempus possimus explere. Omnes enim ad vitam hominis conservandam, variasque illius indigentias sublevandas, suo modo concurrunt.

In sensu igitur verissimo dici potest omnia quæ in mundo existunt, propter hominem fuisse creata : homine enim sublato, jam nullum finem haberent, illorumque existentia explicari non posset. Homo tamen illorum finis ultimus non est; cum enim ipse habeat finem a se distinctum, ad quem hujusmodi entium auxilio pervenire debet, hæc ad eumdem finem tendere, licet non tam proxime, merito dici possunt. Et sic Deus solus omnium quæ in mundo existunt finis ultimus vere existit.

§ 2. *De Legibus divinæ Voluntatis, in operibus ad extra, relative ad creaturarum productionem.*

251. Legum hujusmodi objectum exponitur. — Leges divinæ voluntatis, relative ad creaturarum productionem, eæ sunt quæ determinant quemnam perfectionis gradum cuilibet

enti a se creando Deus conferre, proindeque quemnam ordinem in distributione donorum suorum Deus servare teneatur. De his legibus sequentes theses statuemus.

252. Thesis prima. — *Deus singulis entibus a seipso creandis hunc saltem concedere debet perfectionis gradum, sine quo, finem unicuique eorum assignatum assequi non possent.*

Prob. — In Deo admitti non possunt voluntates contradictoriæ, quibus nempe Deus rem eamdem vellet simul et nollet. Atqui, Deus non concedendo singulis entibus perfectionis gradum, ad assequendum eorum finem ipsis necessarium, duabus voluntatibus contradictoriis simul afficeretur, seu rem eamdem vellet simul et nollet. Etenim, vellet entia a se creata finem quemdam attingere, cum hunc finem illis præscribere supponatur. Attamen, hoc simul nollet : dum enim præfatis entibus denegaret perfectionis gradum ad finem assequendum necessarium, hujus finis consecutionem nolle vere censendus foret. Ergo, etc...

253. Thesis secunda. — *Singula entia cum tali perfectionis gradu creari debent, ut sint media omnium perfectissima ad eorum finem obtinendum.*

Prob. — Voluntas enim, qua Deus finem alicui enti imponens, medium non quidem prorsus inhabile, sed tamen non omnium aptissimum ad hunc finem assequendum illud ens efficeret, aliquam iterum contradictionem in eo argueret. Deus nempe ita agendo, ex duobus mediis finem a se intentum obtinendi, imperfectius eligeret. Vellet igitur finem hunc perfecte et complete non obtineri ; in hoc enim præcise consistit imperfectio medii quod finem, cui destinatur, nonnisi incomplete et quoad aliquid, obtineat. Porro, Deus velle non potest finem a se intentum complete non obtineri, quin iterum rem eamdem velit simul et nolit. Tunc enim finem hunc complete obtineri nollet, ex hypothesi. Eumdem tamen complete obtineri simul vellet ; alioquin finem hunc enti præscribere dici non deberet. Ergo, etc...

Le moyen c'est ce
conduit à la fin ; il n
a pas de moyen plu
moins parfait ; pou
qu'on y arrive, c'e
tout ce qu'il faut.

254. Thesis tertia. — *Præter gradum perfectionis in creaturis requisitum, ut sint media ad earum finem assequendum aptissima, nullum est donum, cujuscumque generis, quod Deus illis conferre teneatur.*

Prob. — Posito enim quod creaturæ possideant gradum perfectionis necessarium, ut sint media ad earum finem assequendum aptissima, habent utique quidquid in illis requiritur ex parte earum finis, quidquid proinde Deus illis, quatenus ad finem aliquem respectum habentibus, conferre tenetur.

Nunc vero, facile constat finem creaturarum solum esse motivum cur Deus aliqua eis dona concedere teneri possit. Etenim, finis est illud quod in sua operatione tanquam ultimam metam sibi proponit agens, quod proinde illud ad operandum unice determinat. Unde sequitur finem a creaturis obtinendum unicum esse motivum quo Deus inducitur ad existentiam illis conferendam. Porro, motivum unicum quo Deus inducitur ad existentiam creaturis conferendam, debet quoque esse unicum motivum quo teneri possit ad talem vel talem existentiam, id est, ad existentiam his vel illis dotibus præditam illis tribuendam. Quemadmodum enim quidquid est alicui rei unica causa essendi, est eo ipso unica causa cur sit tali vel tali modo; ita etiam quidquid est eidem rei unicum essendi motivum, unicum quoque cur tali vel tali modo existat motivum esse debet. Ergo, etc...

Corollaria.

255. Corollarium primum. — *Ergo, Deus potest, illæsis attributis suis, inæqualia dona creaturis conferre.*

In tantum Deus non posset, illæsis attributis suis, inæqualia dona conferre creaturis, in quantum diversos fines singulis earum assignare non posset. Principii hujus veritas ex thesibus præcedentibus ultro deducitur. Porro, nullo modo probari

potest Deum creaturis a se conditis fines diversos assignare non posse.

256. Corollarium secundum. — *Deus creare potest entia malo obnoxia.*

Principiorum supra positorum ope, determinare possumus an et quousque Deus auctor esse possit diversorum defectuum quibus, experientia teste, creaturæ obnoxiæ sunt, et quæ generali appellatione *mala* dici solent.

Ad duplicem classem hi defectus referri possunt, prout, vel in entibus existunt, independenter ab eorum voluntate, vel in ipsis ab hujus facultatis exercitio profluunt.

Prior classis eos complectitur defectus qui in aliqua limitatione evolutionis activæ entis unice consistunt. In his, igitur absentia quidem alicujus perfectionis, nulla autem deordinatio proprie dicta invenitur. Duplicem formam generaliorem induunt : *dolorem* scilicet, et *ignorantiam*.

Posterior classis includit defectus qui consistunt in pravo usu facultatum nobis a Deo concessarum, qui proinde plus minusve voluntati nostræ imputari debent. In his, non mera perfectionis absentia, sed essentialis quædam deordinatio invenitur. Duplicem quoque formam habent, quæ est *error* et *peccatum*.

De præsentia defectuum hujusmodi in entibus a Deo creatis, hæc notanda veniunt.

1° Quod spectat ad dolorem et ignorantiam, nulla est repugnantia in eo quod Deus producat creaturas in illis constitutas. Ex thesibus enim supra positis, illud tantum a suis creaturis Deus removere tenetur, quod consecutionem earum finis aliquatenus impediret, quo nempe posito, media aptissima non forent ad obtinendum finem cui destinantur. Porro, de dolore et ignorantia hoc dici non potest. Nedum enim dolor et ignorantia perfectæ finis consecutioni obstaculum essentiale constituant, creaturam econtra ad hujusmodi consecutionem tutius deducere possunt. Imo, concipimus Deum constituere

ordinem, in quo creatura suum finem assequi non possit, nisi utrique huic defectui aliquatenus subjiciatur. Talis est ordo præsens, in quo nempe finis nostri consecutionem, per officiorum moralium expletionem, promereri debemus. Ad id nempe requiritur ut per aliquod tempus plena fruitione finis nostri careamus, ut proinde ens nostrum, sive sub respectu felicitatis, sive sub respectu cognitionis, perfecte non evolvatur.

L'ignorance et la douleur peuvent être q. q. chose de nécessaire

2° Iisdem rationum momentis innixi, facile nobis erit ostendere nullam repugnantiam inveniri in eo quod Deus creet entia errori et peccato obnoxia.

Etenim, si Deus creare non posset entia duplici huic defectui obnoxia, vel quatenus potestas abutendi suis facultatibus ad errandum et peccandum entia, in quibus invenitur, ab eorum fine essentialiter removeret ; vel quatenus Deus, talem potestatem concedendo, illius abusum præcavere debuisset. Atqui, neutrum dici potest.

Non prius. — Nullatenus enim repugnat finem creaturis impositum talis esse naturæ, ut ab illis non obtineatur nisi tanquam objectum meriti, id est, tanquam renumeratio pro legitimo libertatis usu. Posito autem quod Deus talem creaturis finem imposuerit, errandi peccandique potestas, in his creaturis, fini earum obtinendo obstaculum jam dici non potest. Nedum enim hujusmodi potestas creaturas, de quibus agitur, ab earum fine removeat, est econtra medium quo hunc finem consequi poterunt.

Non posterius. — Quisquis enim legitime potest ponere causam, legitime quoque permittere potest omnes effectus, quorum possibilitas in hujusmodi causa includitur, ac proinde hos effectus impedire non tenetur. Atqui, abusus varii potestatis errandi et peccandi sunt effectus, quorum possibilitas in hujusmodi potestate includitur. Ergo, Deus, qui legitime potuit hanc potestatem concedere, illius abusus permittere potest, ideoque abusus hujusmodi impedire non tenetur.

3° Licet autem errorem et peccatum Deus permittere possit,

[illegible] ... le péché.

tanquam consectarium libertatis quam creaturis concessit, ipse tamen hæc duo in se considerata, nec velle potest, nec in creaturis producere.

Etenim, error et peccatum sunt aliquid essentialiter deordinatum et malum, quod proinde creaturas ad finem ipsis assignatum deducere non potest, quod e contrario ab hujusmodi fine illas essentialiter avertere debet. Repugnat igitur quod, in se et directe, sint objectum divinæ voluntatis.

Divina voluntas, quatenus errorem in creaturis directe et positive producere non potest, dicitur *verax ;* quatenus autem ad peccatum inducere eidemque cooperari nequit, dicitur *sancta*.

257. Corollarium tertium. — *Optimismus relativus est admittendus.*

Optimismi nomine designatur doctrina quæ tenet Deum non posse creare mundum nisi perfectissimum. Plures et insignes philosophi huic adhæserunt et in primis, recentiori tempore, Malebranchius et Leibnitzius.

Duplici autem in sensu intelligi potest mundi perfectio, prout sumitur vel ex excellentia finis, vel ex aptitudine mediorum ad finem, quicumque sit ille. Unde etiam sequitur duplicem optimismum distingui debere.

Si in priori sensu intelligatur mundi perfectio, mundus perfectissimus ille erit cujus finis erit omnium excellentissimus. Cum autem, ex dictis, finis ultimus mundi sit possessio Dei beatifica ; hinc demum sequitur mundum perfectissimum, ex parte finis, eum esse in quo Deus sese creaturis communicaret possidendum juxta altissimum et excellentissimum gradum, juxta quem a creaturis possideri potest. Talis mundus dici deberet *absolute optimus*.

Si autem in posteriori sensu intelligatur mundi perfectio, mundus perfectissimus dici poterit, modo singula entia, ex quibus coalescit, sint media aptissima, ad obtinendum finem cui destinantur. Talis mundus erit *relative optimus*.

In quonam ex his duobus sensibus optimismi propugnatores et speciatim duo illustrissimi philosophi supra citati intellexerint, haud facile, nostro judicio, determinari potest.

Quidquid sit, facile ex supra dictis deduci potest quidnam hoc de puncto tenendum esse existimemus. Scilicet:

1° Optimismus in sensu absoluto intellectus rejiciendus videtur. Deus enim, prout supra probatum fuit (n. 247), non tenetur sese creaturis præbere possidendum, in gradu summo intensitatis. Imo, libentius propugnaremus, cum pluribus, possessionem Dei in hoc gradu ab aliqua creatura possibilem non esse.

2° Quod autem spectat ad optimismum in sensu relativo intellectum, aliud sentiendum est. Ex thesi enim secundâ constat optimismum, in hoc sensu, posse et debere admitti. — Nec huic conclusioni opponi possunt imperfectiones et defectus quos in mundo præsenti quotidie deprehendere existimamus. Ut enim pronuntiare possemus imperfectionem aliquam in præsenti mundo inveniri, modo adæquato cognoscere deberemus: ex una parte, finem primarium et ultimum mundi hujus, necnon fines secundarios et mediatos singulorum entium quæ illum constituunt; ex altera parte, naturam intimam eorumdem entium, eorumque aptitudinem ad obtinendum finem singulis eorum assignatum. Hæc autem duo nos latent.

Hinc licet impossibile sit *a posteriori* demonstrare nullos defectus in mundo existere, non minus hac via impossibile est alicujus defectus præsentiam in illo certo demonstrare. Ex factis igitur, observationis ope detectis, nihil prorsus contra perfectionem mundi, in sensu a nobis propugnato, concludi potest.

§ 3. *De Legibus divinæ Voluntatis, in operibus ad extra, relative ad deductionem creaturarum ad earum finem.*

258. Quæstiones solvendæ. — Ad hujusmodi leges, quantum poterimus, determinandas, inquirendum venit

1° utrum Deus velle debeat finis a seipso rebus creatis impositi consecutionem; an vero circa hanc consecutionem indifferens esse possit; 2° an res ita dirigere teneatur, ut mundus quem creavit, finis sui fruitione penitus non careat, adeo ut saltem aliqua entia ad ultimum finem creationis perveniant; 3° utrum Deus ad id quoque teneatur quoad singula entia.

Has quæstiones in tribus thesibus quæ subsequuntur, resolvere conabimur.

259. THESIS PRIMA. — *Deus indifferens esse nequit consecutioni finis, quem ipse creaturis imposuit; sed consecutionem hanc positiva voluntate debet intendere.*

Prob. 1° — Hæc voluntas positiva in Deo admitti debet, qua absente, Deus rem aliquam vellet simul et non vellet. Atqui, talis est voluntas, de qua in thesi agitur. Etenim, Deus creando ens quoddam propter aliquem finem, vult utique finem hunc esse finem entis quod creavit, proindeque ab illo attingi: alioquin, finis Dei in creando non esset ipsius finis. Si igitur supponi posset Deum relative ad consecutionem finium creaturis impositorum indifferentem esse, id est, consecutionem hanc voluntate positiva non intendere, vere dici deberet de finibus hujusmodi, quod Deus illos vellet simul et non vellet. Ergo, etc.

Prob. 2° — Illud Deo indifferens esse non potest quod est essentialiter bonum, quod nempe essentialis ordo rerum ita exigit, ut illius omissio foret aliquid deordinatum et malum. Hujus principii veritas per se patet. Quidquid enim præ se fert characterem modo enuntiatum, est essentialiter amore dignum: impossibile est autem voluntatem divinam illud non amare quod est essentialiter amore dignum; alioquin, perfectissima non foret. Atqui, consecutio finis creaturis assignati est aliquid essentialiter bonum, cujus omissio intrinsecam deordinationem constitueret. Etenim, creaturæ finis sui consecutione fraudari non possunt, nisi per abusum facultatum illis

a Deo concessarum, id est, per peccatum. Peccatum autem, prout docetur in Ethica, est aliquid essentialiter deordinatum et malum. Ergo, etc...

260. Corollarium. — Ex eo quod Deus essentialiter velit creaturas a se conditas earum finem attingere, sequitur ipsum singulis creaturis debuisse legem imponere qua ad id astringerentur. Hæc autem lex, uti facile constat, pro omnibus creaturis eadem esse non potest. Scilicet, pro creaturis libertate destitutis, consistit in impossibilitate absoluta in qua versantur ab earum fine recedendi. Pro creaturis vero libertate præditis, eadem lex consistit in obligatione morali, qua nempe creaturæ hujusmodi ab earum fine recedere non possunt per peccatum, quin reatum incurrant. Deus igitur, entia libera creando, essentialiter velle debet ut huic obligationi subjaceant (Cf. *Ethi.*, n. 35).

261. Thesis secunda. — *Voluntas qua Deus intendit consecutionem finis creaturis mundum sua unione constituentibus impositi, efficax esse debet, saltem pro aliquibus earum; quædam proinde ad finem suum certo et infallibiliter sunt perventuræ.*

Prob. — In voluntate divina, relative ad consecutionem finis creaturis impositi, hæc saltem efficacia debet agnosci, qua sublata, opus Dei creantis fine penitus careret. Atqui, sublata efficacia divinæ voluntatis in thesi enuntiata, opus Dei creantis fine penitus careret. Ergo, etc...

Prob. maj. — Etenim opus fine penitus carens, est opus inutile. Atqui, Deus, utpote operator sapientissimus, opus inutile facere non potest. Deus enim, opus illud conficiendo, illius inutilitatem ignoravit, vel cognovit. — Si prius, in scientia sua limites experitur, quod essentialiter repugnare supra ostensum est. — Si posterius, dicendum est Deum in agendo nullum finem sibi proposuisse; siquidem agere propter finem nunquam consequendum, et ut talem cognitum, idem est ac nullum finem in agendo sibi proponere. Atqui, Deus

agere nequit quin sibi finem proponat; hoc enim cuilibet agenti intelligenti est omnino essentiale. Ergo, etc...

Prob. min. — Posito enim quod voluntas qua Deus vult creaturas finem illis impositum consequi, pro nulla earum sit efficax, nulla igitur inter illas unquam ad finem suum perveniet. In hac autem hypothesi, opus Dei fine penitus carere omnino evidens est. Ergo, etc...

262. Corollarium. — Ergo, in hypothesi quod Deus creet aliquem mundum, necesse est ut inter entia mundi hujus constitutiva, quædam saltem ad possessionem Dei beatificam perveniant. Etenim, si nullum ex his entibus ad talem possessionem perveniret, finis ultimus mundi, de quo agitur, non obtineretur: finis siquidem ultimus cujuslibet creationis cum hujusmodi possessione identificatur (n. 244). Atqui, posito quod finis ultimus alicujus mundi non obtineatur, jam mundus ille fine penitus carere dici debet. Cum enim cæteri fines ad finem ultimun ordinentur, hoc non obtento, nec illi vere et proprie obtineri dici possunt.

263. Thesis tertia. — *Deus efficaciter velle non tenetur ut singula entia a se condita ad finem ipsis impositum perveniant.*

Prob. — Si ad id Deus teneretur, vel ex parte creaturæ quæ a Deo exigere posset, ut illam efficaciter deduceret ad finem; vel ex parte suiipsius, quatenus operationem suam ad rem fine prorsus carentem terminare non posset.

Atqui, nec ex parte creaturarum, nec ex parte suiipsius, Deus efficaciter velle tenetur quod singula entia a se condita ad finem illis impositum perveniant.

Non quidem ex parte creaturarum. — Privatio enim finis pro creatura nihil aliud esse potest quam consectarium peccati, id est, abusus libertatis ipsi concessæ. In tantum igitur a Deo exigere potest ut illam efficaciter ad finem deducat, in quantum ab eo exigere potest, vel ut illam privet libertate, vel ut libertatis ipsi concessæ abusus præcaveat. Atqui, ad neutrum Deus tenetur (n. 256). Ergo, etc.

Non etiam ex parte suiipsius. — Scilicet, ex eo quod Deus inter entia mundi a se conditi, aliqua ab eorum fine declinare permittat, non sequitur hæc entia prorsus inutilia esse, non sequitur proinde operationem divinam, quæ ad illa terminatur, fine carere. Etenim, cum in eodem mundo, plurima entia esse supponantur quæ ad eorum finem sunt perventura, cætera, dum etiam libertate sua abutuntur, seseque a fine præstito elongant, aliquod tamen in mundo munus adimplere possunt, tanquam media, vel occasiones, quibus electi magis ad virtutem excitantur, sicque ad eorum finem tutius deducuntur. Sic, Deo ordinante et dirigente, malum ipsum ad finis mundi consecutionem inservire potest. Sic ipsimet peccatores, licet inviti, Dei consilium exequuntur; ideoque, quamvis eorum culpa, finem cui primitus et ex eorum natura destinabantur, nunquam sint assecuturi, fine tamen in mundo carere dici non possunt. Ergo, etc....

264. Corollarium. — Ex eo quod inter entia a Deo creata, aliqua esse possint quæ a fine ipsis imposito sese avertant, sequitur voluntatem, qua Deus decernit creaturas ad earum finem perventuras fore, essentialiter eamdem pro his omnibus non esse; alioquin eadem foret pro omnibus ipsius efficacitas. Discrimen istud enuntiant Theologi dicendo: Deum ad beatitudinem prædestinare vel non prædestinare. Quomodo utrumque concipi debeat, diversimode auctores explicant, pro sententia diversa quam propugnant, tum circa naturam divini concursus, tum circa medium scientiæ Dei relative ad facta contingentia. Gravissimam hanc et difficillimam quæstionem ne leviter quidem delibare hic possumus. Illius igitur expositionem et solutionem Theologis relinquimus.

265. Conclusio. — Ex omnibus quæ in hujus Tractatus decursu fuerunt exposita, concludere quidem debemus ideam qua Deus nobis sese manifestat, valde incompletam et imperfectam esse. Quoties enim, in divinis perfectionibus, sive in

seipsis perscrutandis, sive inter se conciliandis, obvia habuimus mysteria altissima, quæ rationis nostræ limites et ignorantiam agnoscere nos coegerunt!

Attamen, si sedula mente percurramus quidquid de natura divina cognoscimus et intelligimus, inveniemus utique, non unde ratio nostra glorietur et superbiat, sed unde grates Deo referamus, quod in densissimis tenebris quibus obvolvimur, ens tamen illius infinitum contemplari, illius nobis existentiam demonstrare, et in eo tot et tanta admiratione dignissima detegere nobis concedat.

Dum autem exemplaris tam præcelsi totius veritatis et bonitatis cognitione mentes nostræ illuminantur, utinam et corda nostra illius amore inflammentur et inardescant! Utinam, cætera omnia in ipso et propter ipsum diligentes, huic soli nunc adhæreamus, ut olim, hujus vitæ cursu peracto, perfecta illius contemplatione frui mereamur!

Hæc enim esse debet ultima laborum nostrorum meta, hic vitæ finis, hæc summa beatitudo.

In id igitur toti incumbamus, id exoptemus, id indefesse a divina misericordia expostulemus; hocque sit unicum cordis nostri votum quod piissimus auctor his verbis tanto affectu exprimebat: *O veritas Deus, fac me unum tecum in charitate perpetua!* (*Imit. Christi*, l. 1, c. 3).

La révélation nous a beaucoup aidée ; nous a donné de Dieu la vraie idée et nous n'avons fait que reconnaître la rationabilité de tout ce qu'elle nous enseigne.

EXPLICIT THEODICEA.

APPENDIX AD THEODICEAM.

PRÆCIPUI ERRORES, QUIBUS IMPUGNATA FUIT EXISTENTIA DEI, HISTORICE EXPONUNTUR.

1. Errores in hac Appendice exponendi enumerantur. — Triplex circa existentiam Dei distingui potest error : *Atheismus* nempe, quo existentia hæc penitus tollitur ; *pantheismus*, quo a cæterorum entium existentia non satis distinguitur ; *Polytheismus* demum, qui denegat Deo attributa ipsi quatenus existenti propria, in primis vero ipsius unicitatem.

Errorum hujusmodi expositionem historicam huc remittere satius duximus, ne materiarum tractandarum seriem abrumpere cogeremur (1).

I° *De Atheismo.*

2. Atheismi notio. — Quid per atheismum intelligi debeat inter auctores non convenit. Quidam nempe hanc appellationem applicant quibuslibet erroribus quos circa Deum philosophi professi sunt, ea ratione ducti, quod hujusmodi errores, etsi Dei negationem aperte et explicite non includant, ad ipsam tamen logice deducunt. Sic, inter atheos computare non reverentur Platonem aliosque fere omnes Græciæ philosophos, qui circa attributa Dei sæpius errarunt, ipsi, v. g., potestatem creandi denegando. Hunc tamen loquendi modum non admitteremus,

(1) Quod spectat ad confutationem errorum, de quibus agitur, nihil in hac Appendice addendum esse existimavimus iis quæ in secunda Theodiceæ Parte dicta fuerunt. Ibi enim posuimus principia quæ illam confutationem saltem implicite continent. Horum applicatio ad singulas doctrinas, quæ nunc exponendæ veniunt, confutandas, facilis erit, utilemque tironibus exercitationem præbebit.

nec sine quadam injustitia, tot et tantis viris credimus atheismi notam inuri. Licet enim omnis error circa Deum ad ipsius negationem logice ducat, fieri tamen potest ut qui errorem admittit ejus consectarium non advertat ; proindeque nihilominus Deum sincere existere credat. Præterea, hæc opinio, si urgeretur, ad hanc conclusionem deduceret, quod omnis error, cujuscumque sit naturæ, ab atheismo non discreparet ; cum enim omnes veritates inter se intimam habeant connexionem, nulla est cujus negatio ad aliarum omnium negationem deducere non possit.

Per atheos igitur eos tantum intelligimus *qui existentiam alicujus numinis, id est, naturæ entibus finitis, quæ mundum hunc aspectabilem constituunt, superioris, non admittunt.*

3. Atheismi species. — Hoc autem triplici modo evenire potest : *negative* scilicet, *practice* et *positive.* Hinc tres præcipuæ atheorum species hic secernendæ. — Athei *negativi* illi sunt qui Deum non admittunt, eo quod ipsum ignorent, id est, illius notionem reflexam non habent. Tales sunt infantes ante usum rationis, amentes, etc. — Athei *practici* ii sunt qui de Dei existentia non curantes, non quidem eam expresse et propriis verbis denegant, sed perinde ac si rejicienda foret, vitam agunt. — Athei *positivi* ii sunt qui Dei notionem habentes, ipsius existentiam expresse impugnant. Hi iterum in *scepticos* et *dogmaticos* subdividi possent, prout vel de existentia Dei solummodo dubitant, vel ipsum non existere se certos esse prætendunt.

4. Atheismi existentia. — An revera athei, prout illos nunc intelligimus, possint existere, seu an existere possint homines qui, vel nullam Dei notitiam unquam habuerint, vel fidem in illum e cordibus suis penitus eradicaverint, expendunt auctores. Hæc statuenda videntur.

1° Quod spectat ad atheos *negativos*, vel agitur de hominibus in statu sociali degentibus, suarumque facultatum intellectualium usu fruentibus, vel de hominibus qui, quacumque de causa, ad expeditum rationis usum non pervenerunt. — In prioribus quidem difficile supponi posse videtur hæc Dei completa nescientia quæ atheismum negativum constituit. Nulla enim unquam exstitit societas in qua, non obstantibus ignorantia morumque corruptela, aliqua Dei notio saltem confusa et imperfecta servata non fuerit. Porro, vix possibile concipitur inter talis societatis membra aliquem hominem inveniri, qui notionem hujusmodi, una cum aliis documentis quæ a societate dantur, non acceperit. In contrarium tamen quædam facta cicantur, et in primis exemplum puellæ quæ

in media Parisiorum civitate vitam agens, ad nubilem ætatem pervenerat, nec quidquam de divinitate adhuc audierat. — Quantum vero ad posteriores, ipsos Deum reflexe non cognoscere, fieri posse concipitur. Imo, hujusmodi atheismum exstitisse plurima testantur exempla. Scilicet, inter atheos negativos merito computantur : 1° homines illi qui, ut fertur, ab omni hominum commercio segregati, sine ullis ideis intellectualibus et moralibus reperti fuerunt. 2° Idem dici debet probabiliter de surdis-mutis qui, licet in societate degentes, educationem tamen excultam communiaque documenta accipere non potuerunt ; illi enim, ut constat testimonio eorum qui postea edocti fuerunt, vix ullam in hoc statu ideam intellectualem reflexam habuerunt. — Ex illa autem atheorum negativorum possibilitate et existentia immerito concluderetur Dei cognitionem homini naturalem non esse : homines enim, de quibus hic agitur, in statu naturali non versantur. (Cf. Ubaghs, *Theod.*, n. 37.)

2° Quod athei *practici* plurimi exstiterint, et etiam nunc existant, dubitari nequit, ut luctuosa nimis testatur experientia..

3° De atheis autem *positivis*, libenter diceremus cum Feller (*Cat. Philos.*, l. 1, c. 1) : 1° Nullum unquam hominem exstitisse qui, omnibus argumentis quibus demonstratur et impugnatur Dei existentia, mente sedata præjudiciisque et cupiditatibus vacua pensatis, atheismum postea bona fide admiserit, intimaque persuasione crediderit Deum non existere. — 2° Absolute tamen fieri posse concipitur aliquos homines inveniri quorum intellectus eo usque sophismatibus et præsertim cupiditatibus depravatus fuerit, ut per tempus breve dubitaverint Deum existere. — 3° At fieri non posse videtur quod dubium istud, per totam eorum vitam, bona fide perseveret. Adeo enim profunde fides in Deum in hominis natura fundatur, adeo perspicua sunt et gravia rationum momenta, quæ primam hanc veritatem astruunt, ut aliquis homo rationis usu præditus excogitari non possit, in cujus mente, lumen veritatis tenebras sophismatum hoc circa punctum non depellat, qui ideo, saltem interdum, Deum existere in intima conscientia persuasum non habeat.

5. Atheismi causæ. — Admittendum est igitur dubium aliquod circa existentiam Dei homini esse possibile, saltem per aliquod tempus. Hinc de causis, quæ tale dubium producere possunt, nonnulla hic subjungere non inutile judicavimus.

Duæ præcipuæ assignari posse videntur : *abusus* scilicet *intellectualium facultatum*, et *depravatio voluntatis*.

1° Intellectualium facultatum abusu in atheismum incidere possunt : 1° Semidocti qui cum scientiis aliqualem operam dederint, nonnullamque causarum naturalium quibus mundi phænomena producuntur, cognitionem acquisierint, in his causis velut in ultima rerum ratione sistunt, non animadvertentes illas ipsas ab aliquo principio existentiam vimque operandi accepisse. De his locutus est Baco in hoc textu toties citato : *Leves gustus in philosophia movere fortasse posse ad atheismum, sed pleniores haustus ad religionem reducere.* (*de Aug. scient.*, l. 1.) — 2° Citantur etiam exempla quorumdam hominum qui, mathematicis demonstrationibus exclusive assuefacti, eo usque devenerunt, ut omnem rejecerint certitudinem præter mathematicam : cum autem cernerent Dei existentiam per formulas algebricas demonstrari non posse, illam tanquam dubiam aut nonnisi probabiliorem tantum habuerunt. Hinc tamen inepte prorsus concluderetur a scientiis mathematicis ediscendis veluti periculosis esse abstinendum : nullam enim rem optimam esse qua sæpe sæpius homines abusi non fuerint nemo nescit. Sufficienter vero harum scientiarum præcavebuntur abusus, modo ii qui illis dant operam, disciplinas philosophicas interdum non negligant ; sed earum studio simul assidue incumbant. — 3° Non raro tandem evenit ut ad eumdem errorem deducti fuerint illi qui scientiis anatomicis se dederunt, et qui, naturam hominis materialem unice attendendo, de ipsiusque anima nil curando, ad omnimodam substantiarum spiritualium proindeque divinæ naturæ negationem adducti fuerunt.

2° At longe frequentior atheismi causa in voluntatis depravatione invenitur. Multi scilicet Deum esse negant, eo quod Deum non esse ipsorum maxime intersit. Etenim, cum illius notio includat ideam severi justique judicis, quem reformidare debent quicumque libidines suas refrenare nesciunt, facile concipitur quomodo pravis affectibus excæcati, Deum quem timent non existere sibi demum persuadeant. Nemo siquidem ignorat quantum in judicia hominum habeant influxum illorum voluntatis desideria. — Hinc quidam affirmare non dubitarunt voluntatis depravationem solam esse veram causam atheismi quem plurimi jactitant. « Je voudrais, ait La Bruyère, voir un homme sobre, » modéré, chaste, équitable, prononcer qu'il n'y a point de Dieu » ou point d'âme immortelle : il parlerait sans intérêt. Mais cet » homme ne se trouve pas. » (*Caract.*, c. 16.) Ipse J.-J. Rousseau in eodem sensu sic loquitur : « Tenez votre âme en état de » désirer toujours qu'il y ait un Dieu, et vous n'en douterez

» jamais. » Et revera si atheismi historiam percurramus, nobis constabit eum præsertim viguisse in his temporibus, et apud illos populos, in quibus antiqui mores longo *civilisationis* usu corrupti fuerant; sicut evenisse nemo nescit apud Græcos et Romanos in ultimis harum nationum temporibus, et apud nos in seculo proxime elapso.

6. Atheismi effectus. — Expendere solent auctores quinam forent pro societate humana atheismi effectus practici, in hypothesi impossibili quod nefanda hæc doctrina ab omnibus hominibus, aut saltem a majori eorum parte, serio admitteretur. Plurimi auctores asserere non dubitant, fide in Deum e corde hominum semel eradicata, societatem nequaquam subsistere posse, eo quod conditiones essentiales illius existentiæ, et in primis constitutio auctoritatis et moralitas privatorum, impossibiles redderentur. Nec infirmum huic opinioni fundamentum præbet Historia. Ipsa enim teste, nulla unquam exstitit societas quæ fidem in Deum non retinuerit.

Cum his auctoribus libenter staremus. Quidquid sit, omnes concedere debent atheismum, alterius vitæ pœnas et remunerationes auferendo, validissimam legis moralis sanctionem auferre, sicque societati grave detrimentum afferre.

7. Præcipuæ atheismi formæ. — Ut hanc atheismi expositionem concludamus, quædam addere debemus tum de præcipuis systematibus philosophicis quæ atheismum propugnaverunt, tum de celebrioribus illorum patronis.

Quoad varia atheismi systemata, observandum est illa fuisse excogitata ad explicandam mundi originem, quæ, Deo negato, in creatione reponi non potest. Athei, ut ab hac difficultate sese expedirent, duplicem viam inierunt, aliis scilicet ad necessitatem absolutam, aliis ad casum fortuitum recurrentibus. Hinc *fatalismus* et *casualismus* qui, ut duæ atheismi formæ, vulgo traduntur. Hanc duplicem formam nonnulli simul propugnaverunt, necessitatem agnoscendo tanquam causam existentiæ entium mundanorum, ad casum vero recurrendo ut ordinem in illorum dispositionee xistentem explicarent. Ita in primis systema percelebre *atomorum*, cujus præcipui propugnatores olim fuerunt Leucippus, Democritus et Epicurus. Hujus systematis summa hæc est.

1° Omnium rerum quæ existunt duo tantum agnoscenda sunt principia : *inane* seu *vacuum* et *atomi*.

2° Per *inane* intelligunt præfati auctores spatium purum un-

dequaque circumfusum, quod sibi repræsentabant velut immensam capacitatem corporibus continendis aptam. Ab æterno existebat nullisque limitibus circumscribebatur.

3° De *atomis* hæc tenebant : 1° Atomi (α priv. τεμνω, seco) sunt particulæ materiales numero infinitæ ; sic vocantur propter indivisibilitatem qua, licet extensæ, præditæ existunt. 2° Atomi æternæ sunt et necessariæ. 3° Diversas habent formas, ita ut aliæ sint oblongæ, aliæ sphæricæ, aliæ triangulares, aliæ uncinatæ, etc... 4° Juxta Leucippum atomi ferebantur in spatio a summo deorsum, juxta lineas rectas. Epicurus vero, cum intellexisset atomos nunquam, hujusce motus ope, sibi invicem adhæsuras fore, alium ipsis tribuit motum, *clinamen* appellatum, vi cujus, a linea recta paulisper deflectunt.

4° His de natura, sive *inanis*, sive *atomorum*, præsuppositis, sic explicatur, absque ullo divinitatis concursu, formatio mundi. Atomi ab æterno movebantur in spatio, juxta lineas rectas et parallelas. Cum autem, per motum *clinaminis*, ab hujusmodi lineis paululum deflexissent, in se invicem impegerunt, et propter formarum diversitatem, aliæ aliis adhæserunt. Hic mere fortuitus atomorum concursus mundo, quem nunc conspicimus, et cujus ordinem et pulchritudinem miramur, originem dedit. Nec dicatur casui fortuito opus adeo excellens tribui non posse. Ordo enim præsens nihil aliud est quam una ex infinitis combinationibus atomorum inter se ; posito igitur quod in se invicem atomi impegerint, non magis impossibile est hunc ordinem ex illarum combinatione prodiisse, quam quemlibet alium. Et reipsa cum atomi ab æterno moveantur, necesse est ut successive percurrant omnes combinationes possibiles quas sua unione producere possunt ; ordo igitur præsens suo loco advenire debuit : motus autem atomorum qui illum produxit, eumdem destruet, ut novam combinationem inducat, et sic deinceps per totam æternitatem.

8. Atheismi defensores. — Atheismi errorem plurimi tum apud veteres, tum apud recentiores propugnaverunt. Præcipuorum nomina hic referemus.

1° Inter veteres, ut atheismi fautores præcipue prædicantur : *Anaximander* et *Anaximenes* ambo e schola *ionica* a *Thale* fundata : *Theodorus*, cognomento *Atheus*, ex schola *cyrenica* : περι θεων, pour mon *Strato Lampsacenus*, ex schola *peripatetica*, cum pluribus aliis qu'il n'y en a pas. ejusdem scholæ : *Epicurus* scholæ ejus nomine insignitæ fundator, et plerique ejus discipuli, quorum celeberrimus fuit *Lucretius*. Hic apud Romanos Epicuri doctrinam propagare studuit, et

atheismum quem Epicurus subobscure tantum edocuerat, aperte professus est, versibusque exornavit in opere cui titulus : *De natura rerum*.

2° Inter recentiores, præcipui ejusdem doctrinæ fautores sunt : *Joan. Becker*, medicus Germanus, de quo habetur precationis formula quam ad matrem omnium naturam dirigere solebat : *de Maillet*, auctor libri cui titulus : *Telliamed* ou *Entretien d'un philosophe indien avec un missionnaire français sur la diminution de la mer* : *Baro d'Holbach*, auctor libri cui titulus : *Système de la nature* : astronomus *Lalande* qui, vanæ gloriæ causa, atheismum profitebatur : demum medicus *Cabanis* de quo narratur quod in media Academia, cum juramento publice asseruerit Deum non existere, utque nunquam illius nomen quis ibi pronuntiaret, sacrilegum votum non erubuerit emittere.

II° De Pantheismo.

9. Pantheismi naturam ipsiusque varias formas jam definivimus. Quinam autem fuerint in diversis temporibus præcipui illius propugnatores nunc breviter dicendum.

10. Pantheismus apud Indos. — Schola pantheistica quæ, ut videtur, cæteras omnes antiquitate præcellit, ea est quæ apud Indos etiam nunc viget. Illius asseclæ vulgo *Vedantistæ* dicuntur, eo quod doctrinam in libris *Vedas*, qui apud Indos sacri habentur, contentam, sequi gloriantur. Hujus sectæ præcipua dogmata sic exponi possunt.

1° Brahma solus existit : quidquid Brahma non est, ut illusio vana est habendum. Hoc totius vedantianæ philosophiæ principium ex ipsa Brahmæ natura sic deducunt Vedantistæ. Brahma est ens infinitum et absque limitibus ; nihil igitur extra ipsum existere potest, nisi quod ipse produxerit : porro nulla productio possibilis concipitur ex parte Brahmæ; alioquin in ipso contineretur principium limitationis et multiplicis ; quod ipsius infinitati repugnat.

2° Homo, relative ad veritatem, duobus in statibus spectari potest, quorum alter vigiliæ, alter vero somno respondet. Quando scilicet mundum et seipsum ut entia a Brahma distincta considerat, totus in somnis vanisque illusionibus versatur : quando autem in Brahma rerum universalitatem agnoscit, tunc vere

vigilat et pervenit ad scientiam. Imagines tamen quas homo dum *somniatur* percipit, ipsum adjuvant ut concipere valeat quomodo omnia in Brahma existant. Hic enim est velut moles argillacea cujus innumeræ formæ entia particularia repræsentant; velut aranea æterna quæ e substantia sua creationis telam producit; velut ignis in quo centena effulgent scintillarum millia; velut demum Oceanus cujus fluctus, spumæ, guttæ, in earum infinita varietate, unicum Oceanum efformant.

3° Quando in illusionis statu Brahma consideratur, nobis apparet ut agens simul et patiens, quatenus ipse operatur, et in se recipit omnes transformationes apparentes quas conspicimus. At, extra hanc illusionem, unica nobis apparet substantia absque distinctione et forma, unitatemque puram constituens, in qua cognitum et cognoscens, agens et patiens identificantur. In hoc posteriori statu liberamur ab errore qui consistit in existentiarum individualium affirmatione: ab ignorantia; is enim qui Brahmam affirmat omnia cognoscit : a peccato ; in Brahma enim justum et injustum non distinguuntur : ab omni actione ; ad hanc enim requirerentur subjectum et terminus distincta; ea autem in perfecta Brahmæ unitate inveniri nequeunt : demum ab omni desiderio et affectu ; qui enim cognoscit Brahmam scit se omnia in ipso possidere.

4° Attamen, quandiu in hac versamur vita, non possumus illusorias imagines non percipere, quemadmodum homo e somno excitatus eorum meminit quæ in somniando cogitavit. Sed post mortem, sapientis anima a qualibet illusione liberatur; cujuslibet formæ, individuationis et nominis memoriam amittit, et, fluminum instar, quorum nomen et aquæ in Oceano absorbentur et evanescunt, sic ipsa in Brahma tota absorbetur. (*Précis de l'Histoire de la philosophie*, par MM. Salinis et Scorbiac.)

11. Pantheismus parmenidis. — Plures apud græcos propugnatores invenit pantheismus. Cæteris autem omissis, doctrinam Parmenidis, e schola eleatica, circa annum 500 ante Christum, solummodo exponemus.

Hujus doctrinæ præcipua puncta hæc sunt. — 1° Ens existit; illud enim cogitamus; nihilum autem cogitari non potest. — 2° Ens, cujus realitatem admittere cogimur, æternum esse debet. Si enim incœpisset, vi alicujus productionis exstitisset. Porro, ens vi productionis existere essentialiter repugnat. Etenim, ens quod productum supponitur, provenit ex eo quod jam existebat, vel ex nihilo. In priori casu, productio non est. In posteriori autem manifesta invenitur contradictio : nam *ex nihilo nihil*

fit. — 3° Ens illud est etiam essentialiter unum. — 4° Realitas entis non demonstratur nisi per cogitationem, quæ ad illud objective terminatur. Sed objectum cogitationis ab ipsa realiter non distinguitur. Nihil igitur existit præter cogitationem. — 5° Demum, ex his omnibus concluditur varietatem quam in mundo, sensuum ope deprehendimus, meram illusionem esse.

12. Pantheismus gnosticorum. — Inter hæreticos qui, in primis Ecclesiæ seculis, *gnosticorum* nomine designabantur, plurimi pantheismum, præsertim in sensu emanationis, propugnaverunt. Præcipue citari meretur Valentinus, initio II seculi natus.

Juxta illum : — 1° In principio unicum ens existebat quod *abyssi* (βυθός) nomine designat. — 2° Ens illud ex seipso per emanationem produxit alia entia, quæ et ipsa novarum emanationum principia fuerunt, et sic deinceps. — 3° Eadem via productus est mundus hic aspectabilis. Illius productio debetur enti quod *Demiurgum* appellant : Demiurgus idem est quem Judæi Jehovæ nomine adorabant. — 4° Quidquid igitur existit, de substantia primi principii seu *Abyssi* participat, licet in diverso gradu. Ideoque demum unica substantia est admittenda.

13. Pantheismus scholæ Alexandrinæ. — Neoplatonici scholæ Alexandrinæ, dum veteres philosophos secum conciliare conarentur, ad systema pantheisticum devenerunt, quod ad sequentia puncta reduci potest. — 1° Ideæ sunt sola realitas proprie dicta. — 2° Ideæ in se invicem includuntur. Scilicet, quæ, inter illas, particulares sunt, continentur in universalibus, universales in aliis quæ sunt iterum magis universales; sicque demum devenitur ad ideam ita universalem ut in alia contineri non possit. Hæc constituit unitatem supremam, a qua cuncta profluunt, et quæ sola per se existit. — 3° Ex hac unitate profluit primum *intelligentia suprema*, postea *anima*, demum ipsa *materia*. — 4° Unio animarum cum materia producit mundum quem incolimus. — 5° Animæ post aliquod tempus probationis, a materiæ vinculis liberabuntur, et ad unitatem unde exierunt redibunt, ut in ea iterum absorbeantur.

14. Pantheismus Scoti Erigenæ. — Nonnisi rarissimos propugnatores in Medio-Ævo pantheismus adinvenit. Aliquam tamen mentionem meretur Scotus-Erigena, qui IX seculo floruit. Ipsius doctrinæ summa hæc est. — 1° Sola realitas proprie dicta est causa universalis quæ vocatur *essentia*. Ratio est quod res non differat ab hujusce rei intelligentia; unde sequitur quod causa universalis,

quæ omnia intelligit, *omnia* quoque *esse* debet. — 2° Productio rerum a causa suprema, seu ab essentia, concipi debet tanquàm communicatio quædam hujus causæ, quæ sese in diverso gradu præbet participandam primum a rebus superioribus, postea ab inferioribus. — 3° Res sic productæ ad essentiam productricem iterum confluere debent, ut in ea absorbeantur. Hic reditus rerum ad earum causam vocatur *Deificatio*.

15. Pantheismus Spinosæ. — Benedictus Spinosa, Amstelodami seculo decimo septimo natus, pantheismum docuit, ipsumque magno cum apparatu definitionum, axiomatum, propositionum... demonstrare conatus est. Hæc est ipsius doctrinæ summa. — 1° Unica existit substantia cujus omnia entia individualia non sunt nisi formæ. — 2° Ea substantia quam æternam, necessariam, infinitamque prædicat, duo habet attributa essentialia, *cogitationem* nempe et *extensionem*. Cogitationis modi finiti sunt mentes particulares ; extensionis vero modi finiti sunt corpora. — 3° Cum in substantia necessaria omnia necessaria esse debeant, quidquid fit in mundo, absolutæ necessitati subjacet : libertas igitur non existit, voluntatisque determinationes necessario producuntur à causis quæ et ipsæ ab aliis necessario producuntur, et sic in infinitum. — 4° Substantiam unicam Dei nomine appellat Spinosa. — 5° Deus autem non existimandus est vitam habere personalem, qua suiipsius conscientiam habeat, sitque, ut aiunt, sui juris. Non enim seipsum cognoscit et amat nisi in homine, in quo solum cogitat, vult et sentit. Vita igitur Dei nihil aliud est quam ipsius manifestatio per varias entium finitorum formas : hæc autem manifestatio infinita est et absque termino ; unde ulterius sequitur quod vita divina nunquam plena et completa sit. histoire de la philosophie [illegible] Bouillet – Cours de droit naturel par Jouffroy.

16. Pantheismus scholarum recentiorum Germaniæ. — Spinosæ pantheismum, e memoria fere omnium jam excisum, in lucem rursus produxerunt, nostris temporibus, Germaniæ philosophi. Huic pantheismi instaurationi originem dedit kantiana Philosophia, licet ipse Kantius hunc errorem, expresse saltem, non docuerit. Ille nempe philosophus, cum, ex una parte, contendisset rationem, quam *theoreticam* vocat, nullam certitudinem objectivam dare posse, scepticismum tamen vitare sibi visus fuerat recurrendo ad rationem *practicam*, ab ipsaque postulando principium certum, quo e dubio universali emergeret. Ipsius autem discipulis haud difficile fuit animadvertere posteriorem hanc kantiani systematis partem, circa rationis practicæ dictamina,

Nos idées ne sont que des sensations transformées; [illegible] que nous, nos idées ne sont [illegible], donc nous sommes sceptiques objectifs.

priori ejusdem systematis parti contradicere. Ut igitur magistri principia retinendo, ipsius tamen scepticismum vitarent, aliam viam sequi tentaverunt, quæ nihil aliud fuit quam negatio cujuslibet distinctionis inter subjectum cogitans et objectum cogitatum. Hac enim distinctione negata, evidens est nullum superesse locum difficultati a Kantio propositæ circa transitum ab uno ad alterum. Porro, triplici modo hanc subjecti et objecti identificationem propugnaverunt Kantii discipuli : unde triplex systema.

1° Joannes Theoph. Fichte, jam ab anno 1814 vita functus, suum systema præcipue edocuit in opere percelebri, cui titulus : *Principes fondamentaux de toute la doctrine de la science.* Ibi nempe problema circa possibilitatem transitus a subjecto ad objectum, quod insolutum Kantius reliquerat, ipse solvere existimat collocando totam realitatem in subjecto, quod *Ego* nuncupat, et in quo subjectivum et objectivum identificantur. Nihil juxta Fichteum realiter existit, præter *Ego ;* omnia igitur entia, sive materialia, sive spiritualia quæ concipimus, nihil aliud sunt quam formæ quas induit, aut manifestationes quibus vim activam qua pollet exerit. Hinc illa entia non existunt, nisi vi cogitationis nostræ, quæ, in sensu hujus vocis strictissimo, dici debet illa creare ; ita ut etiam non amplius existant, statim ac ab ipsis mens suam retrahit cogitationem. Quoad modum quo fit hæc creatio entium ab *Ego*, doctrina Fichtei ad sequentia puncta reduci potest. — 1° Το *Ego*, ope activitatis ipsi inhærentis, sese primum evolvit modo absoluto, ad instar vis infinitæ quæ, in quacumque directione simul agendi proprietate frueretur. — 2° Huic autem evolutioni, ipsummet Ego, vi propriæ essentiæ, limites ponit. Tunc, perinde ac si cuidam scopulo impingeret, in seipsum redire cogitur. Hoc regressu, το Ego sui conscientiam acquirit, seipsum nempe, propriæ cogitationis objectum constituit, sicque notionem distinctam subjecti et objecti acquirit. — 3° Sed το Ego, quatenus est objectum, a seipso, quatenus subjecto, tanquam *non-Ego* apprehenditur. Sic determinatum, universas induit formas quas, cogitationis ope, τῳ non-Ego tribuimus. Sic nascuntur varii conceptus, tum corporis nostri, tum entium multiplicium et finitorum, quæ mundum constituunt, tum etiam infiniti. — 4° Dum autem omnia hæc το Ego creat, per suam cogitationem, in illis semper identicus remanet : sicque demum omnia quæcumque existunt in illo identificantur.

2° Freder. Guillel. Schelling, in Germania olim philosophiæ professor, admittit, sicut et præcedens, identitatem absolutam

inter subjectum cogitans et objectum cogitatum. Unica autem realitas non est juxta ipsum τὸ *ego* subjectivum, prout docuerat Fichteus; sed *ens* in sensu maxime generali spectatum : illud designat nomine *absoluti*. Absolutum essentiali activitate donatur qua sese duobus modis præcipuis manifestat, modo nempe *ideali* et modo *reali*. Prior manifestationis modus phænomena quæcumque subjectiva comprehendit, quæ constituunt *philosophiam transcendentalem* : posterior vero omnia objecta corporea includit, quæ efformant *philosophiam naturæ*. — Absolutum sic in duas partes quasi divisum, ad perfectam redit unitatem in τῷ *ego*, quod simul objectivum et subjectivum in suo conceptu comprehendit.

3° Georg. Guillel. Hegel, paucis ab annis defunctus, Schellingii, discipulus fuit. Postea vero philosophiæ systema et ipse edidit, quod a doctrina magistri præcipue differt ex parte methodi, necnon demonstrationum quæ in systemate Schellingii penitus desunt, quibus vero Hegelius suam philosophiam fulcire conatus est. Principium unicum quod Schellingius *absoluti* nomine designaverat, ipse *ideam* vocat. Unde ipsius systema *philosophiæ ideæ* nomen accepit. Ad hoc autem principium detegendum sic procedit celeberrimus auctor.

1° Observat omnes mentis conceptus ad ideam entis, ope analysis, facile posse reduci. Ens autem a nobis concipitur variis insignitum characteribus, v. g., unius et multiplicis, materialis et spiritualis, absoluti et relativi, finiti et infiniti. Horum entis characterum proprium est ut, dum ex una parte se invicem necessario supponant, ex alia parte se destruant. Sic, v. g., finitum concipi nequit absque infinito, nec infinitum absque finito : attamen finitum et infinitum sese mutuo destruunt ; finitum enim excludit infinitum, quemadmodum et ipsum ab infinito excluditur. Hinc necessitas inquirendi, ultra finitum et infinitum, alterum terminum qui nec finitus sit, nec infinitus ; sed uterque fieri possit ; terminus ille est idea entis in sensu generalissimo spectati, id est, entis absque ullis proprietatibus, modis et determinationibus.

2° Idea hæc entis indeterminati aliam ideam supponit, ideam videlicet *nihili*. Ens enim concipi nequit, quin simul nihilum concipiatur, quemadmodum nihilum nemo concipere potest nisi simul ens concipiat : ideæ igitur *entis* et *nihili* sunt ideæ correlativæ. Non tamen inter hujusmodi ideas ea intercedit oppositionis relatio quam inter qualitates entis modo deprehendimus.

Ens enim, de quo agitur, cum sit quibusvis proprietatibus destitutum, nec in eo quidquam determinationis apprehendi possit, a nihilo reipsa non differt ; hinc principium istud Hegelii fundamentale : *Nihilum et ens identificantur*.

3° Res tamen illa seu, ut ita dicam, illud *ens-nihilum* a nihilo absoluto distingui debet : est enim quoddam medium inter ens proprie dictum et nihilum absolutum ; hoc medium Hegelius vocat *τὸ fieri* (*le devenir*), eo quod quamvis adhuc aliquid reale non sit, potest tamen aliquid fieri ; hoc etiam designat nomine *ideæ*.

4° Illud autem *τὸ fieri* seu illa *idea* triplici modo sese evolvit ac manifestat, nempe 1° per notiones abstractas, sicque constituit *logicam ;* 2° per phænomena orbis materialis, sicque efformat *naturam ;* 3° per phænomena intellectualia spiritibus propria, sicque producit *genus humanum* quod est ipsius manifestatio perfectissima (D. Maret., *Théod. chrét.*, leç. 18).

17. Pantheismus scholarum Galliæ recentiorum. — Breviter dicemus 1° de pantheismo D. Cousin, 2° de pantheismo san-simonianorum, 3° de pantheismo D. Leroux.

1° D. Cousin scholæ eclecticæ apud nos pater, plurimos edidit libros in quibus pantheismum docuisse videtur. Etenim, iisdem fere rationum momentis ac ipse Spinosa innixus, substantiæ unitatem profitetur. Hinc deducit impossibilitatem creationis proprie dictæ, in sensu nempe eductionis e nihilo. Retinet tamen creationis nomen, sed ipsam habet tanquam merum phænomenon quo ens divinum manifestatur exterius ; creationemque in hoc sensu intellectam non possibilem tantum, sed necessariam, æternam et infinitam prædicat. Postea tamen quæ de his rebus scripserat in alio sensu esse intelligenda asseruit D. Cousin, longeque a se repellere conatus est pantheismi insimulationem : qua in quæstione discutienda hic non immoramur (Cf. D. Maret, *op. cit.*, leç. 20).

2° San-simonianorum doctrinæ pantheismum quoque pro fundamento habent. Duo etenim docent quæ pantheismum proprie constituunt, identitatem nempe substantiæ et creationis e nihilo impossibilitatem.

3° P. Leroux san-simonianorum sectæ olim addictus, novam edidit doctrinam quæ pantheismum et ipsa includit. Admittit enim substantiæ identitatem, creationis e nihilo impossibilitatem, creationis vero in sensu emanationis necessitatem. Pantheismi tamen accusationem a se repellit, eo quod pantheistæ vulgo in

Deo non agnoscant vitam personalem a mundi existentia distinctam, dum, juxta ipsum, entia individualia tot personæ sunt, tum a Deo, tum a se invicem distinctæ, quamvis de eadem substantia participent. — Huic pantheismi systemati favere videtur D. de Lamennais in suo opere quod inscribitur : *Esquisse d'une philosophie*.

18. Observationes — Compendiosæ huic doctrinarum pantheisticarum expositioni nonnullas subjungemus observationes.

1° Quomodo triplex pantheismi forma nuper a nobis determinata (*Theod.*, n. 103, 104 et 105), *emanatismus* nempe, *formalismus* et *idealismus*, in his variis systematibus, propugnetur, haud difficile ostendi potest. Generatim loquendo, veteres scholæ pantheisticæ, emanatismum propugnant. Formalismus præcipue invenitur in systemate Spinosæ. Idealismus vero a Vedantistis et Eleaticis jampridem propugnatus, apud recentiores Germanos strictiorem induit formam.

2° Si attente considerentur fundamenta doctrinarum modo expositarum, perspectum fiet earum auctores multiplici de causa ad identitatem universalem propugnandam fuisse adductos. Prima cui præsertim veterum pantheismus referri debet, fuit mysterium creationis explicandi difficultas. Quomodo nempe Deus mundum ex nihilo eduxisset intelligere non valentes, ad emanationem quamdam confugerunt, cujus imaginem in rebus exterioribus habebant, v. g. in modo quo telam suam producit aranea, quæ ideo intellectu facilior illis videbatur.

Pantheismo germanico aliam causam tribuimus. Præcipue enim fundatur in impossibilitate in qua versabantur Kantii discipuli transeundi a subjecto ad objectum, scientiæque constituendæ, nisi identitatis universalis principium admitterent.

His duabus causis præcipuis, addere possumus confusionem inter ideam entis abstractam et ejusdem ideam concretam, in quam plures inciderunt. Hac nempe confusione delusi, ideæ entis in genere, quæ mera est abstractio, realitatem tribuerunt. Cum autem in singulis entibus ens in genere inveniri debeat, hinc sequitur singula entia quoad ens identificari. In hoc sophisma speciatim incidisse videntur Parmenides et Hegelius.

Tandem origo pantheismi Spinosæ reponi debet, prout jam observatum fuit, in prava interpretatione definitionis vulgaris substantiæ, licet ex impossibilitate creationis idem auctor argumenta sua nonnunquam depromat.

3° Nemo diffiteri potest systemata germanica, præsertimque

systema Hegelii, cæteris omnibus, quoad rigorem logicum, præcisionemque scientificam longe præstare. Imo, haud difficile esset ostendere quodlibet systema pantheisticum ad hoc systema necessario reduci. Cum enim conceptus nostri objective spectati, sese invicem sæpe sæpius excludant, quisquis identitatem universalem propugnat ad hoc demum consectarium, si sibi constare velit, devenire debet, varietatem objectorum quam concipimus mere idealem esse. Hoc autem de facto nihil aliud est quam cujusvis realitatis negatio seu nihilismus ad quem demum pantheistæ, velint nolint, devenire coguntur.

4° Nonnunquam inquiritur utrum reale discrimen adsit inter pantheismum et atheismum. Nullum quidem est systema pantheisticum, quod Dei conceptum plus minusve non adulteret, quod proinde ad Dei negationem logice non deducat. Hoc præsertim verum est de formalismo et idealismo. In his enim systematibus, Deus est vis illa quam existentiam universalem vocant, cujus vita nihil aliud est quam ipsius manifestatio per mundi phænomena, quæ proinde personalitate saltem completa, libertate, intelligentiaque caret. Porro, talis Dei notio ipsius negationi æquivalet. Manifestatio namque Dei per phænomena mundi, quæ ut necessaria, vitamque Dei constituens, a pantheistis exhibetur, nunquam, juxta eosdem, finem est habitura; ergo, semper Deo aliquid deerit ipsius essentiam vitamque constituens; ergo, nunquam dici poterit simpliciter Deum *esse*, sed tantum ipsum esse *in fieri*.

Attamen, pantheismum ab atheismo aliquatenus discrepare censeremus. Dum enim posterior doctrina nihil aliud admittit quam entia finita, a se invicem substantialiter distincta, sicque ideæ infiniti quamlibet realitatem denegat; pantheismus eidem ideæ, licet depravatæ, aliquam realitatem tribuit, sicque nonnullam divinitatis umbram adhuc retinet.

III° *De Polytheismo.*

19. Polytheismi notio generalior. — Polytheismi nomine vulgo designatur error eorum qui unicitatem Deo denegantes indefinitam deorum multitudinem admittunt.

20. Polytheismi formæ. — Innnumeras apud veteres populos induit formas polytheismus ; neque omnium superstitionum in

quas prolapsi sunt homines, veri Dei fide semel derelicta, historiam texere intendimus; præcipuas tantum indicabimus.

1° Inter omnes alias polytheismi formas, crassior et ignobilior fuit *fetichismus* (1). Fetichismus consistit in adoratione naturæ inanimatæ, v. g., *terræ, fluviorum, plantarum*. Quamdam cum pantheismo analogiam habere videtur; uterque enim in naturæ deificatione fundatur. In eo tamen differunt quod pantheismus vulgo non agnoscat nisi unicam naturam divinam sese per phænomena mundi manifestantem; dum fetichismus eamdem naturam quasi in infinitum dilacerat et multiplicat, varia entia mundi, non solum tanquam ejusdem divinitatis manifestationes agnoscendo, sed ut totidem deos a se invicem distinctos. Cultus ille adhuc viget apud nonnullos Indiarum et Africæ populos. Olim autem præcipue fuit in usu apud Ægyptios quibus ipsamet hortorum olera sacra erant. Nota sunt verba Juvenalis hanc illorum superstitionem irridentis :

> Porrum et cepe nefas violare et frangere morsu.
> O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
> Numina!

Quædam tamen citantur testimonia, ex quibus concludi posse videtur quod doctiores inter Ægyptios iis objectis cultum exhibuerint, non ut proprie naturam divinam habentibus, sed ut symbolis attributa divinitatis exhibentibus. — Ad fetichismum referri quoque posset cultus ignis sacri apud Persas, nisi forte, ut pluribus videtur, merus symbolismus hic etiam agnosci debeat.

2° Secunda polytheismi forma est *idololatria*. In usu fuisse apud fere omnes veteres populos, in primisque apud Græcos et Romanos, norunt omnes. Plura etiam Scripturæ testimonia, ut historia vituli aurei a filiis Israel erecti, variaque hac de re Moysis præcepta, probant eam formam a vetustissimis temporibus exstitisse. Imo adeo olim in honore fuit, ut sæpe cultus quilibet polytheistici nomen ipsius, in usu loquendi ordinario, usurpent : idololatræ enim non raro dicuntur quotquot pluribus diis cultum religiosum exhibent. Stricte tamen sumpta, idololatria, ut fert ipsius nomen, consistit in adoratione statuarum et imaginum. Pluribus modis hanc usitatam fuisse testantur monumenta histo-

(1) Sic juxta quosdam nuncupatus a voce Lusitana *festisso*, quæ idem sonat ac gallice *charme*.

rica. Alii enim, præsertim inter ignaros et rudes, statuam et imaginem reipsa adorabant ad instar numinis. Alii statuas et imagines adorabant tanquam receptacula in quæ descendebant dii, ut preces et cultum hominum reciperent. Alii demum has formas exteriores forsan non habebant nisi tanquam symbola divinitatis, ad quam suum cultum unice referebant. Satis patet priores tantum idololatras proprie fuisse.

3° *Zoolatria* seu cultus animalium inter polytheismi formas recenseri quoque meretur. Hunc cultum apud Chaldæos viguisse testatur historia notissima Draconis qui a rege Babylonis tanquam deus adorabatur, et a Daniele propheta fuit occisus. Norunt pariter cultum religiosum ab Ægyptiis præstitum fuisse pluribus bestiarum speciebus et in primis crocodilis, bovi *Apis*, etc..... Nostris etiam temporibus, quarumdam Indiæ regionum incolæ serpentes ut deos adorant, narrantque viatores non raro evenire ut horum numinum cultores sese læto animo eorum morsibus exponant, illis honorem exhibendi causa.

4° Polytheismi quarta forma est *anthropolatria*, sic nuncupata eo quod in hominis deificatione consistat. In usu fuit præsertim apud Græcos quorum præcipua numina, ut Saturnus, Jupiter, etc..., nihil aliud fuerunt, si peritis fidem adhibeamus, quam homines qui suis virtutibus, suis beneficiis erga genus humanum, imo et quandoque suis sceleribus, insignes effecti sunt, et post mortem divinis honoribus digni sunt reputati. Talis erat etiam cultus qui, in ultimis Imperii Romani temporibus, imperatoribus mortuis reddebatur. Plurimi quoque anthropolatriæ formam reperiri arbitrantur in cultu Avorum mortuorum apud Sinenses. Percelebre demum hujus superstitionis monumentum nobis exhibet, in Thibeto et vicinis regionibus, cultus religiosus qui, a *Boudd'ha* ipsius fundatore, *Boudd'haïsmi* nomen accepit. Hujus nempe sectæ fautores tanquam dogma tenent Boudd'ha, quem Deum prædicant, perpetuo incarnari, seseque suis cultoribus visibilem præbere, formam humanam assumendo. Honoribus igitur divinis prosequuntur eum qui talis incarnationis in seipso factæ, signa sufficientia exhibere potest.

5° Una ex antiquioribus polytheismi formis est *sabæismus*. Vox illa ex duabus vocibus hebraïcis, quæ idem ac *exercitus cœli* sonant, verisimiliter efformata, exprimit cultum quem soli, lunæ, aliisque sideribus reddebant homines. Hic cultus plerumque fundamentum habuit in persuasione qua olim communiter homines credebant sidera esse habitaculum cujusdam animæ, quæ

illa in eorum cursu dirigebat, idemque erga ipsa munus gerebat, ac anima nostra erga corpus. Apud orientales populos præcipue viguit : ipsi tamen Græci ab illo alieni non fuerunt ; nemo enim nescit ipsos sub nominibus Apollinis et Dianæ, solem et lunam adorasse. Celebris quoque fuit cultus solis apud Persas, qui illum ut ignis principium venerabantur.

6° Ultima polytheismi forma est *dæmonolatria*, seu cultus dæmonum et geniorum. Quanta horum entium multitudo agnoscatur in Græcorum et Romanorum mythologia nemo nescit. Sic omnia sive flumina, sive fontes, sive arbores, sive domus, etc..., deos tutelares habebant, quos divinis honoribus homines prosequebantur. Ad hunc cultum referri potest ille quem rebus abstractis, ut *febri, timori...*, Romani præsertim exhibere consueverant.

21. Polytheismi originem diversa explicandi ratio. — Polytheismum olim in majori orbis parte diffusum fuisse, et usque ad Christi tempora perseverasse, testantur omnes historiæ. Factum tam conspicuum sæpe explicare conati sunt præsertim illi qui postremis hisce temporibus philosophiæ historiæ operam navarunt. Duas autem vias directe oppositas ad hanc explicationem præstandam tenuerunt.

1° Scholæ san-simonianæ sectatores et quotquot doctrinæ dictæ *progressus continui* hodie adhærent, admittunt polytheismum fuisse religionem primitivam generis humani. Hi nempe rejicientes existentiam Dei a mundo distincti, proindeque providentiam in ipsum exercentis, docent humanitatem, vi quadam interna ipsique essentiali, in dies evolvi et perfici juxta leges constantes et uniformes. Hinc variæ mutationes successivæque transformationes ab humano genere subeundæ, ut ab infimo existentiæ statu per varia naturæ regna ad statum entis rationalis ; deinde ut, in hoc statu, a barbarie ad summum culturæ et civilisationis gradum perveniret. Progressus autem ille continuus maxime locum habet quoad religionem, quæ tanquam una e præcipuis humanitatis formis haberi debet, et cujus ideo transformationes inservire possunt, ut determinentur variæ progressuum *humanitariorum* epochæ.

Juxta hæc principia, prima hominum religio esse debuit imperfectissima polytheismi forma, scilicet *fetichismus* ; respondet statui *sylvatico* in quo versabatur homo, quando incœpit *esse homo*. — A *fetichismo* devenerunt homines ad *idololatriam* aliosque cultus polytheisticos, in quibus de divinitate puriores

jam habentur ideæ, quorum proinde exercitium progressus fuit relative ad statum præcedentem. — Tertio loco reponendus est *monotheismus* seu cultus unius Dei ; sic designant religionem christianam quam reipsa in toto pene orbe paganismo successisse videmus : ibi etiam progressus facile agnosci potest. — Demum venire debet *pantheismus* qui tantum monotheismum superaturus est, quantum ipse monotheismus polytheismo fuit perfectior.

Increduli seculi proxime elapsi, teste Bergier (*Traité de la Vraie Religion*, t. 1, 1re p., c. 1er), eadem fere de origine polytheismi edocuerunt. Juxta illos enim, homines primum absque ullo religioso cultu in terra versabantur ; metus vero, causarumque naturalium ignorantia illos induxerunt in hanc sententiam, varia entia, quæ illis nocere poterant, quodam interno et invisibili principio moveri et animari, quod cultu et sacrificiis placare deberent ; hinc immensa multitudo deorum ab hominibus primitus agnitorum. Cum autem postea exorti fuerint philosophi qui vulgi opiniones ad suæ rationis criticen revocarent, paulatim, meditationum et abstractionum ope, ad notionem Dei unici assurrexerunt.

2° Catholici omnes e contra, librorum sacrorum auctoritati innixi, credunt hominem a Deo creatum fuisse cum sui auctoris cultusque ipsi exhibendi cognitione perfectissima. Veri igitur et unici Dei cultus fuit religio primitiva generis humani ; proindeque polytheismus non fuit nisi depravatio veritatum in revelatione primæva inclusarum.

22. Opinio tenenda. — Ex his duabus doctrinis, sola posterior admitti potest.

Et quidem 1° pro viro catholico dubitandi circa illud punctum locus esse non potest. Libri enim sacri expresse testantur Dei veri cognitionem et cultum in primis temporibus inter homines, revelante ipsomet Deo, exstitisse.

2° In doctrina quam solam, uti supra ostendimus, ratio approbare potest, juxta quam mundus proindeque genus humanum a Deo infinite perfecto creata fuerunt, hypothesis quæ polytheismo prioritatem temporis concedit in monotheismum omnino repugnat. Impossibile est enim Deum infinite perfectum proindeque summe providum, hominem, quem nonnisi ad sui cognitionem et amorem creare potuerat, in tenebris fetichismi aut polytheismi ab illius existentiæ initio constituisse.

3° Demum eadem hypothesis historiæ etiam profanæ monumentis omnino opponitur. Hæc enim vel expresse asserunt, vel

saltem fortiter innuunt polytheismum non fuisse religionem primitivam generis humani, puriori vero cultui ipsum successisse. Hæc monumenta, quæ longius foret hic referre, fuse exposita videri possunt apud Bergier (*Traité de la vraie religion*, t. 1, 1re p. c. 1. art. 1. § 10).

Addere possumus theoriam progressus continui cui præcipue innititur doctrina quam confutamus, pluribus modis impugnari posse. Hoc autem ab objecto præsenti nos iterum longius amoveret. (Cf. opus inscriptum: *Essai sur le panthéisme;* auctore D. Maret.)

23. Polytheismi initium et causæ. — Ut quæstio de polytheismi origine absolvatur, quædam addere debemus tum de tempore quo primum polytheismus incœpit mundum invadere, tum de causis quibus tribui debet.

1° Quoad tempus, ex scriptorum profanorum testimonio determinari nequit: quædam vero ex Scriptura sacra circa illud punctum possumus colligere. Et quidem cum nullam polytheismi mentionem faciat pro temporibus *antediluvianis*, concludere pronum est, homines in fide et cultu unius Dei constantes toto hoc tempore permansisse. Reipsa, memoria primitivæ revelationis adhuc recentior erat, ut homines Dei creatoris cognitionem amittere potuissent. Præterea perfectior intelligentia quæ, juxta plures, hominibus tunc temporis competebat, a polytheismi absurditatibus illos immunes servare debuit. At paulo post diluvii tempora, et forsan statim post dispersionem generis humani prope turrim Babel, polytheismus incœpit propagari. Testantur enim Libri Sacri progenitores Abrahami in hunc errorem incidisse (*Jos.* 24, 2). Quod tempore ejusdem patriarchæ polytheismus jam plurimum invaluerit, innuere videtur metus quem in novam regionem peregrinaturus experitur, ne forte ibi Deus verus non agnoscatur. Eamdem primitivi cultus oblivionem paulo post exhibet factum idolorum Labani a Rachele furto ablatorum; itemque præscriptio qua Jacob hominibus domus suæ præcipit ut, antequam Deo sacrificium offerant, idola sua a se projiciant.

2° Si nunc inquiramus causas quæ ad talem religionis depravationem adducere debuerunt homines, ea veniunt observanda. Prima quidem reponi debet in neglectu traditionum quarum ope revelationis primitivæ depositum servabatur. Prædominantia enim sensuum in intelligentiam, humanarumque inclinationum corruptio post peccatum originale, sufficienter explicant quomodo homo, præsertim quando genus humanum dispersum fuit et in plures familias divisum, paulatim neglexerit dogmata olim a Deo

revelata, nec de illis integre transmittendis curaverit. Hinc omnium errorum origo. Homines enim toti rebus sensibilibus dediti, pro præcipua cura temporalis felicitatis fruitionem habere debuerunt. At non difficile fuit illis animadvertere in quanta dependentia sub hoc respectu versarentur a rebus naturalibus, v. g., ab influxu siderum, ab aeris temperie, a variis perturbationibus quæ in elementis evenire solent. Favente igitur notione obscura et imperfecta divinitatis adhuc supererstite, finxerunt immensam multitudinem deorum quos tum sideribus, tum variis elementis præesse supponebant, a quibus proinde totam suam felicitatem pendere existimabant. Sed, cum ita a natura conditi simus ut alia entia intellectu prædita nobis esse similia facile supponamus, hujusmodi numinibus tribuere debuerunt easdem inclinationes, eademque studia quæ nobis insunt : hinc omnes fabulæ quas de diis poetæ cecinerunt. Eadem autem ratio quæ ad cultum rebus naturalibus exhibendum impulit, gratus scilicet animus pro beneficiis acceptis, spes novorum bonorum, metusque malorum, decursu temporis inducere debuit ad cultum hominum vita functorum qui, dum viverent, alios homines insignioribus beneficiis cumulaverant. Dogma enim immortalitatis animæ, in mentibus hominum adhuc superstes, facile explicat quomodo generis humani benefactores, inter deos post mortem potuerint computari. Ea originis polytheismi explicatio maxime probabilis videbitur, si attendatur omnes fere deos, qui cultum publicum olim obtinuerunt, nihil aliud fuisse quam vel *personificationes* rerum sensibilium, ut Ceres, Bacchus, etc..., vel homines qui divinis honoribus digni habiti fuerunt, ut Jupiter, Saturnus, etc...

Hic prætermittere non debemus duplicem explicationem a nonnullis allatam ad eamdem difficultatem elucidandam. — 1° Sunt qui causam polytheismi desumunt ex dogmate adulterato de existentia et cultu *angelorum* et *beatorum*, quod per traditionem homines didicerant. Cum enim angeli a Deo singulorum hominum custodiæ præficiantur, nobisque exhibeantur tanquam Dei ministri ad illius exsequendas voluntates semper parati, facile concipitur quod homines, hoc dogma adulterantes, ad vanas de diis imaginationes devenire potuerint. Idem dici debet de dogmate beatorum relative ad cultum heroum; hic enim a cultu beatorum tantum differt in eo quod heroes in divinæ naturæ participationem vocari dicebantur; quod de beatis dici non debet. — 2° Quidam etiam polytheismum derivari existimant ex dogmate adulterato mediatoris Adamo promissi. Homo scilicet didicerat se

esse indignum qui directe ad Deum preces offerret, mediatorisque auxilio ad id se indigere. Ipse igitur sibi mediatores quæsivit ad quos, ut pote suæ naturæ magis proximos, cultum suum dirigere posset, et qui ad Deum intercessorum munere pro ipso homine fungerentur : hos autem mediatores invenisse existimaverunt, in sole, luna, aliisque sideribus, imo et in entibus inferioribus in quibus intelligentiam præesse supponebant. De hac posteriori explicatione quid sentiendum postea dicemus.

24. Controversia de natura polytheismi a majori parte generis humani olim admissi. — Ad præsentem expositionem spectat controversia, hodie præsertim agitata, circa naturam polytheismi quem, historia teste, genus humanum admisit ante adventum Christi.

Tres præcipuæ opiniones notari posse nobis videntur.

25. Opinio D. de la Mennais exponitur et confutatur. — D. de la Mennais, et post ipsum schola philosophica ab illo fundata, recens docuerunt, contra communem usque ad nostra tempora persuasionem, polytheismum tanquam errorem proprie dictum, in mundo nunquam exstitisse. Paganorum cultus non fuit, juxta ipsos, negatio alicujus dogmatis, sed tantum depravatæ voluntatis peccatum. Semper scilicet et ubique dogma Dei unici, immensi, a se et necessario, proindeque ab æterno existentis, in cordibus hominum illæsum perseveravit. At homines, ut cordis sui libidinibus facilius indulgerent, Deum hunc, contra conscientiæ testimonium, adorare renuerunt, ipsique creaturas, ut tales ab illis agnitas, voluntarie præposuerunt.

Hæc suppositio omnibus historiæ tum sacræ tum profanæ monumentis opposita videtur. In his enim polytheismus nobis semper exhibetur ut error proprie dictus, in quo etiam, pro multis saltem, aliqua bona fides possibilis fuit. Illud constat præsertim, tum ex argumentationibus quas, sive in libris sacris, sive in SS. Patrum operibus, ad polytheismi absurditatem demonstrandam, adhibitas invenimus; tum ex precationibus publicis et privatis, quas, in arcto positi, ad deos suos pagani dirigebant; tum denique ex conatibus quos, ad tuendum veterem cultum contra religionis christianæ invasionem, adhibuit per trecentos annos, totum Imperium Romanum. — Quoad testimonia quæ in contrarium allegantur, hæc quidem probant unius et veri Dei fidem, nunquam penitus in hominum cordibus periisse, ipsam vero, vel inter densissimas paganismi tenebras, insignes semper patronos habuisse. Ex his autem nequaquam nobis concludi posse videtur genus humanum,

quoad majorem ipsius partem, in polytheismi errorem non incidisse.

26. Opinio quorumdam exponitur et confutatur. — Alii auctores affirmant quidem paganos in errorem proprie dictum circa divinitatem incidisse. Hic autem error non præcise consistebat in eo quod veri Dei existentiam negaverint; istius enim supremi numinis idea et fides in paganorum saltem plerorumque mentibus perseveraverunt. Erraverunt autem in eo quod 1° plerumque existimaverint Deum hunc de rebus mundanis nullatenus curare, nec scilicet preces supplicantium audire, nec virtutem aut vitium remunerare aut punire, etc...; in eo quod 2° ad hæc munera obeunda entia inferiora excogitaverint, quibus incommunicabile Dei nomen tribuerunt, et ad quæ sola cultum et preces dirigebant; in eo quod 3° de hujusmodi diis inferioribus, præter pluralitatem, plurima alia enuntiabant naturæ divinæ, quam in illis agnoscebant, prorsus opposita, ut temporaneitatem, ignorantiam, cupiditates, etc...

Hæc quoque opinio nobis rejicienda videtur. Præterquam quod enim, monumentorum historicorum ope, difficile astrui posset; si a priori expendatur, qualibet probabilitate destituta apparet.

Etenim conceptus Dei summi absque providentia, qualis, juxta illam opinionem, exstitit apud paganos, absolute quidem apud philosophos meditationibus metaphysicis assuetos vigere potuit, minime vero apud majorem hominum multitudinem. Vulgus enim cognitionem Dei practicam habet potiusquam speculativam, nec potest sibi Deum effingere, nisi tanquam ens quod omnia gubernat, cultum ab hominibus exigit, peccatum punit, virtutem vero remunerat. Etsi igitur supponi posset, non veri Dei oblivionem, sed ipsius providentiæ negationem, polytheismi principium fuisse, hunc Deum providentia destitutum brevi homines non meminissent, neque alios deos agnovissent, nisi quos cultu suo prosequebantur.

27. Opinio communis. — Remanet opinio communis cui libenter subscribimus, utpote monumentis historicis magis conformi. Juxta illam veri Dei cognitionem et fidem pagani vere amisissent, et in errorem proprie dictum circa illius existentiam incidissent, illi substituendo pluralitatem numinum in quibus idea divinitatis omnibus modis corrupta erat et depravata.

Nonnulla tamen advertenda nobis videntur. — 1° Quando dicimus ideam veri Dei ex paganorum cordibus excidisse, hoc intelligi tantum debet de idea reflexa et distincta, prout illam nunc habemus; non vero de idea hac implicita et directa, quæ

intellectui humano essentialis est, et quam in primis manifeste supponebat, in paganorum mentibus, notio imperfecta quam de diis sibi effinxerant. — 2° Cum omnis ignorantia, in homine qui ea laborat, aliquam bonam fidem supponat, dicendum proinde errorem paganorum, qui in veri Dei ignorantia consistebat, non qualibet bona fide fuisse destitutum. Non tamen exinde sequitur illos fuisse, relative ad illud punctum, ab omni culpa immunes. Plurimi enim eorum, præsertim inter doctiores, potuissent sane, si rationis lumine uti voluissent, errorem in quo versabantur discutere. — 3° Sedulo tandem observandum est ignorantiam quam hic supponimus in paganis, nonnisi circa falsam notionem quam de diis sibi effinxerant locum habere potuisse ; nullatenus vero circa turpitudines et flagitia juri naturali manifeste opposita, quæ cultum deorum comitari solebant.

FINIS APPENDICIS.

Beatus homo quem tu erudieris, Domine; et de lege tuâ docueris eum.

PRÆLECTIONES
PHILOSOPHICÆ

IN

MAJORI SEMINARIO CLAROMONTENSI

PRIMUM HABITÆ.

Auctore L. B., S. Sulpitii Presbytero.

SECUNDA EDITIO

Penitus recognita et emendata. Noverim te, noverim me

Verbum erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. JOANN., 1, 9.

Ideæ sunt formæ quædam principales et rationes rerum quæ in intelligentia divina continentur. S. AUG., lib. 83 *Quæst.*, q. 46.

In ipso vivimus, et movemur et sumus.

PSYCHOLOGIA.

NANNETIS,

APUD R. MAZEAU, BIBLIOPOLAM-EDITOREM, VIA DICTA *de l'Evêché.*

PARISIIS,

Apud J. LEROUX et JOUBY, facultatis Theologiæ Bibliopolas, Via dicta *des Grands-Augustins*, 7.

1855.

n se fait une idole de la vérité même. Car la vérité hors de la charité n'est pas Dieu; elle est son image et une idole qu'il ne faut ni aimer, ni adorer. (Pascal)

Tunc (in die judicii) videbitur sapiens in hoc mundo fuisse qui pro Christo didicit stultus et despectus esse.
Tunc plus lætificabit pura et bona conscientia, quam docta philosophia.
Tunc plus valebunt sancta opera, quam multa pulchra verba.

O Dies æternitatis clarissima, quam nox non obscurat, sed summa Veritas semper irradiat! Dies semper læta, semper secura et nunquam statum mutans in contraria.

Incurre mihi Æterna Veritas, ut nulla me moveat Vanitas.

EDITORIS PROPRIETAS.

Quid prodest magna cavillatio, de occultis et obscuris rebus, de quibus nec arguemur in judicio quia ignoravimus.
O Veritas Deus, fac me unum tecum in caritate perpetua.
Humilis tui cognitio certior via ad Deum, quam profunda scientiæ inquisitio.
Vere bene doctus est, qui Dei voluntatem facit, et suam voluntatem relinquit.

Nannetis, excudebant MASSEAUX et BOURGEOIS, via dicta *Pas-Périlleux*, 10.

INDEX PSYCHOLOGIÆ.

PRÆLECTIONES

PHILOSOPHICÆ.

Scientia cogitationis.

PSYCHOLOGIA. *ψυχη-λογος Sermo de animâ.*

1. Psychologiæ definitio. — Psychologia *ea est Philosophiæ pars cujus objectum est anima nostra.*

Anima, græce ψυχή, est subjectum cogitationis, illud nempe quod cogitationem producit, quod proinde profert enuntiatum istud : *Ego cogito.*

Animam igitur definire possumus : vel *Illud quod in nobis cogitat ;* vel *Illud quod in nobis subjectum existit hujus effati:* cogito ; vel demum, *Illud quod in nobis dicit:* **ego.** Triplicem hanc definitionem in idem recidere nemo est qui non advertat.

2. Psychologiæ divisio. — Psychologiæ objecto sic determinato, quemnam ordinem in hujus objecti tractatione servaturi simus, nunc paucis dicendum. In prima Parte, *Essentiam* animæ determinare conabimur ; in secunda, de illius *Existentia* disseremus ; in tertia tandem, varias illius *Vitæ* phases seorsim percurremus.

1°. Que faut-il entendre par l'idée d'âme ? quelle est l'essence de l'âme
2°. l'essence de l'âme est-elle active ? savoir non si l'âme existe.
3° Si l'âme est active, comment se développe-t-elle ? Quelles sont les phases de sa vie ?

PSYCHOLOGIÆ PARS PRIMA.

DE ANIMÆ ESSENTIA.

3. Objectum et divisio primæ partis. — Animæ essentia, apposite ad ea quæ in Ontologia generali tradita fuerunt (*Ont. gen.*, n.10) illud est *per quod anima est id quod est*, seu illud per quod anima in esse proprio ita constituitur, ut a quolibet alio ente secernatur.

Porro, in hujus Partis decursu ostendere posse speramus proprietatem, per quam anima in suo *esse* constituitur, reponi debere in *cogitatione*, cujus præsentiam in nobis conscientia testatur. De *cogitatione* igitur nunc dicendum venit. Scilicet, illius notæ natura primum determinata, animæ essentiam per illam adæquate constitui postea ostendemus.

SECTIO PRIMA.

NATURA COGITATIONIS EXPONITUR.

4. Cogitationis notio generalior. — Cogitatio est illud factum cujus nobis conscii sumus dum varia phænomena psychologica intra nos peraguntur. Horum enim factorum testificatio, quantacumque sit eorum diversitas, ad illud semper enuntiatum reducitur: *Ego cogito.*

Porro, si hujus enuntiati realitatem abstrahentes, ipsius solummodo naturam consideremus, facile in eo poterimus distinguere: 1° determinationem quamdam sui generis, in qua, ut ita dicam, cogitationis intima constitutio reponi debet;

2° influxum aliquem objecti intelligibilis a quo hæc determinatio primario derivatur ; 3° denique ejusdem determinationis respectum ad subjectum quoddam in quo recipitur.

Ut igitur cogitationis natura adæquate nobis, quantum fieri potest, innotescat, de illa sub hoc triplici respectu considerata, successive tractabimus.

CAPUT PRIMUM.

De Cogitationis intima Constitutione.

5. Cogitationis elementa enumerantur. — Ut cogitationis intimam constitutionem definiamus, seorsim dicendum nobis est de variis operationibus ex quibus, quasi ex totidem elementis, coalescit. His enim probe cognitis, quid sit cogitatio, quæ illorum unione constituitur, eo ipso compertum habebimus. Operationes hujusmodi sunt : 1° *perceptio*, 2° *activitas*, 3° *sensus*.

I° *De perceptione.*

6. Perceptionis definitio. — Si intra nos reversi, statum mentis internum, dum in ea cogitatio producitur, interrogemus, statim deprehendemus hanc primario fundari in relatione quadam, quam existere conscii sumus, inter nos et objectum, seu, ut aiunt, inter *Ego* et *non-Ego*. Non enim possumus cogitare, nisi de aliqua re cogitemus. Hæc relatio constituitur per actionem specialem quam objectum, quatenus intelligibilitate præditum, in nobis exercet ; qua nempe mediante, nobis præsens efficitur, seseque nobis, ut ita dicam, præbet apprehendendum.

Hoc factum *perceptionis* nomine designatur.

Perceptionem igitur definire possumus : *Intuitionem alicujus rei a mente.*

In hac definitione, *intuitio* idem sonat ac voces *intellectio, cognitio, visio, conceptio, apprehensio*, etc..., quæ ab aliis auctoribus adhibentur. His omnibus verbis exprimitur factum psychologicum nobis apprime notum, imo et quacumque alia re notius, cum nihil nisi per illud possimus cognoscere. Attamen, et propter hanc ipsam rationem, illius facti definitionem proprie dictam afferre impossibile est. Ideoque, ut illius naturam assequamur, aliud nobis non suppetit medium quam attenta conscientiæ interrogatio.

7. Perceptionis characteres enumerantur. — Ut dilucidior adhuc fiat hæc nostra perceptionis notio, characteres illi essentiales exponere et, contra nonnullos impugnatores, astruere debemus.

Tres vulgo distinguuntur, nempe : *veritas*, *claritas* et *distinctio*.

Scilicet 1° perceptio, ex definitione allata, exprimit relationem mentis ad objectum. Igitur, objectum ipsum et non aliud, id est, objectum prout est, perceptionis ope apprehenditur. Sub hoc respectu, perceptio dicitur *vera*. — 2° Apprehensio, quæ perceptionem constituit, est intuitiva ; ideoque illius ope natura objecti apprehensi fit menti manifesta. Sub hoc respectu perceptio dicitur *clara*. — 3° Demum, eo ipso quod objectum cognoscitur prout est *in se*, cum *in se* distinguatur a qualibet alia re, perceptio non potest illud cum hac distinctione non apprehendere : merito igitur dicitur *distincta*.

8. An dentur perceptiones falsæ, obscuræ et confusæ ? — Ex sola notione horum characterum, facile constat illos perceptioni necessario competere ; perceptio enim, quæ illis careret, non esset *intuitio*, proindeque nec perceptio. Plurimi tamen, in hoc a nobis dissentientes, admittunt perceptiones *falsas, obscuras* et *confusas*. Et huic opinioni suffragari

videtur usus loquendi ordinarius. Hæc autem controversia non esse videtur nisi de nomine.

Etenim 1° qui admittunt possibilitatem falsitatis in perceptione, vel hanc confundunt cum judicio, prout sat ordinarie evenit; vel duplex objectum perceptioni tribuunt, unum *internum* quod nonnisi vere, alterum *externum* quod vere aut falso apprehendi potest. — Porro, quoad confusionem perceptionis cum judicio, impossibile est, uti infra dicemus, quod, per exactam utriusque definitionem, non cessent hoc de puncto philosophorum disputationes. Quoad eos qui stant pro duplici perceptionis objecto, a nobis reipsa, relative ad quæstionem præsentem, non discrepant. Admittunt enim veritatem perceptionis essentialem esse relative ad objectum internum, seu immediatum. Cum autem objectum hoc sit illud ad quod unice perceptio terminetur, quod proinde solum, in sensu proprio, perceptionis objectum dici possit, inter nos et illos, relative ad perceptionis veritatem, discrimen reipsa non adest.

2° Qui admittunt obscuritatem in perceptionem cadere posse, non utique existimant perceptiones quasdam inveniri quæ per se obscuræ sint, quæ nempe talis naturæ existant, ut quo majores numero in mente invenirentur, eo major obscuritas in ea produceretur. Hoc enim foret contradictorium in terminis. Nihil igitur aliud per obscuras perceptiones possunt intelligere quam perceptiones quibus plus minusve deest claritatis, id est, quarum objectum non sat complete menti innotescit, ut illius plena cognitio possit obtineri. Obscuritas autem, in hoc sensu intellecta, est potius absentia perceptionis quam illius character. Perceptio igitur, quæ vulgo *obscura* dicitur, meliori jure dici deberet *incomprehensiva* seu *inadæquata*.

3° Similis, relative ad perceptionis confusionem, occurrit observatio. Qui nempe admittunt hunc defectum perceptioni competere posse, utique dicere nolunt perceptiones dari in

quibus nihil prorsus distingueretur; hoc enim iterum contradictorium esset. Igitur, per perceptiones confusas intelligere debent intuitiones quorum objectum ita a nobis apprehenditur, ut varias illius proprietates reflexe a se invicem non secernamus, sed directe tantum cognoscamus. Hinc perceptiones *confusæ* distingui non debent a perceptionibus *directis* quarum existentiam et nos libenter admittimus.

II° *De Activitate.*

9. Activitatis notio. — Perceptionis ope mens aliquid ab extra recipit. Non enim lumen quo, si ita loqui fas est, circumfunditur, dum objectum quodvis intuitive apprehendit, ipsa producit. In hoc igitur primo cogitationis elemento, passivi sumus.

Simul autem ac de præsentia perceptionis in mente nostra conscii sumus, alia in nobis facta producuntur quorum causa, non in realitate nobis exteriori, sed in nobis ipsis reponi debet.

Vis, qua pollemus, hæc facta producendi, constituit *activitatem*.

Activitas igitur definiri potest : *Potestas animæ inhærens sese ad aliquid determinandi.* — Quomodo hæc potestas concipi debeat breviter exponendum.

Intelligibile lumen objecti, perceptionis ope apprehensi, subjectum cogitans afficere nequit, quin ab eo recipiatur. Subjectum autem lumen istud recipere non potest, quin, per illius præsentiam, in speciali quodam statu constituatur. Porro, status hujusmodi, si adæquate sumatur, ex duobus provenit : 1° ex influxu externo rei intelligibilis ; 2° ex vi receptiva subjecto percipienti inhærente aut potius illud constituente. Licet igitur status, de quo agitur, passivitate admisceatur, aliquam tamen determinationem, proindeque aliquam activitatis evolutionem supponit, ex parte subjecti.

10. Activitatis duplex instans. — Hæc evolutio quasi duobus instantibus perficitur.

Objectum scilicet intelligibile, cujus influxu producitur, sese menti exhibet tanquam aliquid *verum* et *bonum* (*Ont. gen.*, n. 43 et seqq.). Quatenus priori qualitate donatur, determinat *affirmationem* seu *judicium*, quo mens pronuntiat objectum a se apprehensum tali vel tali modo se habere. Quatenus vero bonitate præditum, determinat *amorem*, quo in possessione ejusdem objecti mens sibi complacet. Duplicem hanc activitatis formam in tertia Psychologiæ Parte fusius exponemus ; eam tamen hic omnino reticere non debuimus, ne nimis activitatis notio indeterminata remaneret.

11. Activitatis terminus. — Evolutio activa, si in sua origine spectetur, aliquod objectum arguit, prout ex dictis facile colligitur. At quæritur insuper utrum alicujus effectus objectivi causa esse possit, id est, utrum anima, vi activitatis qua pollet, aliquid extra seipsam valeat producere.

Quæstionem hanc jam resolvimus in Cosmologia, ubi ostendimus nullum ens contingens, quale animam esse infra ostendemus, extra seipsum tanquam causam efficientem agere posse (*Cosm.*, n. 96 et seqq.). Attenta autem consideratio activitatis nostræ ad eamdem nos deducit conclusionem. Etenim, si activitas nostra aliquid externum produceret, externum illud terminus esset actionis ab anima nostra elicitæ. Nulla autem res externa actionis ab anima nostra elicitæ terminus esse potest. Etenim, terminus alicujus actionis adeo huic actioni essentialis est, ut absque contradictione supponi non possit unum ex his duobus sine altero existere posse. Atqui, de actibus nostris, relative ad effectus externos, cujuscumque sint naturæ, illud non evenit. Conscientia enim teste, nullum est activitatis nostræ exercitium quod non concipiamus existere posse independenter a quolibet effectu externo.

Evolutio igitur activa, licet ab objecto externo determinetur, limites tamen subjecti cogitantis non prætergreditur.

III° *De Sensu.*

12. Sensus notio generalior. — Duobus elementis in cogitatione a nobis hucusque detectis, tertium addere debemus, quem *sensus* nomine (gallice *sentiment*) vulgo designant. Antequam tertii hujus elementi naturam investigemus, illius in cogitationis facto præsentia primum nobis astruenda est.

Supponamus quod figuræ cujusdam geometricæ, v. g., trianguli, quam in charta descriptam ante oculos habemus, proprietates conemur determinare. Tunc primum quoddam objectum intelligibile percipimus, istius nempe figuræ essentiam. Præterea, dum essentiæ hujusmodi intuitione mens illustratur, in plurima judicia proferenda erumpit; sicque erga hanc intuitionem active se gerit. Demum, afficitur colore nigro vel rubro linearum, ad quas ipsius attentio dirigitur.

Postremam hanc impressionem a duobus aliis factis distingui debere facile constat. Ex una enim parte, nullam objectivitatem per se dicit; proindeque non perceptionem, quæ essentialiter ad objectum dirigitur, sed tantum modificationem subjecti percipientis constituere debet. Ex altera parte, hæc modificatio subjectum cogitans passive afficit, ideoque cum ipsius determinationibus activis confundi non debet.

13. Sensus definitio. — Hic igitur agnoscere debemus elementum *sui generis* quod, ad constituendam cogitationem, cum perceptione et activitate concurrit. Tale est factum psychologicum quod *sensum* appellamus.

Hunc ergo definire possumus : *Statum animæ subjectivum simul et passivum.*

Per hujusmodi definitionem, sensus natura non declaratur nisi per illius discrimen, tum a perceptione, tum a determinatione activa. Si autem factum istud attentius in seipso scrutari voluerimus, nobis perspectum fiet ipsum nihil aliud per se dicere quam *cogitationis limitationem*. Etenim, cum sensus

sit status subjectivus simul et passivus, ut elementum positivum cogitationis haberi non debet, sed ut aliquid mere negativum. Porro, negativum, in aliqua re, cum illius limitatione identificatur. Præterea, ad eamdem conclusionem nos deducit observatio interna. Quisquis enim seipsum, dum cogitat, attente consideraverit, is facile deprehendet sensus varios, v. g., *coloris*, *soni*, etc..., quibus afficitur, se habere erga duo alia cogitationis elementa, si tali imagine nobis uti liceat, quasi superficiem quamdam, cujus ope, cogitationis factum circumscribitur, subjectique cogitantis dominium definitur et limitatur.

14. Sensuum causa. — Quod spectat ad illius limitationis causam, non eodem modo sentiunt auctores; eorum opiniones, hoc de puncto, ad tres præcipuas, breviter a nobis exponendas et discutiendas, reduci possunt.

1° J. Fichte, scholæ germanicæ recentioris celeberrimus philosophus, contendit causam productricem sensuum in animæ activitate esse reponendam; adeo ut anima ipsa sese afficiat variis sensibus quos experitur. Illud sequitur ex systemate ejusdem auctoris, juxta quod nihil prorsus existit præter τὸ *Ego* variaque phænomena ex illius activitate provenientia (Cf. *App. ad Theod.*, n. 16). Doctrinam hanc in se spectatam hic expendere non possumus. Sufficiat quoad nunc observare originem quam sensibus assignat admitti non posse. Prout enim modo diximus, dum sensus experimur, passivi sumus. Præterea, repugnat ens aliquod sibiipsi limites apponere.

2° Nec cum *influxus physici* patronis causam sensuum reponeremus in actione entium corporeorum quibuscum versamur. Antea enim probatum fuit res creatas se invicem tanquam causas efficientes modificare non posse (*Cosm.*, n. 102).

3° Dicendum igitur Deum solum sensuum quos experimur causam existere. Solus enim Deus, utpote animæ creator, illam modificandi potestate præditus est.

15. Sensuum characteres. — Duplex est character oppositus, quo varii sensus præditi inveniuntur: *voluptas* nempe

et *dolor*. In quo utrumque consistat, quantum perfecte empirice cognoscimus, tantum ontologice declarare difficile est. Non improbabiliter tamen cum quibusdam diceretur voluptate aut dolore animam nostram affici, prout sensus quos experitur, ipsius activas evolutiones adjuvant aut impediunt. Scilicet, animæ nostræ, sicut et cujuslibet entis, conditio est sese evolvere seu activitatem suam exercere, juxta certum modum ab ipsius natura determinatum. Hoc posito, quidquid ita in animam agit ut impediat naturale exercitium activitatis, qua pollet, eo ipso illi ingratum esse debet. Propter eamdem rationem, contrarium eveniet, id est, jucunde afficietur anima, quoties modificatio ipsi allata, illius activitatis exercitio favebit.

16. Divisio sensuum. — Hinc sequitur sensus, prout hoc vel illo modo animam afficiunt, apte distribui in *jucundos* et *injucundos*. Hanc quidem divisionem exactam non esse nonnulli existimant, eo quod, inter sensus quos experimur, alii nec jucundi sint, nec injucundi, alii vero jucundi simul et injucundi. Unde, sensibus modo enuntiatis, addi deberent sensus *indifferentes* et *mixti*. At verisimilius videtur duplicem hanc sensuum speciem non existere. Nam 1° cum quilibet sensus statum animæ internum determinent, necessarium est ut influxum aliquem in illius evolutionem activam exerceant; hoc autem posito, plane illi indifferentes esse posse non videntur. 2° Quod spectat ad sensus mixtos, facta quæ ad eorum existentiam astruendam allegantur, melius explicantur per hypothesim duorum sensuum distinctorum, qui simul animam afficerent, quorum nempe unus jucundus, alter vero injucundus existeret (1).

(1) Sensus mixti, aut potius, juxta nos, duplicis sensus animam simul afficientis exemplum habemus in viro docto qui, problematis cujusdam solutionem diu insecutus, reperit tandem solutionem hanc vel impossibilem esse vel oppositam ei quam sperabat obtinere. Tunc enim vir ille doctus, ex una quidem parte, jucunde afficitur, propter adinventionem alicujus veritatis; et simul, ex altera parte, injucunde afficitur, propter spem delusam.

Sensus, sicut et determinationes activæ, plurimas induunt formas quas in tertia Parte, ubi nempe de *evolutione animæ*, opportunius exponemus.

Corollarium.

17. Perceptio, determinatio activa et sensus unicum actum constituunt. — Ex dictis, in hoc Capite, colligere possumus tria elementa, quæ nobis suppeditavit cogitationis analysis, *perceptionem* scilicet, *determinationem activam* et *sensum*, tres actus distinctos et a se invicem separabiles non constituere.

Etenim 1° sensus quidem, cum a nobis concipiatur tanquam mera limitatio, per se solum evidenter in anima existere non potest, et ab aliis factis modo enuntiatis separari. — 2° Idem dici debet de activitate relative ad perceptionem. Hæc enim sola suppeditat objectum, sine quo activitatis exercitium impossibile foret. — 3° Perceptio ipsa a duobus aliis elementis separari non potest. In subjectum enim finitum, prout est anima, cadere non potest, quin determinationem limitibus quibusdam circumscriptam, proindeque activam evolutionem et sensum non producat.

Illud cæterum experientia confirmat. Si enim varias operationes, quas distincte elicit anima, velimus percurrere, nobis constabit unamquamque illarum tum perceptione, tum activitate, tum demum sensu conflatam esse.

Hæc igitur tria elementa efformant unum eumdemque actum cujus *fundamentum* in perceptione, *forma* seu positivum in determinatione activa, *limitatio* demum in sensu reponi debent.

CAPUT SECUNDUM.

De cogitationis Principio objectivo seu de Idea.

18. Principium objectivum cogitationis definitur. — Principium objectivum cogitationis illud nuncupamus quod, per influxum quem in animam exercet, illam ad cogitandum excitat, sicque ut causa primaria cogitationis haberi debet. Principium illud, uti infra ostendemus, nihil aliud est quam realitas externa, quatenus intelligibilis est, sicque cogitationem terminare potest. quæ in se spectata, ens vocatur

Realitatem externam, sub hoc respectu consideratam, *ideæ* (1) nomine deinceps appellabimus.

De idea igitur in hoc Capite tractaturi sumus, illamque considerabimus 1° in illius ad cogitationem constituendam *necessitate*, 2° in illius *natura*, 3° in illius *unitate*.

ARTICULUS PRIMUS.

De Ideæ ad cogitationem constituendam necessitate.

19. Quæstionis status determinatur. — Apposite ad ideæ notionem, quam modo attulimus, quæstio a nobis expendenda in hoc Articulo ad id reducitur: utrum posito quod

(1) Vox *idea* multiplici in sensu adhiberi solet. Ne quid dicam enim de loquendi modo inter homines pervulgato juxta quem *idea* pro *opinione* et *judicio* sæpius sumitur; alii eam intelligunt de ipsamet operatione mentis objectum apprehendentis, illamque confundunt cum *perceptione*. Alii, per hanc vocem, designant realitatem intelligibilem ad quam perceptio terminatur, ideoque illam adhibent in sensu mere objectivo.

Posterior ille sensus voci ideæ tribuitur a Platone et post ipsum a præstantioribus metaphysicis, in primis a S. Augustino et Malebranchio. Conformis est præterea ipsius etymologiæ; idea enim idem græce sonat ac latine *forma*, *species*. Licet igitur hodie a plerisque deseratur, hunc tamen retinendum esse duximus.

cogitationis factum producatur, omnino necesse sit aliquod objectum intelligibile, cujuscumque sit naturæ, subjecto cogitanti immediate applicari, et ab illo apprehendi.

Quæstio, sic posita, nullam difficultatem parere potest, pro iis saltem qui cogitationis analysim, in præcedenti Capite expositam, nobiscum admittunt. Nec reipsa hoc de puncto ullam inter auctores controversiam esse existimamus.

Sit tamen

20. Thesis. — *Nulla cogitatio, sine aliqua idea subjecto cogitanti immediatè applicata, est possibilis.*

Prob. — Supra ostendimus primum cogitationis cujuslibet elementum consistere in perceptione, id est, in intuitione qua mens illustratur. Porro evidentissimum est nullam intuitionem in mente esse posse, nisi ea conditione ut mens *aliquid* intueatur, nisi proinde aliquid intuitione apprehensibile, seu, quod idem est, *intelligibile* huic applicetur. Hoc autem intelligibile est illud ipsum quod *ideam* appellamus. Ergo, etc.

21. Scholium. — Modo observavimus thesim hic positam ab iis omnibus admitti debere qui, in cogitationis analysi, nobiscum consentiunt. Si qui autem in hoc a nobis dissentirent, cum illis de cogitationis conditionibus disputare impossibile foret, nec proinde adversus illos argumentationem præcedentem possemus dirigere. Ad illos confutandos nihil aliud possibile nobis est quam conscientiæ vocem testem advocare. Hic enim non de conclusione, deductionis ope ex præmissis educenda, sed de facto astruendo unice agitur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Ideæ natura.

Ut naturam Ideæ determinemus, inquirendum venit 1° utrum sit aliquid entis; 2° utrum ens ideæ constitutivum, reale sit et existentiale, an possibile tantum; 3° quænam existentiæ species ideæ competat?

1°. Posito quod sit aliquid entis, utrum ens illud ...
2°. Posito quod ens illud existentiale sit, utrum quænam

I° *Utrum idea sit aliquid ~~reale~~ entis?*

1° Expositio opinionum. 2° Vera solutio.

Triplex huic quæstioni apud auctores responsio invenitur.

22. Doctrina Th. Reid et scholæ scoticæ. — Thomas Reid, scholæ scoticæ dux, in opere cui titulus : *Essais sur les facultés de l'esprit humain,* quamlibet realitatem ideæ denegat. Juxta illum scilicet, idea nihil aliud est quam repræsentatio mere subjectiva quam mens sibi effingit, quæ, in se et objective, nullum entis gradum includit. Hinc, solius ideæ ope, de nulla re mundi, ne de entium quidem possibilitate, certi esse possumus. Ideo impugnat præfatus auctor principium quod, ipso teste, axiomatis instar ab omnibus philosophis admittitur : *Ideas nostras mensuram esse possibilis et impossibilis*; id est, quodlibet objectum, cujus ideam nobis possumus effingere, esse eo ipso possibile. In contrarium allegat Th. Reid exempla plurium rerum quarum ideam habemus quæ tamen, omnibus fatentibus, sunt prorsus impossibilia (Cf. op. cit. *Essai sur la conception*): mais ce ne sont pas de vraies conceptions

Hac doctrina admissa, impossibilis videtur transitus, ut aiunt, *a subjectivo ad objectivum,* quod ad scepticismum universalem directe deducit.

Consectarium tamen istud abhorret Th. Reid, nec inter scepticos annumerari debet. Admittit nempe animam donari facultate quadam, quam *perceptionem externam* nuncupat, cujus ope, realitates corporeas nobis extrinsecas apprehendimus. In hujus facultatis exercitio triplex distinguere est elementum : nempe 1° *conceptionem* objecti alicujus, per quam objectum illud nobis repræsentamus, seu illius ideam mentaliter nobis effingimus ; 2° *affirmationem,* qua pronuntiamus rem sic repræsentatam realiter existere ; 3° *persuasionem immediatam* qua credimus affirmationem hanc esse legitimam. Quoties objectum aliquod eo modo nobis fit notum, de illius existentia reali certitudinem habemus.[1]

(?) 1° Doctrina Scholæ scoticæ 2° Scholæ ontologicæ, 3° Specierum intelligibilium

(1) Nam juxta Th. Reid hæc persuasio ultima est fundamentum totius certitudinis quæ persuasio, ut vidimus in logica nihil aliud est quam id quod sensum communem diximus

Nunc vero, primo aspectu, difficile videtur hæc varia theoriæ scoticæ puncta inter se conciliare. Si enim, ex una parte, idea nihil aliud per se dicat quam phænomenon mere subjectivum; difficile concipitur quomodo, ex altera parte, repræsentatio idealis rerum externarum ad earum existentiam affirmandam nos deducere possit.

Difficultatem hanc sic, ni fallamur, resolvere conatus est præfatus auctor.

Duplex juxta illum distingui debet objectum ideale a mente nostra apprehensum. Unum, cujus apprehensioni comites veniunt, tum affirmatio circa illius realitatem, tum persuasio immediata de istius affirmationis veritate; alterum, quod mens simpliciter sibi repræsentat, quin de illius realitate ullam persuasionem habeat. Ubi prius apprehenditur, adest mera conceptio, nec ulla realitas competit objecto ideali quod mens sibi effingit. Ubi posterius, adest *perceptio externa*, et tunc objectum a mente immediate apprehensum, seu illius *idea* est realitas non possibilis tantum, sed et physice existens.

23. Doctrinæ scholæ ontologicæ. — Doctrinam scotici philosophi theoriæ directe oppositam tenent plerique et præstantiores metaphysici. Admittunt scilicet quamlibet ideam aliquid reale et entitativum per se dicere. Imo, nullum entis gradum nisi in illa a nobis apprehendi posse agnoscunt. Hinc definitio entis quam et nos alibi (*Ont. gen.* n. 6.) attulimus, juxta quam *ens est illud quod objective terminat cogitationem nostram*. Cum enim ideæ nomine nihil aliud intelligamus quam illud præcise quod terminat cogitationem, quotquot præfatam definitionem admittunt, non solum proprietatem essendi ideæ denegare non possunt, sed etiam agnoscere debent hæc duo penitus identificari. Ita in primis sentiunt scholæ ontologicæ dictæ patroni.

24. Doctrina specierum intelligibilium. — Inter duas opiniones modo expositas, medium alii tenere nituntur. Ex una quidem parte, valorem objectivum et entitativum ideæ

Voici quels sont les principaux ontologiques: 1° Dans l'antiquité les philosophes de l'école Italique; Pythagore et ses disciples; l'école métaphysique d'Elée; Xénophane, Parménide, Zénon; l'école de Platon; les néoplatoniciens, les Pères de l'Église qui suivaient Platon et entre eux St Augustin. 2° Au moyen âge tous les réalistes; les mystiques: St Bonaventure, Gerson; Hugues de St Victor. 3° Chez les modernes tous les cartésiens, Malebranche, Fénelon, Bossuet, etc. 4° Chez les contemporains, en Italie: Gerdil, Gioberti, Rosmini — en France Mr Cousin, Maret, Ubaghs, etc.

tribuunt, in eo sensu quod illius præsentia aliquam realitatem, sive existentialem, sive possibilem, semper arguat. Attamen, ipsimet ideæ, quatenus intellectum nostrum immediate terminat, hunc valorem non concedunt. Ad objectivitatem enim realem nos deducit, non quia in se ens habet, sed quia est medium quoddam in quo ens, quod immediate apprehendere non possumus, fit nobis intelligibile.

Quanam ratione illud fiat non omnes eodem modo explicant. Duas celebriores hypotheses ad illud excogitatas hic paucis referre debemus.

Democritus, Epicurus et, post ipsos, philosophi permulti ideas nihil aliud esse arbitrati sunt quam *species* seu *imagines* quas objecta physica in nobis producunt. Corpora scilicet, juxta illos, vim habent emittendi particulas tenues, ex quibus conflatur imago ipsis simillima. Hæc imago seu species sensuum aditus permeans, ad eam usque penetrat cerebri partem quæ *sensorium commune* olim dicebatur. Cum autem crassior adhuc sit et materialior, in eam agere debet *intellectus agens* ut ex ea producat ideam proprie dictam, seu imaginem spiritualem corporis a quo provenit. Imaginem hanc *intellectus passivus* contemplatur, sicque rei externæ idea producitur. Quod spectat ad ideas rerum incorporearum, quæ, uti facile constat, eo modo in mente nasci non possunt, vel illarum ideas nos habere non admittebant patroni doctrinæ quam exponimus, vel, ad illas explicandas, alteram hypothesim mox exponendam adhibebant.

Igitur, juxta aliam hypothesim, ideæ nihil aliud forent quam formæ quædam seu repræsentationes intelligibiles rerum omnium, de quibus cogitare possumus, quas Deus ipse, vi omnipotentiæ suæ, animis nostris imprimeret, vel successive et quando opus est, vel in ipsomet illius creationis instanti.

25. Thesis. — ***Ideæ, nec in facto mere subjectivo et absque ulla cum realitate objectiva connexione, nec in imagine seu***

\+ on peut citer entre autres Aristote, Locke, Gassendi, Condillac et en général tous les sensualistes
\+ on peut citer St Thomas et ses disciples.

repræsentatione hujus realitatis, consistere possunt; sed ens proprie dictum per se constituunt.

Tres sunt partes seorsim probandæ.

Probatur prima pars, nempe : *Ideas in facto mere subjectivo, absque ulla cum realitate objectiva connexione non consistere.* — Hoc quidem concedit Th. Reid et ipsius schola pro ideis, quæ sunt elementum *perceptionis externæ* : de ideis autem quibuscumque, seu de ideis in se spectatis, idem essentialiter dici debere, sic ostendi potest.

Quælibet cogitatio ad aliquod objectum terminatur (n. 20), et hoc est objectum quod *ideæ* nomine appellavimus. Porro, facile constat objectum istud aliquid mere subjectivum non esse, ipsum vero vel ens reale per se dicere, vel saltem ens reale menti nostræ repræsentare. Si enim aliter esset, cum præter *ens*, nihil detur concipiendum nisi *non-ens* seu nihilum, res igitur quæ constituit ideam, merum nihilum menti exhiberet, seu, quod idem est, mens in hac hypothesi de mero nihilo cogitare posset. Atqui, illud contradictionem includit. Nam cogitare nihilum aut non cogitare sunt quid unum et idem. Unde sequeretur quod, in hypothesi facta, mens cogitaret simul et non cogitaret.

Et vero, circa idearum cum ente reali connexionem, triplex tantum hypothesis fingi potest. Vel nempe hæc prærogativa singulis ideis conceditur, vel singulis ideis denegatur, vel, prout contendere videtur Th. Reid, quibusdam conceditur, quibusdam vero denegatur, pro circumstantiis. Atqui duo posteriora dici nequeunt. — Non quidem ideis quibuslibet prærogativa, de qua agitur, denegari potest.* Cum enim nulla judicia proferre possimus nisi de iis rebus quarum aliquam ideam habemus, posito quod de ente reali nullam ideam perceptionem haberemus, nullum judicium de eo proferre, nec de illius existentia dubium movere, imo nec illud quidem nominare possemus. — Non magis possibile est eamdem prærogativam quibusdam ideis concedere, quibusdam vero denegare,

* Judicia proferimus: atqui si cuilibet ideæ connexio cum realitate objectiva denegaretur jam nullum judicium proferre possemus; ergo cuilibet...
Major experientia patet, sola minor explicatione indiget, quæ sic probari potest:
Omne judicium essentialiter requirit perceptionem
Atqui omnis perceptio essentialiter requirit objectum perceptum
Ergo omne judicium id. — id. — id. — seu objectivitatem

pro circumstantiis. Illæ enim circumstantiæ, cujuscumque sint naturæ, utique non mutant essentiam perceptionis idealis, quæ semper in intuitione objecti, non obstante rerum adjunctarum varietate, consistit. Nunc vero, vel illa intuitio per se dicit connexionem cum realitate, vel non. Si prius, semper et in quocumque casu aderit hæc connexio. Si posterius, nunquam, quæcumque sint circumstantiæ, poterit existere. Et vero circumstantias, de quibus agitur, reponunt Scotici in præsentia aut absentia judicii existentiam objecti idealis cum immediata persuasione pronuntiantis. Porro, tales circumstantiæ ideæ conferre non possunt realitatem, posito quod per se non sit aliquid reale. Judicium enim, utpote factum mere subjectivum, ab ideæ perceptione determinatum, suum valorem objectivum ab idea desumere debet, nec ideo ad ideæ objectivitatem astruendam nobis inservire potest.

aut saltem nescimus utrum hæc connexio existat et hinc scepticismum construerent.

Probatur secunda pars : nempe, *Ideas in imagine seu repræsentatione realitatis consistere non posse.* — Ut enim res aliqua tanquam alterius rei repræsentatio a mente nostra apprehendatur, omnino requiritur 1° ut rei utriusque, tum scilicet repræsentantis, tum repræsentatæ, ideam habeamus; requiritur 2° ut eædem res aliquam inter se similitudinem habeant : alterutra enim conditione deficiente, repræsentatio nullum sensum haberet. Atqui, neutram ex his conditionibus adimplent *ideæ repræsentativæ*. — *Non priorem.* Qui enim hujusmodi ideas admittunt, supponunt eas tantum menti immediate præsentes esse, ideoque ens quod repræsentant, nullatenus in sua realitate a nobis apprehendi. — *Non posteriorem.* Ideæ enim repræsentativæ, nihil entis in seipsis habere debent; alioquin, adversarii ens immediate a nobis apprehendi immerito negarent. Atqui, inter ens et non-ens nulla similitudo esse potest. Impossibile est igitur quod unum per alterum repræsentetur. Et vero, si ideæ repræsentativæ ens aliquod haberent, ens illud utique non foret nisi ens finitum et contingens. At, ex alia parte, constat mentem nostram infiniti et

necessarii ideam habere. Unde sequeretur, in hypothesi quam confutamus, per finitum et contingens, nobis repræsentari infinitum et necessarium. Atqui, finitum et contingens non possunt infinitum et necessarium repræsentare. Hæc enim nullam inter se similitudinem habent. Ergo, etc...

Probatur tertia pars : nempe, *In Ideis ens proprie dictum agnosci debere.* — Hujus tertiæ partis veritas ex his quæ præcedunt ultro profluit. Si enim, ex una parte, ens proprium idearum ope apprehendimus; si, ex alia parte, ideæ tanquam meræ repræsentationes id non efficiunt; ergo, ideæ per se ipsas ens menti exhibent, proindeque ens quoddam in illis est agnoscendum.

II° *Utrum ens ideæ constitutivum, sit ens existentiale an possibile tantum?*

26. Systema D. Rosmini. — Ens possibile tantum a nobis per ideam apprehendi recens contendit Antonius Rosmini Serbati, philosophus italus ~~adhuc superstes~~ qui ex paucis diebus excessit. Illius doctrina circa punctum præsens exponitur in opere cui titulus : *Nuovo Saggio Sull' origine delle Idee ;* et quantum judicare potuimus, ad hæc præcipua reducitur.

1° Varii auctores, qui elementa primitiva cognitionis humanæ determinare conati sunt, in duas classes distribui possunt. Alii nempe, totam cognitionem humanam ab experientia profluere contenderunt, ideoque nihil *a priori* præter nudam facultatem in anima admiserunt. Alii, viam tenentes oppositam, propugnant aliquid in mente admitti debere quod præcedat experientiam, seu ideas saltem aliquas esse innatas. Hi iterum in hujusmodi idearum numero determinando inter se non concordant, aliis concedentibus inneitatem omnibus ideis, aliis nonnisi pro quibusdam earum hoc privilegium admittentibus.

2° Nec priorum, nec posteriorum doctrina admitti potest ; at non eadem ratione. Quod enim ad illos spectat qui totam

cognitionem humanam ab experientia profluere contendunt, huic cognitioni sufficiens fundamentum non assignant, ideoque penitus deserendi sunt. Cæteri vero potius per excessum peccant, quatenus plus exigunt, quam ad cognitionem humanam constituendam stricte requiritur.

3º Nova igitur inquirenda est problematis propositi solutio. Hæc in eo consistere debet quod inveniatur idea quædam quæ totum cognitionis humanæ elementum intelligibile constituat; qua nempe posita, quælibet judicia intellectualia, quæ a nobis proferuntur, sint possibilia; qua autem absente, eadem judicia impossibilia fiant. Hæc idea nihil aliud est quam idea *entis in genere possibilis*. Primum quidem modo prorsus indeterminato in nobis existit præfata idea. Postea autem experimenti sensibilis ope, ex illa profluunt conceptus variarum individualitatum realium de quibus possumus cogitare. Cum igitur cæteræ ideæ nihil aliud sint quam variæ applicationes ideæ *entis in genere possibilis*, quæ cogitationum nostrarum quarumcumque elementum intelligibile constituit, vere igitur dici debet hanc unicam esse mentis nostræ ideam.

Nunc vero, in opere, cujus brevem synopsim modo exhibuimus, plurima quidem inveniri laude dignissima in quibus relucet ingenium philosophicum præclari auctoris libenter agnoscimus. Attamen hujus theoriæ, circa naturam ideæ, suffragari non possumus. Sit itaque

27. Thesis. — *Ens quod ideam constituit, non est ens in genere possibile, sed ens concretum et existens.*

Prob. — Ens quod ideam constituit, talis naturæ esse debet, ut in se et actualiter realitatem habeat, non autem in alio tantum et potentialiter. Principii hujus veritas per se patet. Si enim idea potentialiter tantum et in alio ente realitatem haberet, in hoc alio ente tantum percipi posset. Tunc autem non ipsi, sed enti in quo contineretur, *ideæ* nomen reipsa conveniret. Ens enim illud esset sola realitas quæ de facto intellectum terminaret et illustraret.

Porro, non minus evidens est *ens in genere possibile* nullam in seipso realitatem habere. Quod enim realiter existit, nec in genere, sed determinate, nec possibiliter, sed actu existit. Ens in genere possibile nihil aliud objective dicit quam potestatem enti reali competentem ens quodlibet ex nihilo existentiæ ad existentiam perducendi; ideoque nonnisi in illo ente realitatem habet. Ergo, demum concludere possumus ens in genere possibile objectivitatem ideæ non constituere.

III° *Quænam existentiæ species ideæ competat?*

28. Status quæstionis exponitur. — Existentiam realem et proprie dictam ideæ competere jam nobis constat. Triplex autem, relative ad nos, realitatum existentialium ordo distingui potest, nempe : 1° *anima ipsa*, 2° *existentiæ contingentes* quæ mundum hunc aspectabilem constituunt, 3° demum *ens necessarium* seu *Deus*.

Inquirendum ergo nobis est an et quatenus unaquæque ex his realitatibus perceptionem nostram idealiter possit terminare.

29. Opiniones. — Non eadem est hac de re philosophorum sententia. Nobis igitur primum exponenda sunt varia eorum placita quæ ad quatuor præcipua reduci possunt.

Prima opinio. — Non desunt qui totam ideæ objectivitatem reponunt in τω *Ego*, seu in ipsomet principio cogitante. Huic principio tribuunt potestatem sese sibimetipsi ut cogitationis terminum constituendi. In ipso igitur subjectum et objectum cogitationis identificantur, mens extra seipsam nihil cognoscit, hæcque sibi omnia est. Ita in primis Fichte, cujus doctrinam fusius alibi exposuimus (*Append. ad Theod. n.* 16).

Secunda opinio. — Alii admittunt quidem cogitationem nostram ad objectivitatem a subjecto cogitante distinctam terminari. Hanc autem objectivitatem nihil aliud esse conten-

dunt quam entia contingentia quæ mundum hunc aspectabilem constituunt, in eorum existentiæ facto considerata. Deus, in hac doctrina, immediate a nobis non percipitur. Quotquot igitur ita sentiunt admittere debent, vel menti nostræ nullam Dei cognitionem adesse, vel ex ipsamet idea rerum contingentium cognitionem hanc provenire.

Tertia opinio. — Tertia opinio ea est quam vulgo propugnant scholæ scoticæ philosophi, si tamen eorum mentem probe fuerimus assecuti. Jam pauca diximus de eorum doctrina circa ideæ objectivitatem, prout illius apprehensio, quam *conceptionem* nuncupant, est elementum *perceptionis*, vel non. In posteriori quidem casu, idea nihil prorsus reale dicit, ne possibile quidem. In priori vero idea est existentiæ factum ab anima nostra immediate apprehensum. Hoc autem factum potest esse : vel anima ipsa, saltem in ipsius phænomenis spectata, vel existentiæ contingentes nobis extrinsecæ, vel demum realitas absoluta seu Deus. Hinc triplex perceptionis genus : *interna* scilicet, *externa* et ea demum quam *rationis puræ* nuncupant. — Incertum tamen nobis videtur utrum postrema hæc perceptio ab omnibus scoticis admittatur.

Quarta opinio. — Exponenda tandem venit doctrina percelebris visionis rerum omnium in Deo, cujus nempe patroni asserunt ideam nihil aliud esse quam ipsummet Deum menti indesinenter præsentem illamque intelligibili luce illuminantem. Præcipua illius doctrinæ puncta hæc sunt.

1° Deus solus est objectum immediatum intellectus nostri; solus enim sese nobis intelligendum præbere potest. Hoc exprimit S. Augustinus dicendo *animam humanam et mentem rationalem non illuminari nisi ab ipsa substantia Dei.* (*Tract.* 23 *in Joann*).

2° Illud in nobis Deus efficit per suum Verbum. Verbum enim est substantia divina quatenus intelligibilitate prædita. Quemadmodum nempe, vi illius intelligibilitatis, Deus sese in Verbo agnoscit ; ita etiam, in eodem Verbo, sese nobis mani-

festat. Intelligentia igitur, qua fruimur, ad eamdem realitatem ac ipsamet intelligentia Dei terminatur, ideoque tanquam imperfecta quædam communicatio infinitæ hujus intelligentiæ haberi debet. Hinc patet quam vere et profunde dicere potuit S. evangelista Joannes : *Verbum erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (cap. 1).

3º Per hanc immediatam mentis nostræ enti divino applicationem, non solum Deum ipsum intellectualiter apprehendimus, sed etiam essentias rerum contingentium quas cognoscere nobis datur. Illæ enim essentiæ nihil aliud sunt quam ipsæmet ideæ divinæ quibus nempe Deus ab æterno cognoscit propriam essentiam, non solum, ut ait S. Thomas, *secundum quod in se est, sed etiam, secundum quod est participabilis, juxta aliquem gradum similitudinis, a creaturis* (Prima Pars, q. 5, art. 2). Hinc concipitur quomodo in Deo, licet infinite perfecto, quarumlibet rerum creatarum ideas, ipso annuente, habere possimus.

4º Hinc sequitur cognitionem Dei cujuslibet alterius cognitionis conditionem esse, aut potius hanc esse in aliquo sensu solam cognitionem qua fruamur, et quasi substratum intelligibile totius cognitionis humanæ. Dei igitur existentia, non est veritas secundaria quæ ratiocinii ope demonstrari possit, sed veritas prima ad quam immediata intuitione pervenimus. Ratiocinii tamen ope idea Dei ex non-reflexa reflexa reddi potest; nec ad aliud inserviunt variæ demonstrationes quas philosophi adhibent ad existentiam Dei adversus illius impugnatores vindicandam.

5º Observandum est tamen intuitionem Dei qua fruimur in vita præsenti, longe distare ab hac altera Dei intuitione qua, Deo dignante, in vita futura beatitudinem consequemur. De discrimine utriusque intuitionis nonnulla in decursu adnotare conabimur.

Doctrinam hanc, quam Plato propugnasse perhibetur apud veteres, magis expresse tenuerunt, inter philosophos christia-

nos : S. Augustinus (loc. cit.; Lib. 83 quæst., q. 46; de Trin. l. 24, c. 15 et passim); S. Bonaventura (*Itiner. mentis ad Deum*); Malebranchius, Fenelonius, Gerdil, etc...

Huic et nos, post tot et tantos viros ex totis præcordiis adhærere profitemur. Sit itaque

30. Thesis prima. — *Realitas ideæ a realitate subjecti cogitantis, sese objective apprehendentis, distingui debet.*

Prob. — Ut enim realitas ideæ cum realitate subjecti cogitantis sese objective apprehendentis confundi valeat, duo essentialiter requiruntur : 1° ut subjectum cogitans sese reipsa objective apprehendat, 2° ut subjectum cogitans objective apprehensum omnes characteres objecti idealis, quod, teste conscientia, apprehendimus, menti exhibeat.

Atqui, neutrum ex his dici potest.

1° *Subjectum cogitans sese objective non apprehendit.* — Etenim, si subjectum in nobis cogitans objecti simul et subjecti munere in cogitationis actu fungeretur, de illo sub hoc duplici respectu conscientiam haberemus; *nos* nempe apprehenderemus subjective simul et objective; ideoque existentiam nostram nobisipsis testificaremur, non tantum per hoc pronuntiatum: *Ego cogito*, sed et per hoc aliud priori correlativum : *Ego cogitor*. Impossibile est enim *nos* aliud esse quam nobisipsis esse conscii sumus. Atqui, quantumvis conscientiam nostram interrogemus, nihil aliud, illius ope, de nobisipsis possumus detegere, nisi quod *cogitamus*, seu quod sumus *subjectum cogitans*. Quod spectat ad objectum ad quod cogitatio nostra terminatur, illud quidem apprehendimus ut nobis immediate præsens, nos vero cum illo identificari, proindeque *nos cogitari* nullo modo conscientiam habemus. Ergo, 1°, etc.

2° *Subjectum cogitans, in hypothesi quod objective apprehenderetur, omnes characteres objecti idealis, quod apprehendimus, non adimpleret.* — Etenim, conscientia teste, cogitando percipimus realitatem objectivam quæ 1° relative

ad nos spectata, concipitur ut aliquid a nobis prorsus independens et separabile, proindeque in se habens ens completum; quæ 2°, in se spectata, menti nostræ exhibet ideam entis infiniti, necessario et immutabiliter existentis, infinita creandi potentia præditi, etc...

Atqui, subjectum cogitans, in hypothesi quod objective apprehenderetur, tales characteres non exhiberet.

Et quidem 1° ut independens et separabile ab anima nostra concipi non posset; cum ipsa enim substantialiter identificaretur, nec per se, et independenter ab illa, ens completum efficeret.

Nec 2° ideam entis infiniti, necessario et immutabiliter existentis, infinita demum creandi potestate præditi, menti exhiberet. Etenim, principium cogitans objective spectatum habere non potest characteres prorsus oppositos iis qui illi, ut cogitationis subjecto, essentialiter competunt. Atqui, tales sunt characteres modo enuntiati. Anima enim, ut subjectum cogitans, est aliquid finitum, contingens et mutabile, agendi ad extra ideoque creandi potestate prorsus destitutum. Ergo, etc.

31. Obj. — Illud de natura objecti idealis a nobis apprehensi admitti debet, quo rejecto, illius objecti apprehensio a mente nostra prorsus impossibilis foret, ideoque transitus a subjecto ad objectum fieri non posset. Atqui, rejecta identificatione illius objecti cum subjecto in nobis cogitante, hoc consectarium sequeretur. Ergo, etc..

Ita fere Fichte, qui ideo doctrinam suam exhibet ut fundamentum necessarium scientiæ cujuslibet constituendæ.

Resp. neg. min. — Apprehensio objecti idealis a mente est factum inconcussum quidem et certissimum, sed cujus modum explicare non valemus. Actus enim intellectualis, cujus ope omnia a nobis cognoscuntur, est ipse profundissimum mysterium, cui explicando incassum laboraremus. Si igitur a nobis quæratur quomodo fieri possit animam nostram præsentia objecti a seipsa distincti intellectualiter illuminari, ignorantiam nostram fateri cogemur.

Licet autem non intelligamus apprehensionis, de qua agitur, naturam et modum, minime sequitur apprehensionem hanc esse impossibilem. Illud enim tantum impossibile dici debet, quod contradictio-

nem includit. Atqui, nulla contradictio invenitur in eo quod subjectum intelligens objectum substantialiter a seipso distinctum percipiat.

Et vero, adversarii a quibus præsens proponitur objectio, apprehensionis intellectualis possibilitatem admittunt inter subjectum et objectum, quoad substantiam identica. Atqui, apprehensio intellectualis inter tales terminos, facilius non concipitur, quam inter terminos substantialiter distinctos.

Etenim, licet subjectum et objectum intellectualis apprehensionis in eadem substantia contineri supponantur, necesse est tamen, quidquid demum dicatur, aliquam distinctionem inter hæc duo existere; ita ut substantia eadem prorsus non sit, quatenus est subjectum et quatenus est objectum. Hæc enim distinctio in facto apprehensionis intellectualis essentialiter continetur.

Possibile est igitur, fatentibus ipsis adversariis, duos terminos distinctos sese intellectualiter apprehendere. Unde, ex sola distinctione substantiarum, male concluditur unam non posse alteram percipere.

32. Inst. — In hypothesi quod subjectum cogitans et objectum cogitatum substantialiter distincta essent, requireretur : vel subjectum ex seipso exire, ut objectum apprehenderet, vel objectum extra seipsum poni, ut in objecto reciperetur. Atqui, utrumque repugnat. Ergo, etc...

Resp. neg. maj. — Ut enim subjectum cogitans objectum apprehendat, minime requiritur alterutrum extra seipsum poni, quod reipsa repugnantiam involveret. Sufficit ut hæc duo sibi uniantur per quoddam præsentiæ genus, cujus naturam, prout jam dictum est, definire non possumus, quæ vero in se repugnantiam includere ostendi non potest. — Præterea, quod nobis hic opponitur, ipsi adversariis rursum opponere possumus. Admittunt enim cognitionem esse possibilem inter terminos quoad substantiam identicos. Porro, si subjectum cogitans non possit apprehendere objectum, quin alterutrum extra seipsum ponatur et cum altero identificetur, jam prorsus impossibilis fit cognitio, non solum inter subjectum et objectum substantialiter distincta, sed etiam inter subjectum et objectum quoad substantiam identica. Etenim, vel in hoc posteriori casu, necesse est subjectum et objectum cognitionis in se invicem transire, vel illud non requiritur. Si prius, jam nulla superest cognitio quæ distinctionem inter objectum et subjectum essentialiter supponit. Si posterius, ergo, absolute possibile est objectum a subjecto apprehendi, quin alterutrum ex seipso egrediatur et sese in alterum transfundat.

33. Thesis secunda. — *Objectivitas ideæ in factis contingentibus et finitis extra nos positis reponi non debet.*

Prob. — Ex expositione superius allata (n. 29) constat duplici modo propugnari posse ideæ objectivitatem in factis contingentibus esse reponendam ; hoc enim intelligi potest, vel in eo sensu quod nihil nisi contingens et finitum immediate percipiamus ; vel in eo sensu quod facta contingentia et finita inter realitates a nobis idealiter apprehensas sint reponenda. Ut igitur thesis adæquate astruatur, hæc duo seorsim sunt confutanda.

Probatur prima pars, nempe : *Objectivitatem ideæ in factis contingentibus et finitis, saltem totaliter, reponi non debere.* — Etenim, in ea tantum realitate ideæ objectivitas totaliter reponi debet, quæ talis est naturæ, ut 1° per se solam terminare possit cogitationem, ut 2° in seipsa includat quidquid cogitando apprehendimus. Atqui, facta contingentia et finita neutram ex his conditionibus adimplent.

Et quidem 1° *facta contingentia et finita non possunt per se sola cogitationem terminare.* — Hæc enim facta non possunt concipi ut contingentia, quin concipiantur ut effectus causæ ab illis distinctæ, quin proinde hujus causæ conceptus factorum hujusmodi conceptum præcedat. Item, ut finita concipi non possunt, quin concipiantur ut aliquo positivo carentia, quin proinde conceptus habeatur positivi hujus quo privantur. Conceptus igitur factorum contingentium et finitorum alterius realitatis conceptum essentialiter prærequirit ; ideoque hæc facta per se sola cogitationem terminare non possunt.

2° *Facta contingentia et finita in seipsis non includunt quidquid cogitando apprehendimus.* — Etenim, præter contingens, concipimus necessarium ; præter finitum, concipimus infinitum. Utriusque conceptus præsentiam in mente nostra evidentissimum astruit conscientiæ testimonium : hanc præterea concludere debemus ex his quæ dicta fuerunt, tum in Ontologia generali, tum in Theodicea, de Ente necessario et

infinito. Atqui, facta contingentia et finita nihil in seipsis includunt quod conceptum necessarii et infiniti producere possit. Illa enim tantum realitas conceptum necessarii et infiniti producere potest, quæ in se aliquid habet per quod conceptus ille valeat objective terminari, quæ proinde necessarium et infinitum in seipsa includit. Atqui, contingens et finitum, cum sint negatio necessarii et infiniti, hoc utrumque in seipsis continere non possunt. Ergo, etc...

Probatur secunda pars, nempe : *Objectivitatem ideæ in factis contingentibus et finitis, nec quoad aliquid, esse reponendam.*

Illa enim facta objectivitatem ideæ, nec quoad aliquid, constituere dici possunt, quæ in seipsis, et quatenus facta existentialia, intellectum nostrum nullatenus terminant, et a nobis idealiter non percipiuntur. Atqui, talia sunt facta contingentia et finita a nobis distincta.

Major evidens est; minor autem sic astrui potest.

1º Illud tantum a nobis percipi, nostrumque intellectum terminare potest, quod in animam nostram influxum activum exercendi vim habet. Quando enim percipimus, passive afficimur per objecti percepti præsentiam; unde necesse est objectum illud in animam nostram agere. Atqui, nullum factum contingens et finitum nobis extrinsecum vim habere potest animam nostram active afficiendi (*Cosm.*, n. 102). Ergo, nullum factum contingens et finitum a nobis percipi, intellectumque nostrum terminare potest.

2º Illud utique a nobis non percipitur quod nullam cum perceptionibus nostris connexionem habet, adeo ut perceptionibus nostris iisdem remanentibus, existens aut non existens absque contradictione supponi possit.

Principium istud evidentissimum est. Perceptio enim consistit in *intuitione objecti*. Objectum igitur, ad quod terminatur, pars illius essentialis esse debet, ideoque essentialem cum illa connexionem habere.

Atqui, nullum ens finitum et contingens, in sua existentia spectatum, cum perceptionibus nostris essentialem habet connexionem.

Nullam enim possumus deprehendere contradictionem in eo quod Deus, vi dominii absoluti quod habet, res omnes existentes annihilet, præter animam nostram, quam tamen iisdem perceptionibus quam antea afficeret; seu, quod in idem recidit, in eo quod Deus nos actu afficiat perceptione rerum quæ nunquam exstiterunt, v. g. *montis aurei*, etc. Hæc igitur hypothesis est absolute possibilis. Attamen, si præfata connexio existeret, hoc utique dici non posset.

Præterea, si hæc connexio existeret, vel in omnibus circumstantiis, adeo ut de nullo objecto creato cogitare possemus, quin eo ipso existeret; vel in quibusdam circumstantiis tantum, et præcipue in his rerum adjunctis quæ Scoticorum *externam perceptionem* constituunt. Atqui, neutrum dici potest — *Non prius*. Evidens est enim mentem nostram posse sibi deam effingere de multis rebus quæ nunquam exstiterunt. Illud de facto, et in primis, in somniis evenire nemo nescit. — *Non posterius*. Quæcumque enim sint circumstantiæ, quæ repræsentationem quamdam idealem comitantur, sive, v. g., de existentia objecti persuasio habeatur, aut non habeatur, eadem semper in se remanet repræsentatio præcise tanquam repræsentatio. Posito igitur quod, in aliquo casu, connexionem essentialem cum existentia objecti hæc repræsentatio non habeat, hanc in aliis casibus per se non habebit.

3° Ex alibi probatis (*Cosmol.* n. 57) res quæ, præter Deum, cogitationem nostram objective terminant, reducuntur ad conceptum *extensi*, seu, quod in idem recidit, prout ibidem ostenditur, ad conceptum entium finitorum in genere, sibi invicem in aliquo ordine coexistentium. Atqui, talis conceptus ad factum existentiæ hujusmodi entium non terminatur. Etenim quidquid existit, non in genere tantum, sed in specie et cum omni determinatione existit; ideoque, quidquid

ut existens concipitur, non in genere sed in specie concipi debet. Eo ipso igitur quod in rebus externis nihil aliud concipiamus quam ens finitum in genere, merito concludere possumus conceptum, quem de illis habemus, ad eorum existentiæ factum nullatenus terminari. — Et illud apprime conforme est opinioni communi philosophorum et ipsorum adversariorum qui, in hoc parum sibi consentientes, nos essentiam substantialem materiæ prorsus ignorare profitentur. Si enim materiæ essentiam prorsus ignoremus, ergo ad materiam actu existentem, quæ nihil aliud est quam essentiæ materiæ actuatio, perceptio nostra non terminatur (1).

Ergo, facta contingentia et finita in seipsis, id est, in eorum existentiæ facto, a nobis non percipiuntur.

(¹) 34. COROLLARIUM. — *Ergo, ex solo conceptu rerum contingentium et finitarum, earum quidem possibilitatem, minime vero earum realitatem existentialem possumus concludere.*

Illius corollarii veritas ex thesi modo statuta ultro deducitur.

Quod quidem spectat ad realitatem existentialem rerum contingentium et finitarum, cum earum conceptum objective non terminet, nec sit huic conceptui essentialiter connexa, ex hoc solo conceptu manifeste concludi non potest.

(1) Nonnullis doctrinæ Scoticæ propugnatoribus circa existentiarum contingentium perceptionem, non difficile fuit animadvertere perceptionem hanc ad ipsasmet substantias contingentes non terminari, eo quod luce meridiana clarius sit harum substantiarum naturam nos penitus latere. Ne tamen doctrinam dilectam desererent, ad illud effugium devenerunt nos non substantiam, sed tantum modos rerum contingentium percipere ; postea autem, ex his modis, ad substantiæ quam retegunt existentiam, ratiocinii ope, assurgere. Iidem tamen auctores, quando modum et substantiam definiunt, expresse asserunt hæc duo *non esse distincta in se et a parte rei, sed tantum in mente nostra et in nostris conceptionibus* ; quatenus nempe, abstractionis ope, considerare possumus ens aliquod, vel quatenus est ens, vel quatenus hanc vel illam determinationem habet. Itaque, ex una parte, *modus et substantia in se et a parte rei non distinguuntur* ; ex alia parte, *modos tantum entium percipimus, et ad ratiocinium confugere debemus, ut ex ipsis ad substantiæ existentiam deveniamus*. Omnes fateri debent hæc difficile, ne quid amplius dicam, inter se conciliari posse.

Vid. Fend. 2a par. N. 54.59.66.

Attamen conceptus hujusmodi rerum objectivitate prorsus non destituitur.(1) Hæc objectivitas, cum non sit in se aliquid existentiale, nihil aliud esse potest, prout infra ostendemus, quam earum rerum essentia in Deo apprehensa. Nihil autem eo modo apprehendi potest, quin possibilitate gaudeat. Ergo, etc...

35. NONNULLÆ OBJECTIONES PROPONUNTUR ET SOLVUNTUR. — Huic thesi tria præcipue opponunt, quæ omnino reticere non debemus.

Opponunt 1° doctrinam hic a nobis propugnatam sensui communi hominum, qui res creatas in seipsis percipi persuasum habent, contradicere.

Hoc autem nobis prorsus immerito exprobrari facile constat. In thesi enim modo posita, agitur de quæstione quæ captum majoris partis hominum superat, quæ proinde sensus communis dominium prætergreditur. Reipsa, per visionem objectorum creatorum, vulgus aliud non intelligit quam varios sensus coloris quos in nobis excitant hujusmodi objecta. Porro, illæsa thesi nostra, concedere possumus objecta externa in eo sensu a nobis videri.

Opponunt 2° impossibilitatem in qua, admissa nostra doctrina, conjicimur, existentiam rerum contingentium demonstrandi.

Ex iis autem quæ statuuntur in Logica, constat impossibilitatem hanc nullatenus existere, rerumque contingentium existentiam, licet non percipiatur, certissimam tamen esse (Cf. *Log.*, n. 213).

Opponunt 3° quod rebus creatis in earum existentia non apprehensis, nec illas in sua essentia apprehendere possibile nobis erit, eo quod apprehensio existentiæ apprehensionem essentiæ præcedere debeat.

Hoc assertum omnino falsum est. Ut nempe essentiam alicujus rei apprehendamus, necesse est quidem ut illius existentiam possibilem, non vero ut illius existentiam actualem percipiamus. Alioquin, Deus res non cognosceret ante earum existentiæ factum, quod utique dici nequit.

36. — THESIS TERTIA. — *Realitas, quæ menti nostræ tanquam idea objicitur, est Deus solus; proindeque Deum immediate et omnia in illo percipimus.*

Prob. — Quisquis hucusque dicta probe intellexerit facile ad-

(1) Si quidem probatum est (vid. 25, 27) omnem conceptum habere objectum.

vertet hanc thesim nihil aliud esse quam merum theseon præcedentium corollarium. Cum tamen maximi sit momenti, illam expresse astruere operæ pretium duximus.

Duo probanda sunt ; nempe 1° Deum in seipso idealiter a mente nostra apprehendi, 2° nihil nisi in ipso a nobis percipi posse.

Atqui hæc duo constant.

Et quidem 1° *Deus in seipso idealiter apprehenditur.* — Illud ens a nobis in seipso idealiter apprehenditur quod 1° a nobis cogitatur, quod 2° in alio ente cogitari nequit. Atqui, talis est Deus. — Quod ad prius spectat, diffiteri nemo potest Deum a nobis cogitationis ope apprehendi. Vox enim *Deus* realitatem menti nostræ exhibet, quam perfecte distinguimus a qualibet alia. Hoc cæterum abunde constat ex dictis in Theodicea (*Theod.* n. 39).—Non minus autem evidens est realitatem existentialem quam apprehendimus, dum ad conceptum Dei oculus mentis dirigitur, in nulla alia realitate quam in ente ipso divino cognosci posse. Etenim, Deus est, quoad essentiam, ens supremum, infinitum, simpliciter; quoad existentiam, ens necessarium ; quoad operationem externam, ens omnipotens. Atqui nulla est realitas quæ ens tale menti repræsentare possit. Vel enim hæc realitas easdem haberet dotes, vel non. Si prius, Deus ipsa foret. Si posterius quomodo menti exhibere posset dotes positivas quibus ipsa privaretur ? Ergo, de Deo cogitare non possumus, quin in seipso Deus a nobis idealiter apprehendatur. Vid. fund. 1° par. 50-62.

2° *Nihil nisi in Deo a nobis percipi potest.* — Etenim quidquid, præter ens ipsum divinum, objective percipimus, ad essentias et existentiam possibilem rerum contingentium reducitur. Atqui, essentiæ et existentia possibilis rerum contingentium nonnisi in Deo percipi possunt. Ergo, etc...

Probatur major. — Constat enim ex secunda thesi, nullum factum contingens existentiæ idealiter a nobis apprehendi. Atqui, si excipiantur facta contingentia existentiæ, nullæ

realitates, præter ens ipsummet Dei, percipi possunt, nisi essentia possibilis rerum contingentium.

Probatur minor. — Hæc enim nonnisi in Deo percipi possunt, quæ ab ente divino reipsa entitative non discrepant. Atqui, tales sunt tum essentiæ, tum existentia possibilis rerum contingentium. — *Essentiæ quidem hujusmodi entium;* hæ si quidem essentiæ, si ab existentia actuali separentur, nihil aliud esse possunt quam essentia Dei, quatenus, juxta textum S. Thomæ jam citatum, participabilis est secundum aliquem gradum a creaturis. — *Existentia quoque possibilis eorumdem entium;* hæc enim de facto non discrepat ab omnipotentia divina, in qua continetur ratio, cur res quælibet, extra Deum, ad existentiam possint pervenire.

Ergo, tandem concludere possumus Deum in seipso et omnia in illo a nobis videri.

37. Scholium. — *Utrum cognitio immediata Dei cum ipsius cognitione supernaturali confundi debeat.* — Visionis rerum omnium in Deo impugnatores huic doctrinæ præcipue opponunt quod, ipsa admissa, nullum supersit discrimen inter duplicem cognitionem Dei, naturalem et supernaturalem, quod tamen unanimo ore Doctores catholici admittunt.

Plena et completa hujus difficultatis solutio pertinet ad S. Theologiam ad quam *status supernaturalis* naturam determinare spectat. Hanc tamen penitus reticere hic non possumus. Præmissa nempe historica expositione opinionum quas, de discrimine cognitionis supernaturalis Dei ab ejusdem cognitione naturali, auctores catholici propugnaverunt; exinde facile nobis erit concludere discrimen istud in doctrina a nobis propugnata intactum subsistere.

Ante omnia, quodnam sit, in præsenti quæstione, controversiæ punctum, sedulo determinandum est. Omnes doctores catholici Scripturæ Sacræ textibus, SS. Patrum testimoniis, Conciliorumque decretis innixi, admittunt : 1° aliquam in præsenti vita nobis inesse Dei cognitionem ; 2° alteram existere

Dei cognitionem pleniorem et perfectiorem, qua, hujus vitæ cursu legitime peracto, frui nobis concedetur; 3o posterioris hujus cognitionis consecutionem supernaturalem esse, id est, ad eam per solas naturæ suæ vires hominem pervenire non posse. Dissentiunt autem auctores in determinanda ea qualitate vi cujus hæc eadem Dei cognitio vires naturæ superare dici potest.

Duas præcipuas opiniones hoc de puncto propugnatas hic referemus.

I° Juxta plures qui, ad suam opinionem tuendam, S. Thomæ auctoritatem allegant, discrimen inter duas cognitiones, de quibus agitur, desumi debet ex natura objecti quod in utraque immediate terminat intellectum nostrum. In præsenti nempe vita objectum illud non est Deus ipse. Non enim percipimus immediate nisi ens creatum, in quo, tanquam in imagine, Dei naturam utcumque apprehendimus. In futura autem vita Deum ipsum absque ullo intermedio intuebimur. In hoc sensu intelligunt textum Apostoli: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (I *Cor.*, XIII, 22). Porro, cognitio hæc immediata vere supernaturalis dici debet; quatenus est quid indebitum nostræ naturæ, ipsique per liberam Dei misericordiam superadditum.

II° Alii, propter rationum momenta in thesibus præcedentibus exposita, impossibile existimant Deum cognosci alicujus ope intermedii. Posito igitur quod Deum cognoscamus, necesse est ut Deus ipse nobis sit immediate præsens, et, tanquam objectum ideale, intellectum nostrum terminet. Unde, sub hoc respectu, cognitio Dei in præsenti vita, et ejus cognitio in futura, inter se non discrepant. Posterior autem ideo priori præstat, quod, illius ope, melius et perfectius ens divinum menti innotescet. Non tantum enim in futura vita magis distincte cognoscemus ea quæ de Deo in præsenti concipimus; Deus præterea ens suum nobis tunc manifestabit in gradu superiori. Entis divini apprehensio, juxta hunc gra-

dum, nulli creaturæ debetur; ideoque cognitio Dei, quatenus ad hunc gradum terminatur, vere supernaturalis dici debet.

Quando autem agitur de determinando illo respectu entis divini, cujus apprehensio constituit cognitionem supernaturalem illius entis, non eodem prorsus modo loquuntur auctores, quorum placita exponimus.

Nonnulli hunc respectum desumunt ex distinctione inter proprietates Dei et illius essentiam. Contendunt nempe cognitionem Dei naturalem esse tantum, aut supernaturalem, prout ad priorem, aut ad posteriorem dirigitur. Ita in primis sentire videtur D. Ubaghs (*Revue catholique*, mai 1854, p. 175 et seqq.)

Alii rem magis explicate exponunt. In ente divino, inquiunt, duo sunt distinguenda : 1° illius intima constitutio, tanquam ens; 2° illius operatio ad extra, qua scilicet, in seipso constitutum, nova producit entia per creationem. Hinc duplex cognitio Dei : una *intuitiva* (*in* seu *intra tueor*), qua sub priori respectu cognoscitur : altera *extuitiva* (*extra tueor*), qua sub posteriori respectu, id est, ut principium creaturarum apprehenditur. Hæc naturalis est, illa vero supernaturalis.

Inter insigniores illius opinionis defensores citari meretur illustrissimus Eccles. Rom. Cardinalis Gerdil, quem visionem in Deo acerrime propugnavisse norunt omnes. Hic difficultatem præsentem expendens, præsertim in opere cui titulus : *Principes métaphysiques de morale chrétienne* (liv. II, principe 11°), illam resolvit in sensu modo exposito. Ibidem quoque assignat plura alia discrimina quæ inter cognitionem immediatam Dei, quam naturaliter habemus, et eam quam in futuro supernaturaliter consequi speramus.

Nunc vero, ex duobus systematibus supra expositis, nullum est quod ad fidem catholicam pertineat, nullum est etiam quod salva eadem fide propugnari non possit. Utrumque enim in scholis catholicis libere propugnatur. Porro, juxta patronos posterioris systematis perceptio immediata Dei teneri potest, illæsa

distinctione a Doctoribus catholicis admissa inter cognitionem Dei naturalem et ipsius cognitionem supernaturalem. Doctrina igitur perceptionis immediatæ Dei omniumque rerum in ipso, quam propugnavimus, nihil habet quod, sub hoc respectu, fidei catholicæ ullatenus adversetur.

Hæc profecto sufficiunt ad præfatam doctrinam a quibusvis heterodoxiæ insimulationibus vindicandam. Utile tamen existimavimus alteram hic exponere doctrinam, circa discrimen status supernaturalis a statu naturali, quæ, nostro judicio, plenius et perfectius difficultatem solvendam elucidat. Hanc a viris in Philosophia et Theologia versatissimis hodie propugnari compertum habemus, nedumque auctoritati S. Scripturæ et Traditionis contradicat, his mirifice concordare videtur. Liceat igitur nobis, saltem ut meram hypothesim, illam proponere, ab ea recedere parati, posito quod minus conformis doctrinæ catholicæ judicaretur.

Doctrinæ hujusmodi summa hæc est :

1º Supernaturale est illud quod superat et excedit omnem naturam sive creatam, sive creabilem. Consistit proinde in quodam statu ad quem Deus libere elevat entia a seipso creata, illis conferendo dotes eisdem quatenus entibus creatis, id est, quatenus talem vel talem naturam habentibus, prorsus indebitas.

2º Duplici modo concipi potest ens quoddam ad hujusmodi statum elevari posse, nempe : 1º illius essentiam ampliando et adaugendo ; 2º ipsum naturæ excellentiori uniendo, illudque naturæ hujus quasi participem efficiendo. — Juxta priorem modum, facultates constitutivæ entis ad statum supernaturalem elevati, perfectiores, per hanc elevationem, efficiuntur ; ita ut anima nostra v. g., in statu supernaturali, modum quemdam intelligendi et amandi habeat, quo in statu mere naturali privata fuisset. Ita statum supernaturalem intelligere debent propugnatores duplicis sententiæ superius expositæ. — Juxta posteriorem modum, ens ad statum supernaturalem elevatum

idem entitative remaneret, post suam ad hunc statum elevationem. Sed, per suam unionem cum natura excellentiori, majorem solummodo dignitatem contraxisset.

3° De his duobus modis hæc tenenda sunt. — Prior quidem propugnari nequit. Nam 1° ens ampliari non potest in ipsius facultatibus, quin actus quo constituitur immutetur et in alium transformetur. Atqui, illud omnino impossibile est. Hoc enim, non elevatio foret entis jam existentis ad novum statum, sed potius novi entis productio (Cf. *Cosmol.*, n. 49). 2° Etsi autem ampliatio, de qua agitur, possibilis esset, statum supernaturalem non constitueret, in sensu hujus vocis absoluto. Supernaturale enim, in sensu absoluto, illud tantum dici debet quod ponitur supra omne creabile. Porro, quicumque sit gradus ad quem entis cujusdam facultates eleventur, facultates illæ semper remanent aliquid creatum. Ergo, etc. — De posteriori modo idem dici nequit. Nam 1° in se possibilis est. Nulla nempe repugnantia est in eo quod inter duo entia relatio quædam existat, vi cujus unum alteri uniatur, et ad ipsum pertineat. 2° Status supernaturalis absolutus eo modo constitui potest. Supponamus enim Deum sibimetipsi conjungere entia a seipso creata, illaque in consortium et communionem vitæ suæ personalis advocare; eo ipso illa entia constituet in statu cuilibet gradui entis creabilis superiore proindeque absolute supernaturali.

4° Hinc facile videtur quodnam discrimen intersit inter *naturale* et *supernaturale*. Quando scilicet Deus, creationis ope, actuat entia, quæcumque sit perfectio termini ad existentiam eo modo perducti, terminus ille est aliquid naturale, idemque dici debet de variis evolutionibus possibilibus facultatum eidem concessarum. Posito autem quod Deus creaturas suas sibiipsi conjungat, illasque aliquo modo vitæ suæ personalis participes reddat, statim concipitur status supernaturalis.

5° Nunc vero, Deum ad hunc statum naturam humanam elevavisse fides catholica nos edocet. Scilicet, per Incarna-

tionis mysterium, sibi in unitatem personæ conjunxit humanitatem Christi, hancque eo modo ad statum supernaturalem excellentissime perduxit. Cum autem simus, per baptismum, juxta testimonium Scripturarum, membra corporis cujus Christus est caput; huic proinde unimur, et in aliquam ejusdem vitæ personalis participationem advocamur. Christo itaque mediante, Deo conjungimur *naturæque divinæ consortes* efficimur. Et sic constituitur status supernaturalis ad quem, tanquam Christiani, elevati fuimus.

6° Natura igitur nostra, variaque facta quæ in ea peraguntur, sub duplici respectu spectari possunt : 1° in seipsis, seu in eorum esse physico et ontologico, 2° quatenus ad Christum caput relationem habent. Sub priori respectu, sunt aliquid naturale; sub posteriori vero respectu, supernaturalia dici debent.

7° Quod speciatim spectat ad cognitionem Dei, quam in futura vita consequi speramus, licet, ex dictis, in se et ontologice sit aliquid naturale, eo quod, quidquid demum dicatur, nihil aliud esse possit quam evolutio perfectissima alicujus facultatis creatæ; tenendum est tamen cum Conciliis, Theologis, et SS. Patribus, illius consecutionem naturæ nostræ vires excedere. Etenim 1° propter elevationem animæ nostræ ad statum supernaturalem, nunquam illa cognitione perfruemur, nisi in unione cum Christo, proindeque nobis consequenda proponitur non jam tanquam finis naturalis, sed tanquam finis supernaturalis. Porro, ad finem supernaturalem naturaliter, ut patet, pervenire non possumus. — 2° Strictius adhuc hoc verum est in statu naturæ lapsæ in quo, propter Adami peccatum, jacemus. In hoc enim statu, prorsus impossibile nobis est, per solas naturæ vires, et seclusa gratia Christi, pervenire ad finem nostrum, vel naturaliter spectatum. Hujus igitur finis consecutio, sub quocumque respectu considerata, naturæ nostræ vires excedere dici debet.

Hujus ope doctrinæ, difficultas proposita, uti facile constat, penitus tollitur. Admisso enim discrimine quod propugnat

inter statum supernaturalem et statum naturalem, nedum perceptio immediata Dei priori tantum ex his statibus adscribi debeat, non potest econtra a nobis supernaturaliter possideri, quin naturaliter simul illa fruamur.

ARTICULUS TERTIUS.

De Ideæ Unitate.

38. Quæstio enuntiatur. — Cum, ex demonstratis, quælibet ideæ suam in Deo realitatem habeant, unitatem aliquam illis competere concludere nobis licet; Deus enim est aliquid unum.

Quomodo autem idearum diversitas propemodum infinita ad unitatem in ente divino reducatur, nunc videndum.

Multiplex hypothesis ad illius unitatis naturam explicandam fingi potest.

39. Prima hypothesis. — Identitas absoluta idearum. — Juxta primam, omnes ideæ nostræ eædem prorsus forent, quoad elementum intelligibile quo constituuntur. Omnes scilicet consisterent in conceptu simplicissimo *entis*, quod semper idem sibiipsi, indesinenter menti nostræ præsens existeret. Tunc igitur varietas idearum nostrarum, non ex elemento intelligibili, sed tantum ex elemento sensibili iis annexo, proveniret. Aut potius, cum hoc elementum ad ideam proprie non pertineat, dicendum est varietatem idearum non nisi apparentem mereque subjectivam esse.

Facile constat hujusmodi hypothesim a nobis admitti non posse. In intelligentia nempe humana inveniuntur conceptus qui inter se differunt quoad ipsummet elementum intelligibile, qui proinde ideas in se distinctas supponunt. Tales sunt v. g. conceptus *creatoris* et *creaturæ*, *spatii* et *temporis*, etc... Unde concludere possumus identitatem absolutam idearum esse rejiciendam.

40. Secunda hypothesis. — Ideæ distinctæ ejusdem entis divini partes constitutivæ. — Juxta alteram hypothesim, diversæ ideæ, quas nobis effingimus, in ente divino ad unitatem reducerentur, quatenus ens divinum ex earum unione coalesceret. Ens ergo divinum concipi deberet ad instar quantitatis cujusdam ex partibus realiter distinctis coalescens. Hæ partes forent ipsæmet ideæ, quas proinde in Deo contemplari facile esset.

Hæc hypothesis ad præsentem difficultatem solvendam nec ipsa adhiberi potest. Si enim ens divinum ex ideis distinctis tanquam

partibus coalesceret, careret unitate. Porro, Deus est essentialiter unum (*Theod.*, n. 24). Ergo, etc....

41. Duæ classes idearum. — Quæstiones solvendæ. — Ut vera solutio obtineatur, observandum est primum ideas nostras, quantacumque earum varietas esse videatur, ad duas tamen classes, prout jam innuimus, reduci posse. Prior complectitur ideas quarum ope ens absolutum apprehendimus. Posterior eas continet quibus entia relativa seu finita nobis innotescunt. Hinc sequitur, ad difficultatem præcedentem solvendam, ostendendum esse: 1° quomodo in unitate ideæ entis absoluti ideæ entium relativorum contineri possint; 2° Quomodo in unitate ideæ ejusdem entis absoluti, contineantur ideæ variarum proprietatum, quæ de illo enuntiantur; 3° Quomodo tandem in unitate ideæ entium relativorum, ideæ proprietatum, quæ illis conveniunt, pariter contineantur.

42. Quomodo ideæ entium relativorum in idea entis absoluti contineantur. — Quod ad *primum* spectat, dicendum ideas entium relativorum in unitate ideæ entis absoluti contineri, quatenus ens absolutum in seipso rationem habet existentiæ quorumcumque aliorum entium. Hanc autem rationem continet tanquam vis creatrix. Dicendum igitur *vis creatricis* ideam medium esse cujus ope, in idea Dei, entium aliorum ideam possumus habere.

43. Quomodo, in idea Dei, ideæ ipsius proprietatum contineantur. — Quod spectat ad *secundum*, iterum observare debemus ideas diversas, quarum ope, ens absolutum a nobis apprehenditur, triplicis esse generis : vel nempe exprimunt proprietates quæ in ipsomet conceptu Entis immediate includuntur, aut potius quæ conceptum hujusmodi constituunt, quales sunt *unitas*, *veritas* et *bonitas* : vel exprimunt dotem modo enuntiatam qua ens absolutum aliis entibus existentiam conferre potest, id est, *vim illius creatricem :* vel demum exprimunt dotes quæ in ente absoluto distincte non concipiuntur, nisi per comparationem illius cum entibus creatis ut v. g. *immensitatem*, *æternitatem*, etc... — Quomodo prima idearum classis in idea entis absoluti habeatur, facile concipitur ; hæ siquidem ideæ nihil aliud sunt quam ipsamet idea illius entis magis explicita. — De idea *vis creatricis*, statim quidem ac menti nostræ affulget, nonnisi enti absoluto posse convenire facile agnoscimus, ideoque proprietas hæc ipsius essentiæ constitutiva esse debet, non secus ac dotes primæ classis. Attamen, relative ad nos, ex sola idea Entis deduci non posse

videtur. Hic igitur agnoscere debemus ideam primitivam quæ in mente nostra ideæ Entis comes venit, et in hujus ideæ unitate continetur. Licet enim ostendere non possimus conceptum Entis simpliciter includere essentialiter vis creandi conceptum, evidens tamen nobis est inter utrumque conceptum connexionem necessariam inveniri, in eo sensu quod mens nostra hos duos conceptus apprehendere non possit, quin illos de eodem ente esse enuntiandos statim perspiciat. — Ideæ tertio loco enuntiatæ ex idea vis creatricis derivantur, eodem modo ac ideæ proprietatum in conceptu Entis inclusarum ex idea Entis derivantur. De his igitur specialis difficultas moveri non potest.

44. Quomodo, in [redacted], ideæ proprietatum entium creatorum contineantur. — Quod demum ad *tertium* spectat, dicendum est ideas variarum proprietatum, quas in existentiis creatis concipimus, nihil aliud enuntiare quam ideam ipsam harum existentiarum, nec ab hac idea discrepare, nisi tanquam explicitum ab implicito. Facile igitur concipi datur quomodo in illius ideæ unitate contineri possint.

45. Corollarium. — Ex his omnibus sequitur nonnisi triplicem ideam irreductibilem nos habere: ideam nempe *Entis absoluti* seu *simpliciter*, ideam *vis creatricis*, ideam tandem *existentiæ contingentis*. Iterum autem, licet irreductibilis, hæc triplex idea, vi connexionis logicæ suam rationem ultimam habet in *Ente absoluto*, in quo proinde totius cognitionis humanæ unitas constituta concipitur.

Istud concise et dilucide expressit auctor recens per hanc propositionem, quam merito *formulam idealem* nuncupat: *Ens creat existentias*. In qua notandum est vocem *existentias* ab eo adhiberi ad exprimendas realitates creatas, per oppositionem ad realitatem increatam quam *Entis* nomine exclusive appellat.

CAPUT TERTIUM.

De Cogitationis Principio subjectivo, seu de subjecto cogitante.

46. Principii cogitantis notio. — Divisio capitis. — Principium cogitationis subjectivum seu *subjectum cogitans* vocamus realitatem hanc quæ, ideæ influxum in se recipiens,

per illum excitata, in actum erumpit, simulque sensibus variis in agendo afficitur.

De hujusmodi principio expendere possumus 1° an admitti debeat, 2° an sit aliquid substantiale, 3° an tandem sit aliquid unum.

ARTICULUS PRIMUS.

De subjecti cujusdam cogitantis ad cogitationem constituendam necessitate.

47. Quæstio exponitur. — Inquirendum venit utrum quælibet cogitatio in aliquo subjecto recipi debeat; adeo ut, quemadmodum sine principio externo, a quo primario determinetur, ita et sine principio subjectivo quod illam producat, nulla cogitatio concipi possit. Rem ita se habere adeo evidens est, ut vix necessarium sit in hoc astruendo tempus insumere. Sit tamen

48. Thesis. — *Quœlibet cogitatio subjectum cogitans essentialiter exigit.*

Prob. — Ad hanc thesim astruendam sufficit nobis analysi subjicere judicium *cogito*, per quod tum de cogitationis facto, tum de illius natura nobis constat. Cuilibet enim hujusmodi analysim tentanti, statim occurrent duo elementa : nempe, 1° τὸ *cogitare*, quod, ut ita dicam, materiam constituit facti cogitationis; 2° τὸ *Ego*, quod illud factum tanquam sibi proprium pronuntiat. Cæterum, facile constat, ex his duobus elementis, prius a posteriori pendere, nec ab illo separatum ullatenus subsistere posse. Impossibile enim est cogitationis factum produci, nec esse aliquem qui cogitet. Unde concludendum est utrumque ad constituendam cogitationem æque essentiale esse. Porro, posterius illorum, nempe τὸ *Ego*, illud est præcise quod subjectum cogitans appellamus. Ergo, quælibet cogitatio subjectum tale essentialiter exigit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Substantialitate Subjecti cogitantis.

49. Substantiæ notio. — Quid per substantiam intelligi debeat alibi (*Ont. gen.* n. 71 et 72) exposuimus. Hic nempe voce *substantia* designari diximus vim illam latentem quæ, in quolibet ente realiter existente, ipsius determinationum receptaculum existit. Ideoque substantiam definivimus: *Vim activam.* Porro, notionem hanc subjecto cogitanti convenire haud difficile astrui potest. Sit itaque

50. Thesis. — *Subjectum cogitans est aliquid substantiale.*

Prob. — Si ad invicem comparemus, tum substantiæ, tum subjecti cogitantis notionem, statim nobis compertum erit posteriorem hanc priorem in sua comprehensione includere. Quid est nempe substantia in genere? vis activa, seu principium determinationum alicujus entis. Porro, subjectum cogitans hanc ideam adimplere nemo non videt. Alio enim modo illud non apprehendimus, nisi ut illud quod cogitationem producit, seu, quod idem est, tanquam vim quæ intra nos suam activitatem cogitando exerit.

Et vero, vel thesis nostra admitti debet, vel cogitationis factum absque substantia cui adhæreat subsistit, vel demum substantia cui inhæret a subjecto cogitante distingui debet. Atqui duo posteriora dici nequeunt. — Et quidem 1° si cogitationis factum nulli substantiæ adhæreret, aliquod igitur phænomenon seu aliquis modus absque substantia existere posset, quod repugnat. — 2° Repugnat etiam substantiam, cui inhæret factum cogitationis, a subjecto cogitationis distingui. Nam, in hac hypothesi, substantiam, in qua producitur cogitatio, cum ipsamet cogitatione non apprehenderemus; in cogitationis enim facto nihil aliud, teste conscientia, nisi cogitationem et illius subjectum apprehendimus. Atqui, cum substantia et illius

determinatio indivulse sibi invicem adhæreant, omnino impossibile est hanc sine illa concipere. Ergo, etc.

ARTICULUS TERTIUS.

De Unitate substantiali subjecti cogitantis.

51. Unitatis notio. — Unitas substantialis alicujus rei *ea est proprietas qua non est plurium substantiarum aggregatio, sed unam indivisibilemque substantiam constituit.* — Hanc proprietatem subjecto cogitanti competere negaverunt materialistæ, juxta quos subjectum cogitans in aliquo extenso proindeque in plurium substantiarum aggregatione reponi debet.

Contra quos sit sequens

52. Thesis. — *Subjectum cogitans est substantialiter unum.*

Prob. — Subjectum cogitans illud est, ex supra dictis, quod, dum cogitamus, cogitationis factum sibiipsi attribuit per hoc enuntiatum : *Ego cogito*, seu, aliis verbis, illud est quod in nobis dicit *Ego*. Atqui, quod in nobis *Ego* dicit, est substantialiter unum.

Illud enim est substantialiter unum, in quo nullæ discerni possunt partes a se invicem separabiles, seu quæ independenter ab invicem subsistere possint. Tale autem esse ens substantiale quod in nobis dicit *Ego*, evidentissimum est. Si enim, in illo ente, partes separabiles forent, de his partibus, dum *Ego* dicimus, conscientiam haberemus, conscii scilicet nobis ipsis essemus quod pluribus partibus in nostra substantialitate constitueremur ; dum enim de nobisipsis conscientiam habemus, quales sumus nos utique deprehendimus. Porro, quantumvis attente nos interrogemus, τὸ *Ego*, quo constituimur, sese nobis semper exhibet tanquam unitatem perfectissimam, in qua nullas partes separabiles possumus secernere. Varietas quidem in cogitationis elementis invenitur ; hæc autem varietas

subjectum cogitationis non afficit, sed, econtra, in illo tanquam in centro simplicissimo ad unitatem reducitur. Ergo, etc.

† Et vero, supponamus subjectum, quod in nobis dicit *Ego*, non unam esse substantiam, sed e pluribus substantiis distinctis coalescere. In hac hypothesi, non datur nisi triplex modus quo subjectum istud *Ego* dicere possit : vel scilicet unaquæque ex substantiis distinctis, quibus constituitur, *Ego* distinctum et completum pronuntiaret; vel eædem substantiæ singulariter sumptæ, nonnisi partem τοῦ *Ego* pronuntiarent; ita ut *Ego* totale ex omnium substantiarum pronuntiato, quemadmodum objecti materialis forma ex variis illius partibus, proveniret; vel demum singulæ quidem earum *Ego* distinctum et completum pronuntiarent, sed varia hæc pronuntiata reciperentur in una eademque substantia quæ sola τὸ *Ego* definitivum et proprie dictum pronuntiaret.

Atqui, nulla ex his hypothesibus fieri potest.

Non prima. — Difficultas enim resolvenda, ab his qui substantiarum multiplicitatem in subjecto cogitante admittunt, in eo consistit ut explicetur quomodo subjectum compositum possit cogitare, id est, unicam, cum sit multiplex, cogitationem producere. Atqui, hypothesis, de qua nunc agitur, difficultatem hanc nequaquam resolvit, imo ne attingit quidem. Ubi enim plura *Ego* completa et distincta pronuntiantur, ibi quoque plura judicia *cogito*, ibi proinde plures cogitationes distinctæ agnosci debent. Porro, plures cogitationes distinctæ plures substantias distinctas in quibus recipiantur supponere non diffitemur. Hic autem quæstionem non esse nemo non videt. Ergo, prima hypothesis, ad solvendam difficultatem fieri non potest.

Non secunda. — Etenim, in hac hypothesi, unaquæque pars subjecti cogitantis, nonnisi partem τοῦ *Ego* pronuntiaret, proindeque nonnisi de parte cogitationis totalis conscientiam haberet. Hoc autem posito, conscientia cogitationis totalis prorsus impossibilis foret. Non enim haberi potest, nisi idem

subjectum de variis partibus illius cogitationis sibi simul sit conscium. Porro, in hypothesi de qua nunc agitur, subjectum hujusmodi non existit. *Ego* igitur tale, quod ex variis singularum substantiarum pronuntiatis provenire supponitur, merum est figmentum, cujus realitas sine contradictione admitti non potest. Ergo, nec secunda hypothesis fieri potest.

Non tertia. — Etenim, το *Ego* est testificatio quam de sua substantialitate sibiipsi reddit subjectum cogitans. Hinc, si plures in eo sint partes substantiales, quarum unaquæque *Ego* dicat, quodlibet *Ego* sic pronuntiatum, cuilibet parti substantiali illud pronuntianti indivulse adhærebit ; adeo ut impossibile sit ut una pars conscientiam habeat de τω *Ego* ab altera pronuntiato et vice versa. Hoc autem posito, hypothesis, de qua nunc agitur, in qua nempe τα *Ego* partialia, a variis partibus subjecti cogitantis pronuntiata, in substantia quadam, quæ de his omnibus conscientiam haberet, reciperentur, nullum prorsus sensum habet. Tunc enim substantia hæc conscia sibi foret de cogitationibus quæ ad alias substantias pertinerent, quas proinde ipsa non produxisset. Hæ igitur cogitationes essent simul et non essent istius substantiæ modi, quod repugnat. — Præterea, si possibilis foret hæc hypothesis, nobis potius quam adversariis faveret. Hæc enim substantia, quæ constituit quasi centrum commune ad quod solum pertinet *Ego* totale pronuntiare, sola, proprie loquendo, subjectum cogitationis dici meretur. Cum igitur unica supponatur et simplex, merito concludere possumus, ex ipsorum adversariorum confesso, subjectum cogitationis substantialiter unicum esse debere. Ergo, etc..

53. SCHOLIUM. — Ex præcedenti thesi sequitur subjectum cogitans esse prorsus immateriale, saltem quatenus expers est compositionis, quæ objectis quibuslibet materialibus propria est. Insuper autem quæri posset utrum sit essentialiter distinctum ab elementis simplicibus quæ, prout alibi demonstravimus, materiam constituunt, seu utrum repugnet hæc elementa

cogitatione donari. Huic quæstioni, quam resolvere hic locus non est, responsum alibi attulimus (Cf. *Cosmol.*, n. 40 et seqq.).

SECTIO SECUNDA.

ANIMÆ ESSENTIAM PER ACTUALEM COGITATIONEM CONSTITUI OSTENDITUR.

54. Quæstiones expendendæ enuntiantur. — Determinata cogitationis natura, expendendum venit utrum hæc merito habeatur tanquam proprietas specifica et essentialis animæ, per quam nempe anima in sua specie essentialiter constituatur. hoc autem stabilire speramus his argumentis :

Ad hanc quæstionem solvendam, successive examinabimus : 1° an vis cogitandi essentialiter animæ competat ; 2° an vis cogitandi, qua pollet anima, sit essentialiter in ea ad actum reducta ; 3° an vis cogitandi ad actum reducta essentiam animæ adæquate constituat.

CAPUT PRIMUM.

Quod anima vim cogitandi essentialiter habeat.

55. Vis cogitandi animæ inhæret, saltem in instanti quo animam apprehendimus. — Jam diximus animam nostram a nobis non apprehendi, nisi tanquam subjectum judicii *cogito*, a nobis interne prolati.

Reipsa, quidquid de anima cognoscimus ad istiusmodi judicii conscientiam reduci, facile agnoscet quisquis attente seipsum consideraverit.

Anima igitur nihil aliud nobis est quam *res actu cogitans*. Unde, saltem in instanti quo illam reflexe apprehendimus, vi cogitandi pollere debet. Præsentia enim actualis determinationis, in aliqua substantia, manifeste supponit substantiam, de qua agitur, ad hanc determinationem recipiendam aut producendam aptitudinem habere.

56. Quæstio expendenda. — At quæritur insuper utrum possibile sit animam, in uno aut altero existentiæ suæ instanti, vim cogitandi habere, quin essentialiter, ac proinde indesinenter, eadem vi prædita existat.

In hujus quæstionis solutione non existimamus dissidium inter auctores existere.

Sit itaque

57. Thesis. — *Anima in uno existentiæ suæ instanti vi cogitandi prædita esse non potest, quin essentialiter, ac proinde indesinenter, eamdem vim possideat.*

Prob. — Illud essentialiter, proindeque indesinenter, anima possidet quod inter illius attributa specifica debet computari. Atqui, talis est vis cogitandi, posito quod semel vim illam anima possederit. Ergo, etc...

Probatur major. — Si enim anima essentialiter ac proinde indesinenter, non possideret quidquid ad illam in sua specie constituendam concurrit, eo ipso possibile foret aliquam substantiam de specie ad speciem transire. Atqui, illud repugnat. Substantia enim in aliqua specie constituta, est aliquid simplicissimum a quo proinde nihil detrahi, et cui nil adjici potest, quin penitus destruatur (Cf. *Cosmol.*, n. 49). Si igitur anima posset in aliquo instanti attributum specificum possidere, a quo in altero privaretur, jam, in his duobus instantibus, eadem substantia proindeque idem ens non remaneret.

Probatur minor. — Ut hæc minor constet, satis est ut probemus vim cogitandi gradum entis constituere, sicque tanquam distinctionis specificæ fundamentum haberi debere. Atqui, res ita est. Hæc enim nota gradum entis per se consti-

tuit, sicque specificæ distinctionis fundamentum est, quæ 1° ideæ entis in genere aliquid addit, quæ 2° ens cui inhæret existentiæ immediate recipiendæ capax reddit, quæ 3° tanquam status accidentalis alterius notæ haberi non potest (*Ont. gen.*, n. 18). Talem porro esse vim cogitandi facile constat. Et quidem 1° ideæ entis in genere aliquid addit, uti evidens est, et ut illi qui thesim nostram negant, in primis, ne sibi contradicant, admittere debent. — 2° Ens, cui inhæret, existentiæ immediate recipiendæ capax reddit. Vis enim cogitandi est aliquid omnino determinatum, quod proinde in actu positum sine repugnantia concipi potest. Et reipsa de facto nobis constat vim illam, saltem aliquoties, in nobis actuari. — 3° Eadem nota ut status accidentalis alterius notæ haberi non potest. Vis enim concipitur quidem ut determinabilis in plures status distinctos, quorum substratum esse potest; nulla autem res determinabilis concipi potest, cujus vis ipsa sit determinatio, et ideo illius notionem cum notione substantiæ alibi (*Ont. gen.*, n. 72) identificavimus. Si autem hoc verum sit de vi in genere, de singulis viribus, proindeque de vi cogitandi, verum esse debet.

Et vero, judicium *cogito,* per quod solum animam nostram apprehendere possumus, aliquid profecto de ipsius specifica distinctione nos edocere debet; substantia enim realis apprehendi non potest, nisi per illud quo est talis, talis autem non est, nisi per sua attributa specifica Porro, per judicium *cogito,* in anima nihil apprehenditur, nisi actuatio vis cogitandi. Ergo, saltem concludere possumus vim illam inter specificas animæ notas computari debere.

Ergo, eo ipso quod, in uno existentiæ suæ instanti, anima vim cogitandi habuerit, eamdem vim essentialiter et ideo indesinenter habere debet.

CAPUT SECUNDUM.

De Actuatione vis cogitandi essentialiter animæ competentis.

58. Quæstio statuitur et dividitur. — Inquirendum habemus in hoc Capite quomodo vis cogitandi, quam essentialiter animæ competere modo ostendimus, in ipsa existat.

Tres quæstiones circa illud punctum moveri possunt : 1° an vis cogitandi quæ animæ competit, ut mera potentia, an ut aliquid actuale concipi debeat ; 2° utrum vis cogitandi aliquid actuale esse possit, quin in aliqua cogitatione determinetur ; 3° quomodo possibile sit vim cogitandi in aliqua cogitatione essentialiter determinari.

Triplicem hanc quæstionem seorsim expendemus.

1° *An vis cogitandi, quæ animæ competit, ut mera potentia, an ut aliquid actuale haberi debeat ?*

59. Controversia exponitur. — Huic quæstioni diversimode a philosophis respondetur. Dum enim plurimi, nec infimæ notæ, vim cogitandi habent ut aliquid quod animam actualiter determinat; plurimi, econtra, illam sibi repræsentant velut meram capacitatem recipiendi, occasione data, cogitationem. Hi contendunt animam primitus esse quasi *tabulam rasam*, in qua nempe nulli characteres imprimuntur. Cum autem causa quæ, juxta eosdem, cogitationes in anima producit, sit excitatio externa, cujus effectus immediatus est producere sensum in anima, ideo *sensualistæ* vocari solent.

Cum prioribus, contra posteriores, sit

60. Thesis. — *Vis cogitandi, qua anima essentialiter*

donatur, in mera potentialitate non consistit, sed aliquam determinationem actualem in anima supponit.

Prob. — Omnino repugnat animæ substantiam, in aliquo existentiæ suæ instanti, nihil aliud esse quam meram potentialitatem qualibet actuatione destitutam; sed semper in aliquo actu constitui debet. Atqui, substantia animæ in actu esse non potest, quin vis cogitandi, qua prædita est, in actu quoque existat. Ergo, etc...

Probatur major. — Cum existentia et actus sint quid unum et idem (*Ont. gen.*, n. 61), evidens est absque contradictione supponi non posse animæ substantiam in aliquo existentiæ suæ instanti, absque ulla actuatione fuisse. Tunc enim exstitisset simul et non exstitisset. Hinc pluries observavimus substantiam non actuatam, nihil aliud esse quam, aut meram possibilitatem, aut mentis abstractionem.

Probatur minor. — Substantia aliqua actuari non potest, nisi juxta speciem in qua constituitur; alioquin, substantia quæ actuaretur foret substantia in genere; substantia autem in genere inter res actuabiles computari nequit. Atqui, ex suprà demonstratis, vis cogitandi notam specifice distinctivam pro anima constituit, id est, ad speciem substantiæ animæ competit ut sit vis cogitans. Ergo, posito quod hæc substantia actuetur, necesse est quoque ut vis cogitandi, qua donatur, in mera potentialitate non remaneat, sed et ipsa actuationem recipiat.

Ergo, vis cogitandi, etc...

II° *Utrum vis cogitandi aliquid actuale esse possit, quin in aliqua cogitatione determinetur?*

61. Controversia exponitur. — Hanc quæstionem affirmativè solvunt nonnulli qui existimant cogitationem actualem ab evolutione spontaneitatis cujusdam, animæ humanæ inge-

nitæ, et quæ sola ipsi essentialis est, provenire. Vis igitur cogitandi aliquid actuale per se dicit, quod est quidem principium et causa cogitationis, quod tamen cogitatio proprie dicta dici non debet. — Huic doctrinæ favere videtur Kantius. Juxta ipsum enim cogitatio actualis ex duplici coalescit elemento, uno *empirico*, altero *a priori*. Prius provenit ab externorum objectorum excitatione sensibili, et constituit quasi materiam cogitationis. Posterius reponi debet in legibus animæ innatis, juxta quas materiam sibi ab excitatione externa oblatam apprehendit, et illius ope producit *ideas*, *judicia* et *ratiocinia*, quæ sunt quasi *forma* cogitationis. Exinde sequitur animam, antequam actu cogitet, *formis* tamen seu *legibus* realibus præditam esse, quarum auxilio, occasione data, cogitabit.

Contra hanc doctrinam sit

62. Thesis. — *Vis cogitandi in anima actualiter existens cogitationem actualem in ea necessario supponit.*

Prob. — Vis cogitandi actualiter in anima existens, illud profecto in ea supponit per quod præcise in sua actualitate constituitur. Atqui, illud per quod constituitur actualitas vis cogitandi, nihil aliud esse potest quam actualis cogitatio. Ergo, etc...

Major evidens est.

Probatur minor. — Etenim actualitas, vi cogitandi propria, necessario consistere debet in eo quod anima juxta vim illam actu determinetur, id est, in eo quod actu existat in aliquo statu determinato relative ad vim hujusmodi. Atqui, status ille nihil aliud esse potest quam actualis cogitatio. Ut enim anima in aliquo statu existat, relative ad vim cogitandi, necesse est ut vis illa sese in ipsa aliquo modo manifestet. Porro, evidens est manifestationem vis cogitandi nihil aliud esse posse quam cogitationem ; quemadmodum manifestatio vis seu potestatis loquendi aut ambulandi, est locutio aut ambulatio.

Ergo, quod constituit actualitatem vis cogitandi nihil aliud esse potest quam cogitatio actualis. Ergo vis cogitandi, quæ

supponitur in anima actu existere, cogitationem actualem in ea necessario exigit.

63. Scholium. — Non inutile est observare quædam esse doctrinæ catholicæ puncta quibus elucidandis et ab incredulorum impugnationibus defendendis inservire potest thesis mox statuta. Fides enim docet animam nostram, a primo conceptionis suæ instanti, peccati originalis labe inquinari, per baptismum posse regenerari, hujusque sacramenti effectum esse in illa gratiam sanctificationis, virtutes supernaturales, donaque Spiritus Sancti infundere, imo illam beatitudinis per fruitionem Dei capacem jam reddere, etc... Porro, licet veritates hujusmodi a doctrina in thesi præcedenti a nobis propugnata nullatenus pendeant, nec ea ut admittantur indigeant, omnes tamen fateri debent easdem veritates, hac doctrina admissa, facilius intelligi. Si enim anima essentialiter, proindeque ab ipsius existentiæ initio facultatem cogitandi actu exercuerit, jam non adeo difficile est concipere quomodo dotes supernaturales modo enumeratas habere tunc potuerit.

III° *Quomodo possibile sit vim cogitandi in aliqua cogitatione essentialiter determinari?*

64. Difficultas solvenda proponitur. — Difficultas hujus quæstionis provenit ex modo juxta quem, conscientia teste, in nobis exeritur vis cogitandi. Hæc scilicet manifestatur per varia facta quæ, serie continua, sibi invicem succedunt. Exinde sequitur nullum ex his factis essentialem determinationem vis cogitandi per se constituere. Quod enim essentiale est alicui rei, ab illa re separari nequit. Porro, cogitationes successivæ, per quas sese exerit vis cogitandi, ab anima separabiles concipiuntur; alioquin semper in ea omnes existerent, nec proinde inter se successionem haberent.

Qui cogitationem actualem animæ essentialem nobiscum propugnant, præsentem difficultatem pluribus modis solvere nituntur.

65. Prima solutio. — Juxta quosdam, duplex genus cogita-

tionis actualis in anima agnosci debet. Scilicet, præter cogitationes quæ perpetuo fluxu sibi invicem in nobis succedunt, quæ proinde ad essentiam animæ nostræ pertinere non possunt, una existit in nobis cogitatio, quæ, cæteris labentibus, immutabiliter perseverat. Hanc cogitationem alii in cognitione entis, alii in invicto desiderio propriæ felicitatis, alii in sensu quodam animam perpetuo afficienti, reponunt. Admissa tali cogitatione, actualitas essentialiter competens vi cogitandi, qua fruimur, facile explicatur.

66. Secunda solutio. — Juxta alios, omnes cogitationes nostræ, ne una quidem excepta, successioni subjacent; illudque cum actuatione essentiali vis cogitandi facile conciliari posse existimant. Etenim, non in eo sensu hæc vis actuari debet, quod producat aliquam cogitationem quæ sit illius manifestatio necessaria; sed in eo sensu quod semper aliquam cogitationem, quæcumque illa sit, debeat producere. Illud elucidant exemplo rerum corporearum quæ, utpote extensione præditæ, necessario aliqua figura limitari debent, licet nulla sit figura peculiaris quæ illis essentialis dici possit.

67. Utraque solutio impugnatur. — Neutram autem ex his duabus solutionibus possumus admittere.

Etenim 1° quod ad priorem spectat, duplici hoc vitio laborat quod hypothesis cui innititur, primum quidem testimonio conscientiæ non confirmetur; secundo, difficultatem intactam relinquat. — *Conscientiæ quidem testimonio non confirmatur.* Cogitationem enim permanentem, et a cogitationibus successivis distinctam, quam in nobis supponit opinio de qua agitur, quantumvis conscientiam interrogemus, detegere non possumus. — *Difficultatem quoque intactam relinquit.* Admissa enim præfata hypothesi, quemadmodum in anima duplicis generis cogitationes, ita et duplex vis cogitandi æque illi essentialis agnosci debet: una nempe qua cogitatio permanens, altera qua cogitationes successivæ producuntur. Hæc posterior semper in actu, sicut et prior, esse debet. De ipsa proinde iterum inquirendum venit quomodo, licet ad actum essentialiter determinata, non producat tamen nisi cogitationes successivas et proinde animæ accidentales.

Quod spectat 2° ad posteriorem opinionem, supponit vim cogitandi in nulla cogitatione actuali essentialiter determinari. Hoc autem falsum nobis videtur. Tunc enim, vel nulla identitas in subjecto cogitante admitti deberet, vel vis cogitans a variis cogitationibus realiter distingueretur, sicque independenter ab illis in

actu constitueretur. Utrumque autem pariter repugnat. — *Prius quidem.* Si enim subjectum cogitans identitate careret, tunc non unum foret sed plura. — *Posterius quoque.* Actuatio enim vis cogitandi non potest esse nisi cogitatio.

68. Solutio nostra proponitur. — Alia igitur propositæ difficultatis solutio a nobis est quærenda.

Hanc porro nobis suppeditabit exacta determinatio legis successionis qua regitur in suo exercitio vis cogitandi.

Scilicet :

1° Apposite ad ea quæ alibi exposuimus, circa productionem modorum mutabilium in substantiis generatim (*Ont. gen.*, n. 152), productio variorum factorum, quæ in anima successive peraguntur, ita concipi non debet, ut uniuscujusque eorum causa sit substantia pura animæ, quæ primum in aliquo facto sese determinaret, quæ postea hoc factum a se repellens ad aliud transiret, etc... In hoc enim modo productionem factorum psychologicorum concipiendi, illius productionis principium non esset aliquid reale, sed abstractum; substantia enim extra modos considerata mera est abstractio. — Præterea, in hac hypothesi, facta de quibus agitur, sibi invicem succedere, proprie loquendo, dici non possent ; nam, quatenus facta, nullam productionis relationem inter se haberent, nec proinde initium unius cum cessatione alterius connexionem haberet (Cf. *Ont. gen.*, n. 178 et 179). Causa igitur productionum successivarum, quæ peraguntur in anima, est substantia animæ in actu jam constituta, proindeque non tantum vi cogitandi prædita, sed in aliqua cogitatione determinata. Hoc admisso, non solum causa illarum productionum est quid reale ; sed etiam facile concipitur quomodo earumdem productionum termini sibi mutuo succedant ; unusquisque enim illorum alterius potentialitatem includit, ideoque cessando existere alteri dat initium.

2° In hac hypothesi, si stricte loqui velimus, dicere non debemus varias cogitationes sibi in anima succedere, ita ut, una recedente, altera subeat. Si enim res ita se haberet, cum una sit causa productiva alterius, darentur causæ quæ agendo sese destruerent, seu quarum actio pro termino haberet earum annihilationem ; quod repugnantiam involvit. Dicendum est igitur animam in aliquo actu constitutam, totalem hujus actus destructionem producere non posse, ideoque hunc actum in sensu proprio, ut alteri det locum, penitus non cessare. Hinc, si dentur productiones factorum successivorum in anima, harum productionum

termini esse non possunt nisi transformationes quædam aut modi existendi peculiares actus essentialis quo anima constituitur. Concipitur scilicet, hunc actum, licet idem in se remaneat, posse tamen diversis modis, v. g. cum diversa limitatione, in anima existere ; hique modi concipi possunt ut sibi invicem succedentes, quatenus actus animæ, unumquemque illorum producendo, a statu in quo erat ad alium transit ; sicque cessatio unius ex his statibus vere constituit initium alterius.

3° His positis, verum est dicere animam nonnisi unam habere cogitationem, diversimode quidem transformatam, sed tamen eumdem semper actum constituentem. Et illud conscientiæ testimonium confirmat. Nobis enim facile constat, in variis factis, quæ cogitationum distinctarum nomine appellamus, aliquid semper identicum remanere, et in primis saltem *entis intuitionem*, in qua cogitationis essentiam supra reposuimus, et quæ in anima immutabilis perseverat. Hinc non immerito dici potest actum, quo vis cogitandi essentialiter constituitur, in hac intuitione consistere; varias autem mutationes, quæ animæ accidunt, provenire ex variis modis quibus activitas, præcipue propter sensuum influxum, hujusce intuitionis objecto adhæret.

Juxta hanc explicationem, ex una quidem parte de successione factorum animæ ratio redditur ; ex altera parte, ostenditur quomodo anima, non obstante hac successione, in actu ipsi essentiali et ab ipsa inseparabili constituitur. Soluta igitur manet difficultas superius proposita.

CAPUT TERTIUM.

Quod Essentia Animæ in vi cogitandi ad actum reducta reponi debeat.

69. Quæstio solvenda exponitur. — Ex demonstratis in duobus Capitibus præcedentibus, saltem nobis nunc constare debet cogitationem actualem inter elementa essentiam animæ constituentia esse reponendam. Ad essentiam enim entis illud omne pertinere dici debet, quod illud in sua specie constituit. Porro, cogitationem ad speciem animæ constituen-

dam saltem concurrere, in iis quæ præcedunt, abunde demonstravimus.

Nunc autem quæstio movetur utrum cogitatio determinationem essentialem animæ adæquate constituat ; id est, utrum, præter vim cogitandi actuatam, nulla alia nota specifica in anima inveniatur, adeo ut hæc nota essentiam animæ constituere merito dici possit.

Circa hanc quæstionem, expendi potest : 1° utrum aliquid aliud, præter vim cogitandi actuatam, de anima nostra cognoscamus ; 2° utrum sola vis cogitandi actuata essentiam animæ constituere possit, adeo ut ipsam solam in anima inveniri sit absolute possibile ; 3° utrum tandem, aliquid, præter vim cogitandi actuatam, in anima admittere, omnino repugnet ?

Triplicem hunc quæstionis propositæ respectum in triplici thesi resolvemus.

70. Thesis prima. — *Quidquid de anima nostra cognoscimus ad vim cogitandi actuatam reducitur.*

Prob. — Animam nostram non cognoscimus nisi per conscientiam. Atqui, conscientiæ testimonium ultimo reducitur ad judicium *Ego cogito*, id est, *percipio*, *ago*, *sentio* ; quantumvis enim intra nos animum reflectamus, impossibile nobis est præter hæc tria facta aliquid in nobis, conscientiæ ope, detegere. Hinc substantialitatem animæ in prima Sectione non demonstravimus, nisi quatenus judicium *cogito* substratum substantiale essentialiter exigit.

Ergo, quidquid de anima cognoscimus ad vim cogitandi actuatam reducitur.

71. Thesis secunda. — *Animam nihil aliud esse quam vim cogitantem actuatam est absolute possibile.*

Prob. — Ut possibile sit animam nihil aliud esse quam vim cogitandi actuatam, requiritur et sufficit ut vis illa determinationem substantialem completam per se constituat. Atqui, res ita est. Ergo, etc...

Major evidens est, Quidquid enim determinationem sub-

stantialem completam per se constituit, per se quoque existere concipi potest ; proindeque, posito quod in aliquo ente inveniatur, jam ens illud habet quidquid requiritur ut sit substantia completa, nec alia, ut existat, proprietate indiget.

Prob. min. — Illud determinationem substantialem completam per se constituit quod concipitur tanquam gradus entis distinctus, proindeque tanquam nota ad speciem aliquam constituendam per se sufficiens ; nulla enim species absque determinatione substantiali completa concipi potest. Atqui, talis est vis cogitandi, prout supra (n. 57) demonstravimus. Ergo, etc...

72. Thesis tertia. — *In determinatione essentialiter constitutiva animæ nostræ, nihil aliud quam vis cogitandi actuata admitti potest; ideoque vis cogitandi actuata cum hac determinatione prorsus identificatur.*

Prob. 1°. — Anima nostra prorsus identificatur cum τῳ *Ego*. Etenim τo *Ego* est illud quod *animæ* nomine designamus; quidquid proinde extra *Ego* versatur, quamcumque cum eo relationem habeat, anima tamen nostra, eo ipso quod *Ego* non est, nequaquam dici potest.

Atqui, τo *Ego* nullam aliam habet determinationem, præter vim cogitandi actuatam.

Quid enim est illud *Ego?* Nihil aliud prorsus quam *subjectum cogitans*, seu *illud quod in nobis cogitat :* siquidem, nequaquam a nobis apprehenditur, nisi in ipsomet cogitationis facto, cujus est substratum. Porro, res quæ nihil aliud est quam *subjectum cogitans,* seu, quod idem est, quam *res cogitans,* nullam, præter vim cogitandi actuatam, determinationem habet. Si enim aliam determinationem haberet, non tantum *res* seu *subjectum cogitans,* sed et *subjectum hujus alterius determinationis* dici deberet. Ergo, etc.

Prob. 2°. — Quod, præter vim cogitandi actuatam, in determinatione essentiali animæ existeret, vel cum vi cogitandi ad eumdem actum constituendum concurreret, vel actum

distinctum efformaret. Atqui, neutrum dici potest. — *Non prius* : tunc enim vis cogitandi actum completum per se non diceret, quod præcedenti thesi opponitur. — *Non posterius :* repugnat enim eamdem substantiam duobus actibus distinctis simul constitui. Nam, ubi sunt duo actus distincti, ibi vis activa duplex, ibi proinde duplex substantia invenitur.

73. Corollarium. — Anima igitur recte et adæquate definiri potest: *Substantia per vim cogitandi actuatam specifice constituta.*

PSYCHOLOGIÆ SECUNDA PARS.

DE ANIMÆ EXISTENTIA.

74. Divisio secundæ partis. — De animæ existentia tria veniunt inquirenda. Et quidem 1° necesse est ut inquiramus utrum vere existentia animæ competat. 2° Cum anima seipsa non existat, de illius creatione postea dicemus. 3° Denique, cum illius existentia existentiæ organismi cujusdam corporei a creatore fuerit conjuncta, ut cum ea unicam subsistentiam efformet, de hac conjunctione tertio loco disseremus.

SECTIO PRIMA.

DE REALITATE EXISTENTIALI ANIMÆ.

75. Quæstiones expendendæ enuntiantur. — Animam hucusque non consideravimus nisi ut ens quoddam possibile cujus essentiam determinare conati sumus. Ex his tamen quæ

de anima sic considerata tractavimus, ipsius existentia realis jam facile deduci potest; quidquid enim de anima diximus, non ex conceptibus *a priori*, sed ex factis realibus in conscientiæ testimonio fundatis deduximus. Non tamen inutile erit de hoc puncto speciatim hic agere.

Ad existentiam animæ astruendam, duo nobis probanda sunt : 1° animam non possibiliter tantum, sed actualiter et de facto existere ; 2° existentiam actualem, quæ animæ competit, ab existentia absoluta Dei distingui debere. — Prius vix ab aliquibus præterquam a scepticis denegatur. Posterius autem negant pantheistæ : cum enim, juxta ipsos, nihil præter Deum existere possit, animam proinde cum Deo identificare debent. Hunc errorem generali modo spectatum, in Theodicea confutamus (*Theod.*, n. 107 et seqq.); hic tamen abs re non erit probationes speciales exponere quibus pantheismus sub respectu, de quo nunc agitur, spectatus, confutetur.

Præmissa igitur thesi ad existentiam realem animæ humanæ vindicandam, existentiam hanc ab existentia Dei discrepare postea ostendemus. Hinc duplex thesis.

76. Thesis prima. — *Anima nostra non possibili tantum, sed actuali existentia fruitur.* n°s 1, 73, 48, 50.

Prob. — Anima, ex dictis in præcedenti Parte, nihil aliud est quam subjectum necessarium judicii *cogito*. Ideoque, posito quod alicubi judicium *cogito* vere et realiter proferatur, ibi quoque animam inveniri actu existentem concludere poterimus. Hinc nostræ thesis probatio ad id reducitur ut realitatem actualem judicii *cogito* astruamus. Hoc porro judicium a nobis realiter proferri facile constat. Est enim factum quod evidentissime nobis conscientia testatur, cujus proinde realitas cujuslibet alterius objecti realitatem certitudine præcellere debet. Nihil enim possumus affirmare, nisi realitatem judicii *cogito* præsupponamus; hocque judicium nec negare, nec in dubium revocare possumus, quin in manifestam contradictionem incidamus.(1) Ergo, judicium *cogito* realiter a nobis pro-

(1) dubitare est judicare, et judicare est cogitare.

fertur, ideoque anima nostra, quam essentialiter illi connexam esse modo ostendimus, realiter quoque seu actu existere debet (Cf. *Log.*, n. 181 et seqq.).

77. THESIS SECUNDA. — ***Existentia actualis animæ ab existentia, quæ Deo competit, distingui debet.***

Prob. — Triplici in sensu dici potest existentiam animæ ab existentia Dei non distingui : vel nempe quatenus anima, tanquam anima, seu tanquam existentia distincta, nihil prorsus reale esset; sed tantum respectus mere idealis entis divini; vel quatenus nihil aliud esset quam una ex formis quibus vita personalis Dei sese manifestat; vel demum quatenus, vita personali distincta fruens, eamdem substantiam cum Deo haberet (Cf. *Theod.*, n. 103 et seqq.). Atqui, nullum ex his dici potest.

Non primum. —Etenim, idem factum conscientiæ ex cujus realitate actuali, actualem animæ realitatem concludere modo potuimus, non minus invicte nobis testatur realitatem hanc aliquid distinctum esse. Factum enim illud essentialiter consistit in apprehensione intellectuali objecti alicujus a subjecto. Apprehensio autem intellectualis objecti a subjecto concipi nequit, sine aliquali inter utrumque hoc elementum distinctione. Posito itaque quod hæc apprehensio sit realis, non solum objectum et subjectum, quæ illam constituunt, in se realia esse debent; necesse est etiam ut realis quoque sit eorum distinctio ab invicem. Ergo, anima, quatenus subjectum cogitationis, ab ejusdem cogitationis objecto, realiter distinguitur. Ergo, non merus respectus idealis entis divini, sed existentia distincta in ea agnosci debet.

Non secundum. — Illud enim tantum vitæ personalis Dei forma dici potest, sine quo Deus in sua vita personali plene et complete constitutus concipi non potest. Atqui, Deus, anima non existente, in sua vita personali plene et complete constitutus concipitur. Etenim, Deus a nobis apprehenditur tanquam objectum intelligibile cui terminatur cogitatio nostra.

Porro, objectum intelligibile cui cogitatio nostra terminatur, independenter ab anima nostra utique constituitur. — Præterea, anima apprehenditur a nobis ut actus ab objecto suæ cogitationis distinctus, ideoque ut aliquid completum in genere entis ; aliud igitur esse debet quam mera forma personalitatis objecto ab ea cogitato competentis.

Non tertium. — Hoc iterum deducitur ex distinctione reali animæ, quatenus est subjectum cogitans, a Deo, quatenus est objectum ab ea cogitatum. Etenim, cum *subjectum cogitans* idem sonet, ex modo dictis, ac *substantia cogitans*, anima non potest a Deo distingui, ut subjectum cogitans, quin eo ipso ut substantia cogitans ab eo distinguatur. Porro, posito quod anima, ut substantia cogitans, a Deo distinguatur, evidens est illam non posse de eadem substantia cum Deo participare. Ergo, etc...

[redacted], si animæ naturam attente consideremus, facile deprehendemus illam esse 1° finitam in suis proprietatibus, 2° mutabilem et passivam in suis modis. — *Finitam quidem in suis proprietatibus;* tum enim in percipiendo, tum in agendo, limitibus subjacemus, cum nec omnia cognoscamus nec omnia agere possimus. — *Mutabilem et passivam in suis modis;* cogitatio enim, cujus conscii sumus, pluribus transformationibus prout jam observavimus, (1) 64-68 obnoxia est ; eadem præterea ut producatur, aliquem ab extra (2) 4.19.20 influxum supponit ; unde aliquid 6.12. passivum essentialiter dicit. Porro, existentia his dotibus insignita cum existentia Dei, quæ dotibus pollet omnino oppositis, confundi non debet. Ergo, etc...

Finitude de l'être de l'âme. V. Fenel. 1re Partie. 22.26. — 2me Partie 82.95-98
Finitude des différentes facultés. 1re Par. 50-53. — id. 54.55.84.85.106
110.114.116.118. Volonté. 1. P. 64.65. Liberté. 1re Partie 69.

SECTIO SECUNDA.

DE CREATIONE ANIMÆ.

Circa creationem animæ quæri potest 1° an admitti debeat; 2° quomodo facta fuerit; 3° quonam tempore locum habuerit;

I° *Utrum anima creata fuerit?*

78. Error dualistarum. — Quæstionem hanc, contra communem philosophorum sententiam, negative solvunt dualistæ, juxta quos quidquid existit, proindeque anima nostra, a seipso existit. Horum commenta jam confutavimus in Theodicea (*Theod.* n. 166 et seqq.): sit tamen

79. Thesis. — *Anima nostra fuit creata.*

Prob.— Quidquid extra Deum existit, nonnisi per creationem ad existentiam perduci potuit, prout demonstravimus in Theodicea (*Theod.* n. 169). Atqui, ex Sectione præcedenti, anima extra Deum existit, cum ipsius existentia ab existentia Dei distinguatur. Ergo, etc.....

Præterea, vel anima creata fuit, vel a seipsa existit; non enim inter hæc duo medium concipitur. Atqui, posterius dici nequit.

Etenim 1° si anima nostra a se existeret, hujus tam eximiæ perfectionis ideam aliquam haberet; atqui mens nostra quod existat a se, nullam conscientiam habet. Quinimo suiipsius existentiam nullatenus necessariam esse perfecte concipit, cum se nunquam exstitisse, aut etiam nunc annihilari, absque ulla repugnantia supponere possit.

2° Ens a se, cum in sua natura principium habeat suæ

existentiæ, perfecte independens esse debet, id est, nullius dominio subjacere potest, nec ab alio modificationes cujuscumque generis accipere. Atqui, mens nostra se multis modis ab alio pendere conscientiam habet. Quotidie enim præter, aut etiam contra propriam voluntatem, impressiones innumeras ab extra recipit. Ergo, etc...

3° Si mens humana foret ens a se, ipsius status ab ejus essentia ita determinarentur, ut, semel in his posita, alios sumere non posset. Atqui, res ita se non habet. Conscientia enim teste, status animæ interni mutationibus pluribus obnoxii sunt. Ergo, etc...

II° *Quomodo anima creata fuerit?*

80. Doctrinæ exponuntur. — Huic quæstioni varie a variis auctoribus respondetur. — Alii nempe, præsertim inter veteres, censuerunt Deum creando mundum, simul creavisse animam quamdam universalem, quam *animam mundanam* (*l'âme du monde*) nuncupant. Animæ autem particulares, quæ entia viventia diversi generis informant, proindeque animæ humanæ, nihil aliud sunt quam emanationes aut particulæ hujus animæ. — Alii, licet animæ mundanæ hypothesim rejiciant, non tamen arbitrantur Deum singulas animas humanas immediate creavisse. Solius enim primi hominis anima hoc modo existentiam accepit; cæteræ vero, generationis ope, ab illa exierunt. Juxta hanc hypothesim, filii a parentibus generarentur, non quoad corpus tantum, sed etiam quoad animam. Hoc aliquandiu propugnavit S. Augustinus, ut peccati originalis transmissionem facilius explicaret; postea vero ejusdem doctrinæ falsitatem agnovit. — Demum, opinio multo communior, ne dicam universalis, saltem hodie, tenet Deum singulas animas immediate et individualiter e nihilo eduxisse.

Ad hanc postremam opinionem propugnandam sit sequens

81. Thesis. — *Animæ humanæ, nec in anima mundana, cujus particulæ essent, nec in anima primi hominis a qua generarentur; sed in seipsis et individualiter, creatæ fuerunt.*

Probatur prima pars, nempe : *animas humanas in anima mundana, cujus particulæ forent, non fuisse creatas.*

Vel illa anima mundana, in primo suæ creationis instanti, animas particulares cum illarum distinctione substantiali jam continebat, vel non. — Si prius, jam illud quod *anima mundana* nuncupatur, nihil aliud reipsa fuisset quam aggregatio omnium animarum particularium simul creatarum ; ipsa vero tanquam anima distincta non exstitisset. Hoc autem posito, doctrina quæ propugnat animas humanas in hujusmodi anima creatas fuisse vel nullum sensum habet, vel recidit in doctrinam creationis individualis singularum animarum. — Si posterius, quomodo eædem animæ dici possint animæ mundanæ particulæ ab ipsa separatæ, jam concipere non possumus. Non enim separantur particulæ, nisi a toto partibus substantialiter distinctis conflato. Ergo, etc...

Probatur secunda pars, nempe : *animas humanas in anima primi hominis, a qua generationis ope productæ fuissent, non fuisse creatas.*

Animæ diversæ ab anima primi hominis generandæ, in hac anima creatæ dici non possunt nisi, vel *formaliter*, quatenus in hac anima cum sua distinctione substantiali contentæ fuissent, vel *virtualiter*, quatenus anima primi hominis potestate illas producendi prædita fuisset.

Atqui, neutrum dici potest.

Non prius. — Tunc enim anima primi hominis simplicitate caruisset.

Non posterius. — Repugnat enim quod ens creatum, extra seipsum efficaciter agat, et a fortiori potestatem creatricem, per substantiarum antea non existentium productionem, exerceat. Hujus assertionis veritas, ex dictis in Cosmologia satis constat (*Cosmol.*, n. 96).

Probatur tertia pars, nempe : *animas humanas individualiter a Deo fuisse creatas.*

Vel res ita est, vel animæ humanæ nullatenus fuerunt a Deo creatæ, vel demum provenerunt ab aliqua substantia a Deo creata.

Atqui, duo posteriora dici nequeunt.

Non quidem dici potest animas humanas nullatenus a Deo fuisse creatas : constat enim illas nec a se existere, nec cum Deo identificari debere.

Nec etiam ab aliqua substantia a Deo creata illas provenire : huic enim substantiæ, cujuscumque naturæ sit, applicari possunt, quæ de anima, sive mundana, sive primi hominis, modo diximus. Ergo, etc...

III° *Quonam tempore anima creata fuerit ?*

82. Animæ humanæ existunt in tempore. — Quæstio expendenda. — Anima, utpote ens creatum, initium existendi necessario habuit (*Cosmol.*, n. 73). Rejicienda est igitur doctrina eorum qui illam æternam esse prædicant.

Constat etiam aliquam temporis relationem animam habere cum cæteris mundi entibus, et in primis cum organismo corporeo, cui, prout infra dicemus, conjungitur. Unde sequitur ipsius durationem eadem mensura ac duratio ipsius mundi determinari posse.

His positis, quæritur quandonam, id est, in quonam durationis mundi instanti, animæ humanæ initium existentiæ habuerint. Plurimæ hoc circa punctum opiniones proferuntur.

83. Opinio Platonis. — Plurimi veteres inter quos Plato, Eclectici Alexandrini et Origenes, existimabant animas humanas omnes simul ad existentiam perductas fuisse, longo tempore ante mundi hujus aspectabilis creationem. Nulli corpori tunc conjungebantur, veritatumque intelligibilium seu *idearum* intuitione clara et perfecta fruebantur. Postea vero, propter crimen quoddam ab eis admissum, in mundo hoc inferiori detrusæ fuerunt corporique conjunctæ.

Præexistentia hæc animarum ab omnibus catholicis rejicitur, pluriesque ab Ecclesia reprobata fuit, præsertim in Concilio Constantin. IV œcumenico.

84. Opinio communior. — Juxta communem opinionem, non eodem tempore fieret omnium animarum humanarum creatio. Quoties scilicet, generationis ope, novus organismus producitur, statim Deus e nihilo educit animam huic organismo informando idoneam. Hæc productio fit, sive in ipso instanti conceptionis, id est, in instanti quo incipit organismi formatio; sive tantum quando organismus suis partibus sufficienter instructus est, ut animæ operationibus inservire possit et ab illa informari.

Præcipua illius doctrinæ fundamenta hæc sunt.

1° Rationi congruum videtur ut uniuscujusque entis initium existendi referamus ad illud tempus, in quo primum suæ præsentiæ inter entia indicia præbet. Licet enim absolute possibile sit ipsum antea existere, nullum tamen illud affirmandi motivum nobis suppetit. Motivum siquidem factum quoddam affirmandi aliud esse nequit quam illius facti manifestatio. Atqui, tempus productionis organismi ab anima informandi est tempus in quo primum anima suæ existentiæ indicia præbet. Ergo, etc...

2° Supponi non potest ens aliquod frui existentia priusquam ad consecutionem finis cui destinatur possit tendere. Consecutio enim finis sola est ratio cur entia existant. Porro, antequam organismus ab anima informandus producatur, hæc ad finis sui consecutionem tendere non potest. Ergo, etc...

3° Admitti nequit doctrina ex qua sequeretur plures animas nunquam constituendas esse in statu in quo finem suum assequi valeant. Animæ enim illæ inutiles essent; Deus autem nihil inutile facit. Porro, ex doctrina præexistentiæ animarum, hoc consectarium sequeretur. Hac enim doctrina admissa, evenire debet, propter innumeros casus facile concipiendos, plures animas nunquam, generationis ope, organismis quibus destinebantur fore conjungendas, proindeque in impossibilitate finem suum assequendi constitui. Ergo, etc...

85. Opinio Leibnitzii. — Est et tertia opinio, quæ præcipuum propugnatorem Leibnitzium habuit. Censet ille Deum intra sex dies creationis singulas substantias, ex quibus mundus, sive corporeus, sive spiritualis, coalescit, e nihilo eduxisse. Non tantum scilicet aliqua individua in unaquaque specie, sed singula individua in mundo unquam exstitura, Deus simul tunc produxit. In hoc systemate, evolutiones variæ quæ *vitam cosmicam* con-

stituunt, non consistunt in creatione novarum substantiarum, sed in manifestatione successiva virium omnium quas primum in statu obvoluto Deus produxerat. Exinde sequitur omnes animas humanas ab initio mundi, simul cum anima Adami, fuisse creatas, imo et organismo informando ex tunc fuisse conjunctas. Non tamen suæ existentiæ suarumque operationum conscientia statim fruitæ sunt. Sed quasi consopitæ remanserunt, quoadusque, labentibus annis, dataque occasione, organismi rudimentum, cui primum unitæ fuerant, sufficientem evolutionem acquisierit (1).

Duobus præcipuis rationum momentis fulcitur hæc opinio.

Primum deducitur ex lege analogiæ quam relative ad res mundanas sequitur Deus. Huic enim legi conformius videtur substantias spirituales, non secus ac substantias corporeas, omnes simul creatas fuisse.

Secundum desumitur ex narratione creationis mundi, prout invenitur apud Moysen in libro sacro Genesis. Hic enim postquam exhibuit Deum successive creantem mineralia, plantas, animalia, ipsumque demum hominem, addit eum *requievisse die septimo ab omni opere suo quod patrarat.* Porro, si Deus indesinenter animas novas procrearet, *ab omni opere suo* requievisse dici non potuisset : quinimo, cum animæ præsertim humanæ sint profecto pars præcipua et nobilior mundi, Deus, si vera foret hypothesis huic opposita, requievisset, antequam præcipuam partem sui operis perfecisset. Quemadmodum igitur Deus creando plantas, in illis posuit germina omnium plantarum, quæ ex illis proventuræ forent, et sic dici potuit a creatione plantarum requievisse ; quemadmodum animalium corpora efformando, germina corporum ab illis procreandorum simul fecit, sicque iterum ab hac nova creatione requiescere potuit ; ita et quando hominem fecit, omnes homines saltem in germine, seu in statu obvoluto, producere debuit, ut de creatione hominis, non secus ac de creatione aliarum rerum, requies Dei verificaretur.

86. Observanda. — De hac triplici opinione hæc notanda veniunt.

(1) Quamvis doctrina præexistentiæ animarum in hoc sensu intellecta, aut potius earum creationis simultaneæ initio mundi, præcipuum propugnatorem, inter recentiores, Leibnitzium habuit, haud existimandum est tamen hunc auctorem illam primum propugnavisse. Cæteris enim omissis, in illius favorem citare possumus veterum Judæorum traditiones, circa animarum creationem, quibus, prout saltem plures eruditi testantur, omnino conformis invenitur.

1° Philosophice loquendo, quemadmodum ex præfatis hypothesibus, nulla stricte demonstrata dici potest, ita et nulla invenitur quæ tanquam absurda rejici debeat. Nullum est enim temporis instans in quo creatio animarum absolute possibilis non concipiatur. Solius igitur rationis judicio, nihil omnino certi circa præsentem quæstionem definiri potest.

2° Si autem theologice res expendatur, ut falsa rejici debet præexistentia animarum in sensu Platonis et Origenis. Hanc enim ab Ecclesia fuisse damnatam jam observavimus. Quod spectat ad secundam et tertiam opinionem, utraque illæsa fide propugnari posse videtur. — De priori quidem, quæ communius admittitur, hoc facile constat. — De posteriori autem, licet a paucis propugnata, idem dici debere existimamus. Hanc enim non attingunt Ecclesiæ definitiones supra memoratæ. (Cf. D. de Pressy, *Dissertation sur le péché Originel*).

SECTIO TERTIA.

DE CONJUNCTIONE ANIMÆ CUM ORGANISMO CORPOREO.

87. Divisio sectionis. — Agemus 1° de Natura organismi generatim, 2° de Existentia organismi corporei animæ nostræ proprii, 3° de Relationibus animæ et ipsius organismi ad invicem.

CAPUT PRIMUM.

De Natura Organismi corporei generatim.

88. Objectum hujus capitis determinatur. — De aggregatis materialibus, quæ mundum creatum nobis exteriorem constituunt, proindeque de organismis diversi generis in

eo existentibus ad Psychologiam disserere directe non competit. Hæc enim nonnisi de anima humana, tractare debet.

Ne igitur hujus scientiæ limites prætergrediamur, nec tamen notione ad naturam animæ concipiendam utili careamus, ad anatomicos et physiologistas ex professo disserere de *organismo* relinquentes, illius tantum definitionem, paucis explicationibus adjunctis, hic afferemus.

89. Organismi definitio. — Organismum in genere definire possumus : *Compositum substantiale, ex partibus organicis coalescens, vitaque donatum.*

90. Compositi substantialis natura exponitur. — Dixi 1° *compositum substantiale*, id est, collectio plurium substantiarum quæ ita se habent ad invicem, ut ad eumdem finem obtinendum conspirent.

Observandum est finem hunc, in compositis organicis, non esse tantum productionem alicujus formæ extensæ, per meram partium juxtapositionem in spatio. Præcipue enim consistit in eo quod, vi influxus mutui partium in se invicem, compositum perseveret in statu requisito ut certarum quarumdam functionum instrumentum esse possit. Hinc partium hujusmodi in organismo dependentia mutua, quæ adeo stricta est, ut, vel unius earum violenta separatio, non perturbationem tantum, sed et sæpe destructionem organismi producat.

91. Partium organicarum natura exponitur. — Dixi 2° *ex partibus organicis coalescens*. Partes organicæ vocantur speciales quædam molecularum materialium aggregationes, quarum quidem natura intima nos penitus latet, quarum vero characteres distinctivi facile, saltem in speciebus perfectioribus, determinari possunt.

Horum characterum præcipui hi sunt :

1° Dum corpora, quæ *inorganica* dicuntur, ut *lapides*, *terra*, *metalla*, etc... aggregantur vi proprietatum chimicarum, singulis moleculis materialibus propriarum, scilicet, juxta affinitates, quarum ope, illæ moleculæ sese, pro earum natura, repellunt

aut attrahunt ; organicæ aggregationes affinitatum legibus, vel nullatenus, vel parumper obsequuntur. Hinc, morte obveniente, hæ aggregationes, in quarum elementis non jam remanent nisi chimicæ vires, mox destruuntur. Hinc quoque impossibilitas, in qua Chimicæ periti versantur, easdem producendi.

2° Corpora inorganica ex partibus similaribus coalescunt, nec nisi per volumen aut formam singulæ ejusdem corporis inorganici partes inter se differunt. Corpora econtra quæ *organisatione* informantur, infinitam propemodum varietatem in suarum partium structura et compositione exhibent.

3° Corporum inorganicorum superficies per lineam rectam semper determinatur, ita ut angulosam formam nunquam exhibeant, nisi, propter circumstantiæ cujusdam exterioris concursum, aliam formam induere cogantur. Non ita de corporibus organicis quæ, vel in eorum minutissimis partibus, lineis curvis terminantur, sicque rotundam formam semper exhibent.

92. Vitæ natura exponitur. — Dixi 3° *vita donatum*. Duo in vita distingui possunt, aut potius per hanc vocem designantur : 1° varia facta quæ *phænomena vitæ* vocari possunt ; 2° causa cui referri debent hæc phænomena, et quæ vulgo *principium vitæ* appellatur.

93. Vitæ phænomena. — Phænomena vitæ reducuntur ad motum quemdam internum, cui omnes subjacent organismi partes, et cujus cessatio destructionem organismi constituit. Illius effectus præcipui sunt : 1° substantiarum externarum *intussusceptio;* 2° earum, per varias transformationes, in materiam organicam *immutatio ;* 3° earum tandem composito organico *assimilatio.*

94. Vitæ principium. — De principio vitæ multum disputant physiologistæ, aliis ipsum ab organis non distinguentibus, aliis vero distinguentibus.

Hæc tamen secunda opinio communior et probabilior videtur.

Etenim, organa, in se spectata, nonnisi duplicis generis pro-

prietates habent : vires nempe physicas et chimicas, quæ illis cum materia inorganica communes sunt; et speciales dotes quæ ex organisatione ipsis obveniunt. Porro, nec in his, nec in illis proprietatibus, principium vitæ reponi posse videtur.

Non quidem in proprietatibus prioris generis. — Nedum enim effectus vitales ex viribus physicis et chimicis materiæ inhærentibus proveniant, inter has vires et effectus vitales, omnimoda oppositio deprehenditur. Hinc, prout recte observant physiologistæ, nonnisi per luctam continuam cum præfatis viribus vita conservatur (Cf. Richerand, *Elem. de Physiol.*, t. 1 ; Tandel, *Anthrop.*, § 24).

Nec etiam in proprietatibus posterioris generis. — Etenim 1° experimentis multis constat vitam organisationem præcedere et ipsam producere ; ideoque ab ea non provenit. 2° Vi influxus vitalis, organa perpetuo destruuntur, ut de novo efformentur : porro, organa hoc in seipsis efficere non possunt. 3° Constat functiones vitales a structura peculiari organorum nullatenus pendere, adeo ut functiones quæ, diversorum ope organorum, in nobis producuntur, in aliis speciebus, ejusdem ope organi fiant. Atqui, contrarium eveniret, si organa forent functionum vitalium principium, etc... (Cf. Tandel, Loc. cit.).

Ex his omnibus concludi potest principium vitale ab organicis partibus distingui debere. Ipsius tamen naturam definire difficile videtur. Nihil enim aliud de eo cognoscimus, nisi quod concipi debeat tanquam substantia *plastica*, id est, vi quadam assimilationis donata, cujus ope, substantias externas sibi indesinenter adjungit, et juxta certam formam inter se copulat, ut ex his efformet organismum.

CAPUT SECUNDUM.

De Existentia organismi corporei animæ proprii.

95. Divisio Capitis. — Inquirendum habemus in hoc Capite 1° utrum personalitas, quæ nobis competit, id est, centrum imputabilitatis in nobis existens (*Ont. gen.*, n. 81), aliquem organismum corporeum in suo dominio includat; 2° utrum organismus ille ab anima substantialiter distinguatur; 3° utrum tandem idem organismus, ad animam pertinere, ideoque *animæ organismus* esse vere dici possit.

I° *Utrum personalitas, quæ nobis competit, seu centrum imputabilitatis quod in nobis invenitur, includat in suo dominio aliquem organismum corporeum?*

96. Organismi existentiam quinam negaverint? — Talem organismum nobis attribuendum esse, proindeque organismum humanum existere ab his tantum negatur qui corporum extra nos positorum existentiam prorsus inficiantur. Porro, horum confutatio ad præsentem Tractatum non spectat. Sit tamen

97. Thesis. — *Existit organismus humanus.*

Prob. — Admittenda erit thesis modo probemus 1° inter corpora extra nos existentia, quorum realitatem, saltem ut apparentem, debemus admittere, aliquod inveniri corpus quod in sphæra nostræ imputabilitatis existit, 2° hoc corpus omnes organismi dotes habere.

Atqui, hæc duo constant.

Prius quidem. — Etenim, inter corpora nos ambientia, unum est quod *corpus nostrum* appellamus. Erga illud

ita afficimur, ut quidquid ipsi accidit, nobis accidere pronuntiemus, seu nobisipsis imputemus. Sic, v. g., quotidie dicimus: *Æger sum aut sanus, pinguis aut macilentus, statura parvus aut magnus*, etc... ; licet hæc omnia nonnisi corpori, quod nostrum dicimus, directe accidant. Ergo, corpus aliquod in sphæra nostræ imputabilitatis existere, saltem invicta fide credimus. Hæc porro fides indicium sufficiens veritatis nobis videri debet. Adeo enim naturæ nostræ inhæret, ut qui illius legitimitatem denegaret, ad negandum ipsum mundum corporeum eo ipso deduceretur. Ergo, prius constat.

Posterius quoque. — Facile enim constat corpus, quod nostrum dicimus, esse 1° compositum substantiale, 2° partes ex quibus coalescit omnes organisationis characteres præ se ferre; 3° ipsum denique vita donari. Ergo, etc...

II° *Utrum organismus, quem corpus nostrum appellamus, ab anima substantialiter distinguatur?*

Hæc quæstio non eamdem ab omnibus solutionem recipit; triplicemque in partem circa illam abeunt auctores.

98. Doctrina materialistarum qui animam confundunt cum organismo. — Primo loco reponi debent *materialistæ* qui animam cum organismo corporeo, sive universim, sive in aliqua ex ipsius elementis sumpto, prorsus identificant. Ita præsertim plures medici et pseudophilosophi seculi xviii, necnon hujus temporis, inter quos Helvetius, Lamettrie, d'Holbach, Cabanis, Broussais, etc...

Talia fere sunt eorum placita.

1° Variæ operationes quæ, conscientia teste, intra nos peraguntur, et quarum productionem animæ tribuere consuevimus, nullam aliam habent causam præter organismum, ex cujus dispositione proveniunt, quemadmodum sonus provenit ex instrumento musices apte constructo. Facultas igitur cogitandi

non quidem materiæ convenit, quamdiu in statu inorganico remanet; illi autem obvenit per organisationem, eoque perfectius, quo perfectior existit illius organisatio : hinc belluæ plantis, homines belluis cogitatione præstant.

2° Licet in corpore quolibet organico mira unitas deprehendatur, multiplex tamen in eo deprehendere est functionum organorumque illis respondentium genus : sic digestio et circulatio organa distincta habent, prior nempe in stomacho, organisque ipsi annexis; posterior in corde, arteriis et venis perficitur. Cogitatio igitur organum speciale in organismo habere debet. Organum istud alii totum systema nervosum, alii varias partes *encephali*, alii cerebrum proprie dictum, seu *hemisphœria* esse contendunt.

3° Experientia nihil aliud nobis in organismo detegit, præter motus diversimode directos et temperatos; variæ igitur cogitationis species nihil aliud sunt quam motus organici. Motus illi excitari debent in organis ab aliquo objecto, ipsis extrinseco, quod primum in sensuum externorum organa agit : impressio sensualis inde proveniens transmittitur, nervorum ope, usque ad cerebrum cujus commotio constituit cogitationem. Hinc sequitur principium in nobis cogitans qualibet spontaneitate destitui. Vulgo tamen in illo admittunt materialistæ vim quamdam, cujus ope semel excitatum, in motum prorumpit, commotionemque producit quæ, a centro incipiens, ad peripheriam usque protenditur. Præterea motus organici, quando in cerebro producuntur, nihil aliud sunt quam impressiones mere sensibiles; ut ex iis ideæ efformentur, requiritur ut per organum cerebrosum elaborentur. Hanc elaborationem comparat Cabanis digestioni alimentorum quæ perficitur in stomacho.

99. Doctrina eorum qui animam non distinguunt a principio vitæ organicæ. — Inter auctores, qui animam ab organismo proprie dicto, seu ab aggregatione materiali, quam ea voce appellamus, sedulo distinguunt, plurimi existimant

illam identificari cum principio vitali, cujus existentiam admitti debere supra diximus. Juxta illos scilicet anima est principium quod organismi partes in earum ordine detinet, quod etiam digestionem, circulationem, aliasque operationes, per quas corpus conservatur et vivit, indesinenter exsequitur.

Illi igitur duplicem tantum naturam, id est, duplicem substantiarum speciem in homine agnoscunt, nempe: 1° molem materialem quam corpus nuncupamus; 2° animam quæ simul ac cogitat, corpus quoque vegetat et vivificat.

100. Doctrina eorum qui animam distinguunt tum ab organismo, tum a principio vitæ organicæ. — Demum sunt qui animam substantialiter distinguunt non solum ab organismo, ut ita dicam, mortuo, id est, ab aggregatione materiali quæ illum constituit, sed etiam ab organismo complete sumpto, ideoque vita donato. Principium igitur vitæ et animam pro eadem substantia non habent; ideoque hanc ab operationibus vitalibus corporis alienam esse existimant.

Triplicem itaque substantiarum speciem in homine agnoscunt, nempe: 1° aggregationem materialem; 2° principium vitale, quod præfatam aggregationem vegetat; 3° animam tandem, cujus officium proprium est cogitatio.

Cum his postremis sit

101. Thesis. — *Anima non solum ab aggregatione materiali, quæ constituit organismum corporeum; sed etiam probabilius ab ejusdem principio vitali, substantialiter distinguitur.*

Probatur prima pars, nempe: *Animam ab aggregatione materiali, quæ constituit organismum, substantialiter distingui.* — Anima, tum unitatem, tum identitatem substantialem possidet. Unitatem quidem: prout constat ex thesi supra statuta (n. 52). Identitatem quoque. Anima enim est principium cogitationum successivarum quarum, recordationis ope, nobis conscii sumus. Ut autem anima dici possit principium cogitationum successivarum, omnino necesse est aliquid in ea,

his cogitationibus labentibus, substantialiter identicum remanere.

Atqui, nec unitas, nec identitas substantialis competit organismo, ut aggregatio materialis spectato.

Non quidem unitas substantialis illi competit. — Evidens est enim aggregationem materialem plurium substantiarum unionem dicere; omnino autem impossibile est quod plures substantiæ, quantumvis stricte sibi invicem uniantur, ad unam eamdemque substantiam efformandam unquam pervenire possint.

Nec etiam identitas item substantialis eidem organismo competit. — Organismus enim, cum sit vita donatus, perpetuis mutationibus subjacet. Quotidie nempe aliquid de substantiis quæ illum constituebant, amittit, ut, earum loco, alias sibi asciscat; adeo ut, communiter existiment physiologistæ, organismum, post aliquod tempus, quod aliqui ad septennium limitant, ne unam quidem substantiarum, quibus antea componebatur, retinere.

Ergo, nec unitatem, nec identitatem habet organismus, ideoque cum anima, quæ has dotes possidet, identificari nequit.

Probatur secunda pars, nempe : *Animam probabilius a principio vitali substantialiter distingui.* — In tantum anima cum principio vitali identificaretur, in quantum per evolutionem propriæ activitatis motuum organicorum, quæ vitam constituunt, causa existeret. Atqui, hoc dici non posse videtur. Etenim, cum anima sit actus intellectualis, impossibile est ut aliquis effectus ab illius activitate proveniat, nisi illum intendat et velit, sive *reflexe,* sive *directe*. Atqui, nec *reflexe,* nec *directe* anima vult et intendit motus vitales. — *Non quidem reflexe.* De volitionibus enim hujusmodi motus producentibus nihil prorsus nobis conscientia testatur. Quinimo, hos motus in organismo perfici prorsus ignoraremus, nisi scientia illorum existentiam nos edocuisset. Tandem, experientia constat in nostra potestate non esse eosdem motus pro libito nostro

producere aut non producere. Atqui, si motus vitales reflexe ab anima producerentur, hæc ita se non haberent. Ergo, etc... — *Nec etiam directe*. Etenim in ente reflexionis capace, ut est anima, nullus est actus directus qui, attentione sufficienti adhibita, reflexus fieri non possit; hic enim actus nihil aliud esse potest quam determinatio quædam τοῦ *Ego*, cujus proinde conscientia reflexa haberi debet, quoties de ipsomet *Ego* hæc conscientia habetur. Atqui, quantumvis in nobis animum reflectamus, impossibile nobis est actus, de quibus agitur, in nobis animadvertere. Ergo, nec directe, nec reflexe motus vitales ab evolutione activa animæ proveniunt.

Ergo, anima a principio vitali substantialiter distinguitur (1).

102. Objicies contra primam partem. — Anima subit omnes phases et vicissitudines organismi corporei. Ergo, ab illo non distinguitur.

Resp. Neg. cons. et consequentiam. — Libenter materialistis concedimus parallelismum quemdam existere in homine inter facta psychologica et facta organica, prout et ipsi mox notabimus. At, pessime exinde concluderetur animam cum organismo identificari. Etenim, ex eo quod in duplici serie phænomenorum, perfecta deprehendatur similitudo, concludere quidem licet illorum causas harmonice sese evolvere, minime vero ad eamdem causam hæc phænomena referri debere.

III° *Utrum organismus noster, organismus animæ, seu de animæ dominio esse, dici possit?*

103. Dominium animæ in ipsius organismum definitur. — Dominium, de quo agitur, illud est quod persona exercet in partes suiipsius constitutivas. In eo nempe consistit quod

(1) Doctrinam hanc ipsamet Physiologia innuere videtur. Etenim, juxta ipsius documenta, instrumentum, cujus ope anima influit in varias corporis partes, et ab ipsis diversi generis impressiones recipit, est systema nervorum encephalicorum. Porro, si saltem pluribus physiologistis fidem adhibeamus, nervi hujusmodi motuum vitalium organa non sunt. Hi motus alii systemati nervoso debentur, quod vulgo *systema ganglionare* nuncupant, quodque actioni animæ penitus substractum videtur.

partes alicujus personæ constitutivæ de substantia hujus personæ, propria amissa, participent, sicque vere ad illam pertinere dici possint. Quæstio igitur posita ad id reducitur : utrum in composito personali quo constituimur, personalitas in sola anima resideat, adeo ut organismus nullam subsistentiam per se retineat, sed de subsistentia animæ unice participet (Cf. *Ont. gen.*, n. 86 et seqq.).

Hanc quæstionem solvet sequens

104. THESIS. — *Dominium personale in organismum anima possidet.*

Prob. — Ut thesis constet, tria probanda sunt : 1° inter animam et organismum unionem hypostaticam seu personalem existere ; 2° post talem unionem unam tantum ex substantiis unitis suam subsistentiam retinere ; 3° substantiam hanc nonnisi animam esse posse.

Atqui tria hæc facile astrui possunt.

Primum quidem. — Illæ enim res per unionem hypostaticam inter se conjunguntur, eamdemque subsistentiam efformant, quarum modificationes cujuscumque generis ad idem centrum imputabilitatis referuntur (*Ont. gen.*, n. 81 et 86). Atqui talia sunt in homine anima et organismus. Etenim idem *Ego* quod dicit : *sentio*, *volo*, *intelligo*, quod nempe sibi attribuit quidquid ab anima perficitur, dicit etiam : *ambulo*, *manduco*, *æger sum et sanus*, etc... Sibi nempe attribuit quidquid est organismi proprium. Ergo...

Secundum quoque. — Vel enim, post unionem animæ et corporis, una tantum substantia suam retinet subsistentiam, vel singulæ substantiæ subsistere pergunt, adeo ut, ex earum subsistentiis unitis, unica persona coalescat. Atqui, posterius dici nequit.

Etenim, subsistentia nihil reale per se dicit, nec realitatem habet nisi in substantia in qua invenitur, et cujus est existendi modus. In tantum igitur ex pluribus subsistentiis simul junctis unica subsistentia effici posset, in quantum

ex pluribus substantiis unicam substantiam efformare, esset possibile. Atqui, posterius admitti nequit. De priori igitur idem dici debet. Ergo, ubi plures subsistentiæ subsistentes inveniuntur, ibi quoque plures substantiæ inveniri debent; proindeque posito quod inter plures subsistentias unica sit subsistentia, singulas earum adhuc subsistere omnino repugnat (*Ont. gen.*, n. 87).

Tertium tandem. — In composito enim personali quod sumus, ea sola substantia suam subsistentiam dominiumque personale in alteram servare dici debet, quæ in nobis sola dicit *Ego*. Atqui, sola anima in nobis dicit *Ego*. Ergo, etc...

CAPUT TERTIUM.

De Relationibus inter Animam et Organismum ipsius existentibus.

105. Divisio capitis. — Relationes animæ cum organismo cui hypostatice conjungitur, sunt : 1° relatio dependentiæ, 2° relatio influxus, 3° relatio præsentiæ. Hinc triplex Articulus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Dependentia Animæ erga ipsius Organismum.

106. Triplici modo anima pendet ab organismo. — In eo sensu ab organismo suo anima pendere dicitur quod, licet dominium personale in illum exerceat, ipso tamen indigeat, tanquam instrumento necessario, ad exercendam vim cogitandi qua pollet.

Porro, triplici modo organismus corporeus instrumentum cogitationis est pro anima, quatenus nempe anima, illius ope,

1° ab extra impressiones recipit, 2° ad intra suam activitatem evolvit, 3° actus suos, quando opus est, ad extra exsequitur.

I° *De dependentia animæ, erga suum organismum, quatenus receptivitatis instrumentum.*

107. Receptivitatis notio. — Per receptivitatem intelligi debent variæ limitationes sensibiles quæ, prout supra diximus, ideæ productionem in anima comitantur.

Hujus porro receptivitatis instrumentum in organismo reponi debet, hocque iterum triplici modo.

108. Sensus vitales. — Primum quidem, occasione motuum vitalium, qui in organismo perficiuntur, itemque modificationum quibus iidem motus sive periodice, sive accidentaliter subjacent, anima quasdam impressiones experitur jucundas aut injucundas, prout per bonum aut malum organismi statum determinantur. Tales sunt varii sensus, *sanitatis*, *ægritudinis*, *famis* et *sitis*, etc... Hos sensus generico nomine *sensuum vitalium* designamus.

109. Sensationes, seu sensus externi. — Præterea, organismus quibusdam apparatibus præditus invenitur, quorum ope, ab objectis externis ab ipso distinctis commotiones quasdam recipere potest. Harum commotionum occasione, anima iterum pluribus modis afficitur. Sic, in ea producuntur impressiones *coloris*, *soni*, *tactus*, *olfactus*, *gustus*. Hos sensus, vel *sensationes*, vel *sensus externos* vulgo nuncupant.

110. — Sensus intellectuales. — Demum, dantur sensus jucundi aut injucundi, quos in anima producunt ipsius operationes internæ, quique *intellectuales* nuncupantur, eo quod in idea fundamentum habeant. Hi iterum sensus, nonnisi mediante quadam impressione organica, producuntur. Sic *pavor*, per velociorem sanguinis cursum, *lætitia*, per quamdam cordis dilatationem, sentiuntur.

111. Corollarium. — Hinc verisimillimum est animam nullum posse experiri sensum, nisi mediante organismo; proindeque ipsam, sub hoc respectu, in absoluta erga illum dependentia versari.

II° *De dependentia animæ erga suum organismum, quatenus instrumentum evolutionis activæ.*

112. Non solum organismus in animam agit per sensus quibus illam afficit; spectari debet præterea tanquam instrumentum animæ necessarium ut suam activitatem hæc exerceat. Illud constat potissimum triplici facto.

113. Primum factum. — *Evolutio simultanea animæ et organismi.* — Experientia constat evolutionem animæ, quoad facultatem cogitandi, evolutioni organorum corporeorum exacte respondere, strictumque cum illa parallelismum servare. Sic antequam plene formetur organismus, facultas cogitandi quasi consopita remanet, nec nisi imperfectissime exercetur. Statim autem ac organismus suam obtinuit formam, intellectuale lumen primos splendores emittere incipit. Simul ac prior roborascit, posterius quoque majorem vim obtinet, usque ad virilem ætatem, in qua tum organismus, tum cogitatio perfectionem, cujus in præsenti vita capaces existunt, assequuntur. Demum, in senectute redit, cum organica imbecillitate, infantiæ intellectualis debilitas. Porro, exinde sequitur facultatis cogitandi exercitium in anima ab organismo, saltem occasionaliter pendere; quod solum hic intendimus probare.

114. Secundum factum. — *Harmonia quæ existit inter conformationem corporis et perfectionem exercitii facultatis cogitandi in unoquoque homine.*

Experientia iterum constat varias conformationes et constitutiones quibus subjacet organismus corporeus, juxta legem constantem, paucis casibus exceptis, iisdem varietatibus in

facultate cogitandi respondere ; adeo ut tali vel tali conformationi eadem animæ dispositio et, ut ita dicam, constitutio, semper respondeat.

Hanc quidem legem existere omnes homines quasi instinctive admittunt, prout constat ex innumeris judiciis quæ de internis animæ dispositionibus ex inspectione hominis exterioris proferimus. Difficile est autem legem illam scientifice determinare, seu statuere principia generalia in quibus hæc judicia fundari debent, ut veritatem habeant ; nec circa hoc punctum aliquid omnino certi definire possibile videtur in statu præsenti scientiæ. Nonnulla tamen dicere debemus de præcipuis respectibus sub quibus organismum auctores consideraverunt, ut præfatæ legis fundamentum statuerint. Hi respectus sunt *temporamentum*, *physionomia*, *cerebri conformatio*.

115. Temperamenti natura et divisio. — Per temperamentum intelligunt auctores *diversam proportionem, sanitati non oppositam, elementorum organismi constitutivorum, quæ in unoquoque homine invenitur.* — Plurimæ dantur temperamentorum divisiones, quarum magis recepta illa distribuit in quatuor species, nempe : in *sanguineum*, *biliosum*, *melancholicum* et *flegmaticum*. His addere possumus, cum recentioribus, *nervosum* et *athleticum* seu *musculosum*. Horum porro temperamentorum characteres singillatim exponere nostri non est instituti ; sufficiat nobis observare unumquodque eorum quibusdam qualitatibus animæ ordinarie comitem venire. Sic, cum temperamento sanguineo promptitudo intelligentiæ et memoriæ, vivacitas imaginationis, inconstantia, levitas, etc... ; cum temperamento bilioso cupiditates vividiores, firmitas indolis, audacia, virtus, activitas etc... ordinarie inveniuntur.

116. Physionomia. — Physionomia est *complexio lineamentorum faciei*. Hæc lineamenta affectiones et dispositiones animæ aliquatenus exprimere omnes admittunt. Hinc vulgare dictum, *vultum esse animæ speculum*. Tale est fun-

damentum *Physiognomoniæ*, cujus auctor est Lavater, anno 1801 vita functus. Hic in opere cui titulus : *Essais physiognomoniques* principia tradit quibus hominis interni cognitio per solum faciei aspectum dignosci possit, sicque observationem in sensu communi fundatam ad rigorem scientificum reducere conatus est.

117. Angulus faciei et tubera cerebri. — In cerebri conformatione, per cranii formam exterius manifestata, reponenda esse signa per quæ de interni hominis statu judicare possimus nonnulli recentiores contenderunt, sed non eodem modo. Alii enim, post medicum batavum Camper, pro mensura evolutionis intellectualis, in unoquoque homine, assignaverunt proeminentiam frontis per faciei angulum determinatam. Alii, post Gall et Spurzheim, pro facultatum intellectualium, dispositionumque affectivarum mensura, assignaverunt volumen singulorum cerebri organorum quod per tuberum cranii eminentiam dignosci potest. Hinc scientia quam *phrenologiam* seu etiam *cranioscopiam* vulgo nuncupant.

Hæc historice retulisse nobis sufficiat. Ad eorum pleniorem expositionem adeantur physiologistæ quibus hac de re ex professo tractare competit.

118. Tertium factum. — *Profundæ modificationes quas in cogitationis exercitio quandoque determinant affectiones organicæ.*

Hoc factum innumeris constat experimentis. Sic 1° quoties in organisatione encephalica, propter aliquem casum vel morbum, series ordinaria operationum disturbatur, v. g. per læsionem, compressionem, mollificationem aut ossificationem, tunc simul plus minusve disturbatur cogitationis exercitium. — 2° Affectio organica quæ *somnus* dicitur, impedit etiam ne facultates mentales regulariter exerceantur. — 3° Experientia constat laborem digestivum operationes intellectuales difficiliores reddere. — 4° Quidam status morbidi jecoris, variarumque tubi digestivi partium, nonnunquam in affectiones animæ

influxum exercent, ad furorem v. g. excitant, aut tristitiam producunt. — 5° Tandem respiratio aut ingestio in stomachum quarumdam substantiarum operationes intellectuales quandoque omnino disturbant, ut evenit in ebrietate, quandoque e contra mirum in modum excitant, etc...

Ex his tribus factis, merito concludere possumus animam nostram in aliqua erga organismum dependentia, relative ad cogitationis exercitium, versari, quæcumque sit hujus dependentiæ natura.

III° *De dependentia animæ erga organismum, quatenus instrumentum externæ exsecutionis.*

119. Hanc dependentiam existere, saltem in statu ordinario, extra dubium est. Sic 1° non possumus cogitationes nostras aliis hominibus cognitas efficere, nisi per voces aut signa sensibilia, quorum productio organismi auxilium necessario exigit. Sic 2° nullum objectum extra nos positum moveri potest a nostra voluntate, nisi item mediante organismo. Unde organismus haberi debet tanquam medium stricte requisitum ut cum aliis entibus mundi, anima relationes habere possit.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Influxu animæ in suum organismum.

120. Triplex respectus sub quo organismus pendet ab anima enuntiatur. — Quemadmodum anima pendet ab organismo, prout in Articulo præcedenti vidimus; ita quoque organismus in dependentia versatur relative ad animam, quæ in illum influere non cessat. Influxus ille in eo consistit quod anima sit causa aut saltem occasio variorum statuum in quibus versatur organismus, quatenus instrumentum, sive receptivitatis, sive evolutionis activæ, sive exsecutionis externæ.

181. — Anima in organismum influit quatenus receptivitatis instrumentum. — In organismum quatenus receptivitatis instrumentum, anima influit, in eo sensu quod in ea inveniatur ratio status organici requisiti ut organismus receptivitatem animæ possit determinare.

Hunc influxum admitti debere sic ostendi potest.

Organismus, ex dictis modo, animæ receptivitatem tripliciter excitat; quatenus nempe vita fruitur; quatenus ab objectis externis speciales quasdam impressiones recipit; quatenus demum modificationes singulis affectibus animæ respondentes experitur. Porro, sub hoc triplici respectu, influxui animæ organismus subjacet. Licet enim præfatorum organismi statuum anima in sensu proprio causa non sit, cum non sint ullatenus ab ea voliti, verum est tamen dicere ipsos organismum non experiri, nisi in ordine ad animam et propter illam. Evidens est nempe finem ad quem ordinantur illi status nonnisi animam esse posse.

122. Anima in organismum influit, quatenus evolutionis activæ instrumentum. — Organismus evolutionis activæ instrumentum pro anima esse non potest, quin anima in agendo illo utatur; ut autem anima organismo utatur, necesse est ut in eum agat, ut proinde quarumdam modificationum in eo causa existat. Sub hoc igitur respectu aliquis influxus animæ in organismum admitti debet.

Cæterum hic influxus experientia sola nobis constare potest. Sic experientia testatur diuturnam facultatum intellectualium applicationem, defatigationem, sive in capite, sive etiam in organis nutritionis producere. Imo, plurima facta testantur in animæ potestate esse, per directionem quam suis operationibus internis libere imprimit, statum habitualem organismi cui conjungitur profunde modificare, v. g., illius temperamentum immutare, organorum cerebralium talem vel talem evolutionem determinare, aut etiam in ipsis læsionis, quæ amentiam producat, causam existere, etc...

123. Anima in organismum influit quatenus exsecutionis instrumentum. — Influxus ille in eo consistit quod, ad suas volitiones externe manifestandas et exsequendas, anima possit, pro suo libito, varias organismi sui partes movere, pedes, v. g., ad aliquem locum dirigere, etc.

Hujusmodi potestatem animæ competere evidentissima constat experientia, factaque illam astruentia adeo sunt in promptu, ut ea citare inutile foret.

Observandum est tertium hoc genus influxus animæ in corpus in hoc a duobus prioribus discrepare, quod 1° continuus non sit, ideoque non necessarius, quod 2° specialem voluntatis actum exigat ut producatur. Duos enim alios influxus has dotes non habere facile constat. Hinc ulterius sequitur solum influxum, de quo nunc agimus, libertatis imperio subesse

ARTICULUS TERTIUS.

De Præsentia locali animæ relative ad suum organismum.

124. Observatio prævia. — Quæstionis divisio. — Expendere solent auctores utrum anima sit suo organismo localiter præsens, id est, utrum in illo aliquem occupet locum. Multum abest quin, hac de re, inter se concordent. Hæc discrepantia nobis provenire videtur præsertim ex incertis vagisque notionibus quæ de spatii natura plerumque habentur. Evidens est nempe cognosci non posse, hac notione non accurate determinata, quid sit relatio præsentiæ localis duorum entium ad invicem. Si autem in quo consistat hæc relatio non cognoscatur, quomodo illam existere aut non existere inter animam et corpus poterit comprobari? Hinc ut solutio propositæ quæstioni a nobis afferenda probe intelligatur, quid de spatii natura in Ontologia generali dixerimus in memoriam revocandum est (Cf. *Ont. gen.*, n. 168 et seqq.).

His præmissis, inquiremus circa præsentiam localem animæ ipsius organismo, 1° utrum admitti debeat; 2° utrum existat relative ad singulas corporis partes; 3° quænam sit corporis pars cui animæ præsentia limitetur.

I° *Utrum anima organismo suo sit localiter præsens?*

125. Duplex modus præsentiam localem animæ in organismo intelligendi. — Quidam præsentiam localem animæ in corpore ita intelligere videntur, ut animæ substantia in corpore alicui spatii quantitati respondeat, id est, per lineas, superficiem et profunditatem determinari possit. Hanc autem præsentiam animæ in loco admitti non posse, ex dictis supra, satis superque constat. Quidquid enim mensurari potest per lineas, superficiem et profunditatem, est aliquid extensum. Extensum autem quodvis pluribus constat partibus separabilibus. Porro anima, utpote unitate substantiali prædita, partibus divisibilibus constare non potest.

Est autem alius sensus juxta quem eadem præsentia localis intelligi potest.

Scilicet, spatii nomine intelligitur : *Ordo plurium substantiarum quatenus coexistentium.* Unde præsentia localis duarum substantiarum consistere debet in eo quod duæ illæ substantiæ sibi invicem immediate coexistant.

Hac notione admissa, ad id reducitur quæstio : utrum anima, saltem ad aliquam corporis sui partem, immediate coexistat.

126. Quæstio resolvitur. — De hoc autem puncto ne minima quidem difficultas esse potest.

Quod quidem 1° anima corpori coexistat, ex dictis in Articulis præcedentibus manifeste sequitur. Influxus enim mutuus animæ et corporis in invicem quem ibi astruximus, absque coexistentia utriusque substantiæ ad invicem concipi non potest, aut potius relationem, quam coexistentiam nuncupamus, præcise constituit.

Quod 2° coexistentia animæ ad organismum immediata sit, saltem pro aliqua hujus parte, non minus constat. Si enim actio mutua animæ et corporis in invicem, alicujus intermedii ope perficeretur, hoc intermedium nihil aliud reipsa foret quam pars organismi animæ, sicque coexistentia immediata animæ alicui saltem organismi parti, admitti deberet.

Anima igitur alicui saltem organismi parti, immediate coexistit, seu, quod idem est, animæ localis præsentia ad corpus, in sensu modo explicato, admitti debet.

II° *Utrum anima singulis organismi sui partibus præsens existat?*

127. Controversia exponitur. — Eamdem præsentiæ relationem ad omnes sui organismi partes animam habere nonnulli admittunt. Ita in primis sentiunt qui principium vitale cum anima identificant.

Alii, diversis ducti rationum momentis, non admittunt animæ præsentiam nisi pro una corporis parte.

128. Opinio tenenda. — Hæc statui posse videntur.

1° Absolute possibile est animam singulis substantiis, quæ corpus constituunt, immediate coexistere, proindeque iis præsentem esse.

2° Attamen, attendendo ad intimam organismi structuram, tanquam hypothesim probabiliorem teneremus hanc animæ relative ad corpus ubiquitatem non esse admittendam. Plurimis enim experimentis constat influxum mutuum animæ variarumque organismi partium exerceri non posse, nisi ope nervorum, in minutissimis organorum partibus distributorum, iterumque nervos ipsos ad hunc influxum producendum inutiles esse, nisi religentur medullæ spinali, ipsaque medulla spinalis cerebro. Exinde autem non sine probabilitate concludere possumus animam præsentem non esse nisi centris nervosis ad quæ nervi profluunt, unde scilicet omnes motrices impressiones proficisci, et quo excitationes sensitivæ confluere videntur.

III° *Quænam sit pars corporis cui animæ præsentia limitetur?*

129. Cerebrum animæ sedes. — Ex modo dictis, pars organismi cui anima immediate præsens est, ea esse debet ad quam omnes systematis nervosi divisiones confluunt.

Hanc porro partem cerebrum esse dubium non est. Unde organum istud esse locum animæ, in sensu supra exposito, admitti deberet. De hoc communiter auctores conveniunt, vulgarisque persuasio ususque loquendi ordinarius cum scientiæ documentis in hac parte perfecte concordant.

130. Quamnam cerebri partem anima occupet? -- At ulterius inquirunt utrum, in ipsomet cerebro, organum speciale existat cui soli præsens sit anima.

Illius organi existentiam communiter admiserunt veteres physiologistæ, eo quod existimarent dari in cerebro organum quoddam ad quod, tanquam ad punctum simplicissimum, omnium nervorum extremitates confluebant, quod *sensorium commune* ideo nuncupabant.

Imo, plurimi organum istud determinare conati sunt. Sic v. g. Cartesius sensorium commune in *glande pineali*, alii in *corporibus striatis*, alii in *centro ovali*, etc... reposuerunt.

Hodie vero multum abest quin confluentia hæc nervorum ad unicum centrum pari consensu admittatur, et fatendum est nullum experimentum ad illam admittendam hucusque deduxisse. Quin etiam, communius hodie ab auctoribus propugnatur, vel cerebrum tanquam organum unicum et indivisibile, et proinde eodem modo quoad omnes partes, agere, quod *sensorii communis* negatio foret; vel, si in illo aliqua divisio operationis existat, hanc divisionem in eo consistere quod quælibet animæ facultas suum organum ab aliis distinctum et independens in cerebro habeat, quod iterum *sensorii communis* hypothesim destruit. Hæc posterior opinio ea est quam speciatim tenent *phrenologistæ*.

Quidquid sit, cum præsens quæstio magis ad physiologiam quam ad psychologiam pertineat, nobis sufficiat pauca hæc de ea delibuisse.

Scholium.

131. Variæ hominis definitiones. — Anima nostra, quatenus corpori organico hypostatice conjungitur, constituit *hominem*, in quo definiendo non consentiunt auctores.

Præcipuas definitiones in scholis agitatas, hic referre et paucis discutere abs re non erit.

1° Plato hominem definiebat: *Animum qui corpore imperando utitur*. 2° Juxta S. Augustinum, homo est: *Anima rationalis corpore terreno et mortali utens*. 3° Ab his definitionibus non multum discrepat ea quam D. de Bonald paucis abhinc annis proposuit, et quæ a multis hodie commendatur.

Hic scilicet hominem definiebat : *Intelligentiam ab organismo ministratam* (*Une intelligence servie par des organes*). 4° Omnes tandem norunt definitionem pervulgatam in scholis ad nostra usque tempora, juxta quam homo foret *Animal rationale*.

Ex his definitionibus, tres priores in hoc nobis peccare videntur quod animæ nimiam a corpore independentiam tribuant. Non solum enim anima corpori *imperat*, illo *utitur*, aut ab illo *ministratur* ; sed etiam, experientia teste, illius necessitatibus et vicissitudinibus subjacet, ab illoque pendet in exercitio suarum facultatum, earum etiam quæ magis a corpore alienæ videntur. — Quarta verior quidem nobis videtur : ipsi tamen exprobraremus quod non satis exprimat tum in quo consistat animalitas quæ de homine affirmatur, tum etiam quomodo in homine animalitati rationalitas adjungatur.

132. Definitio nostra. — His positis, quomodo hominem definiremus facile constare potest ex his quæ in hac Psychologiæ Parte diximus. Tria scilicet in homine distinximus : 1° animam rationalem, id est, substantiam intellectualiter cogitandi facultate donatam ; 2° organismum viventem, id est, aggregationem materialem diversis organis instructam et vitali principio informatam ; 3° unionem personalem inter utrumque, ex qua, tanquam consectarium, sequitur multiplex dependentia relative ad passionem et actionem. Homo igitur definiri potest :

Substantia intellectualiter cogitans, organismo viventi hypostatice conjuncta, in dependentia mutua passionum et actionum.

Singulæ hujus definitionis voces ex præcedenter dictis facile intelliguntur, nec ideo ulteriori explicatione indigent.

PSYCHOLOGIÆ PARS TERTIA.

DE ANIMÆ VITA.

133. ANIMÆ VITA DEFINITUR. — DIVISIO HUJUS PARTIS. — Animæ vita definiri potest : *Complexio statuum quos actus animæ essentialiter constitutivus successive percurrit, per totam existentiæ suæ durationem.*

Hi status constituunt quasi tres epochas seu phases quarum prima *involutionis*, secunda *evolutionis*, tertia demum *perfectionis* seu *termini* dici potest.

SECTIO PRIMA.

DE PRIMA EPOCHA VITÆ ANIMÆ, SEU DE ANIMA IN PHASI INVOLUTIONIS SPECTATA.

134. QUÆSTIONES IN HAC SECTIONE EXPENDENDÆ ENUMERANTUR. — Circa primam vitæ animæ epocham, tria breviter efficiemus : 1° ostendemus statum animæ præsentem primitivum non esse, proinde statum antecedentem præsupponere; 2° hujus posterioris status naturam determinare conabimur; 3° quod sentiendum sit de aliis statibus qui eumdem statum, juxta plures, iterum præcessissent, postremum dicemus.

135. STATUS PRÆSENS ANIMÆ PRIMITIVUS NON EST. — Facile unicuique nostrum constare potest statum psychologicum, in quo nunc versamur, primitivum non esse, id est, animam nostram, in instanti creationis suæ, cogitandi facultatem perinde ac nunc non exercuisse.

1° Ad statum præsentem animæ nostræ, relative ad cogita-

tionem, nonnisi successive pervenimus. Nam cogitationes distinctæ, quæ hunc statum constituunt, una post alteram, experientia teste, menti nostræ illuxerunt. Quisquis seipsum attente consideraverit, is facile advertet cogitationes illas eo minores numero inveniri, quo magis ad initium existentiæ nostræ regredimur; usquedum ad primam infantiam recordationem nostram referentes, vix ulla detegere possumus cogitationis vestigia. Exinde autem manifeste sequitur statum præsentem animæ, relative ad cogitationem, durante existentia animæ, exordium sumpsisse, ideoque primitivum non esse.

2° Idem concludi potest ex conditione, qua posita, cogitationes distinctas quibus ille status constituitur, acquirimus. Ad id nempe necesse est, prout infra dicemus, ut excitationes varias ex parte objectorum nobis externorum experiamur et, in primis, ut educatione instituamur. Status autem qui talibus mediis obtinetur manifeste primitivus esse non potest, cum excitationes illæ in anima perpetuo influxum non exercuerint.

3° Proprium est status nostri præsentis ut, recordationis ope, præcipuorum saltem factorum cogitationis in illo productorum, meminisse possimus. Atqui, constat animam nostram exstitisse ante temporis epocham, ultra quam recordatio nostra non progreditur. Ergo, tunc temporis anima nostra in altero statu cogitationis ac in præsenti versabatur.

136. Cujusnam naturæ fuerit status animæ, cui præsens status successit, expenditur. — Admittendum est igitur statui, in quo nunc anima versatur, alterum præexstitisse. Cujusnam autem naturæ fuerit facile non est determinare, propter defectum experientiæ, cui præcipue scientia psychologica innititur. De hoc igitur animæ statu nonnisi paucissima dicendum habebimus.

137. Sensualistarum hypothesis refellitur. — Non defuerunt qui existimaverint statum animæ, de quo agitur, in hoc a statu præsenti discrepavisse, quod anima primitus

nullam cogitationem actualem, sed tantum nudam cogitandi facultatem habuerit. Animam sibi repræsentant, in hac vitæ ipsius epocha, sub imagine *tabulæ rasæ* in qua nihil prorsus scriptum invenitur. Ita sensualistæ et quotquot cognitionum nostrarum originem in influxibus externis, animæ jam constitutæ obvenientibus, reponunt.

Hæc autem hypothesis prorsus rejici debet. Etenim, licet cogitatio dici possit aliquid accidentale relative ad status diversos quos successive percurrit ; in se tamen, utpote constituens actum animæ specificum (n. 54 et seqq.), huic omnino essentialis est. Atqui, repugnat animam vel uno instanti privari aliqua determinatione ipsi essentiali. Ergo, etc...

Idem dic de opinione quorumdam qui propugnant animam essentialiter quidem, ideoque a primo existentiæ suæ instanti cogitare ; cogitationis vero actum, quem primitus exercuit, mere sensibilem fuisse.

Etenim, cogitatio actualis quæ, utpote ad animæ nostræ essentiam pertinens, indesinenter in ea non inveniri non potest, eadem, quoad essentiam, esse debet ac ea cujus nunc conscientiam habemus, proindeque iisdem elementis constitui. Hujus assertionis veritas ex supra dictis ultro profluit; quidquid enim de cogitationis necessitate relative ad animam in prima Parte statuimus, de cogitatione, prout illius conscientiam nunc habemus, intelligi debet. Nunc autem cogitationis factum, cujus nunc conscientiam habemus, non est aliquid mere sensibile, sed simul perceptione intellectuali et activitate essentialiter constituitur (n. 5 et seqq.).

Et vero, elementum sensibile cogitationis, utpote nihil aliud per se dicens quam hujus limitationem (n. 13), actum proinde distinctum et completum cogitationis per se constituere non potest. Repugnat igitur animam nonnisi actu cogitationis mere sensibili aliquandiu donatam fuisse.

138. Sensus quæstionis determinatur. — Ante omnia igitur supponere debemus animam, a primo existentiæ suæ

instanti, *intellexisse, egisse, sensus expertam fuisse*. Cogitationis enim factum ex his tribus elementis essentialiter coalescit.

At, relative ad modum quo eadem elementa in actu constituuntur, plures in cogitationis exercitio differentiæ possibiles concipiuntur, quæ proinde varias quidem ejusdem cogitationis modificationes producant, ipsam vero cogitationis essentiam non immutent. Nunc itaque inquirendum venit non quidem utrum anima, ante præsens cogitationis exercitium quo fruitur, jam cogitaverit; nec etiam utrum ipsius cogitatio ejusdem speciei fuerit ac cogitatio præsens; sed in quonam statu hæc cogitatio, qua anima carere non potest, ante præsens tempus in anima fuerit.

Porro, directe quidem hanc quæstionem solvere non possumus. Si autem præsentem cogitationis nostræ statum attente consideremus, forsan impossibile nobis non erit de hoc puncto nonnulla conjicere.

139. Discrimen inter cogitationem distinctam et indistinctam. — Experientia teste, quodlibet cogitationis objectum sese primum nobis offert quasi in synthesi indistincta, in qua nempe, vel nulla, vel paucissima tantum elementa secernimus. Mox vero, attentionis ope, varias hujus synthesis partes unam post alteram expendimus, sicque explicitam et reflexam cognitionem acquirimus objecti, quod prius nonnisi implicite et directe cognoscebamus. Nec alio modo, prout infra dicemus, concipi debet animæ nostræ evolutio. Proprie enim loquendo, nihil novi acquirimus quoad cogitationis, ut ita dicam, reale et positivum; sed tantum reale illud magis ac magis distinctum in dies efficitur.

Hujus facti veritas pluribus exemplis astrui potest.

Supponamus, v. g., aliquem ex eminentiori loco planitiem immensam prospicere, domibus, rivis, stagnis, saltibus, etc... confertam. Statim ac ad hæc omnia oculos convertit, innumeram quidem impressionum sive intellectualium, sive sen-

sibilium multitudinem experitur. Hæ autem impressiones adeo synthetice illum afficiunt, ut, in primo instanti, cujuslibet illarum enumerationem afferre illi impossibile foret. Ad id requiritur ut, sedula attentione, varia objecta quæ ipsius oculis subjiciuntur, unum post alterum expendat. Hoc quidem peracto, nihil jam videt quod antea non viderit, videt itaque tantum magis distincte illud quod antea non videbat nisi confuse et synthetice.

Aliud exemplum. Sit puer cui præceptor circuli definitionem enuntiat. Statim ac istius definitionis sensum puer intellexit, quidquid de circuli proprietatibus geometræ docent, eo ipso intelligit. Harum enim proprietatum demonstratio nihil aliud est quam præfatæ definitionis evolutio; adeo ut puer ipse, modo mens illius apte dirigatur, ad eas possit pervenire. His igitur demonstrationibus peractis, nihil quidem amplius quam circuli definitionem cognoscit puer; hæc autem definitio, quam nonnisi synthetice primum cognoscebat, nunc, analysi adhibita, in illius elementis distincte cognoscit.

Mens igitur nostra, dum sese evolvit, ab indeterminato ad determinatum, a confuso ad distinctum, a synthesi ad analysim progreditur. Hinc jam observavimus eo majores numero cogitationes nostras distinctas inveniri, quo magis animæ nostræ vita protrahitur.

140. Hypothesis circa statum anteriorem animæ, relative ad cogitationem, proponitur. — Hoc porro nobis inservire potest ut aliqualem notionem de primitivo animæ statu, relative ad cogitationem, nobis effingere possimus.

In hoc nempe consistere debuit quod anima varia sui actus elementa nullatenus separaverit, sed prorsus synthetice et indistincte cogitaverit.

Itaque, dum in statu præsenti anima nostra ens apprehendit per innumeram multitudinem conceptuum distinctorum, quorum ope, varias entis notas secernit ab invicem; tunc econtra

enti applicabatur per intuitionem simplicissimam, in qua varias illius notas, vere quidem et realiter, sed indistincte apprehendebat.

Iterum, dum in statu præsenti activitas nostra exeritur, sive per judicia quibus notiones distincte apprehensas conjungimus aut separamus, sive per varios actus amoris aut odii quibus in bono complacemus aut a malo abhorremus; tunc econtra anima activitatem suam non exercebat, nisi per adhæsionem purissimam enti, tum quatenus vero, tum quatenus bono a seipsa apprehenso.

Tandem, in statu præsenti, sensus innumeros et a se invicem perfecte distinctos et separabiles experimur; primitus autem anima experiebatur solummodo sensum quemdam, ut nonnulli loquuntur, *fundamentalem*, in cujus unitate varietas sensuum, quos nunc habemus, inclusa existebat.

Hinc sequitur statum animæ præsentem a præcedenti non discrepare per cogitationis naturam, sed per illius evolutionis gradum. Unde merito primam vitæ psychologicæ epocham phasim *involutionis* appellamus.

141. Eadem hypothesis astruitur. — Talis est hypothesis quæ, ad hujus phasis naturam explicandam, anteponenda videtur.

Hæc enim hypothesis 1° *Nullam repugnantiam includit.* Discrimen enim quod assignat inter statum animæ præsentem et statum ejusdem anteriorem, ex una parte, actum animæ constitutivum intactum relinquit, ut patet; ex altera parte, nullam supponit in illo actu determinationem quæ possibilis non concipiatur, cum, vel in statu præsenti, cogitatio absque distinctione, in sensu supra exposito, exerceatur. — 2° *Eadem hypothesis statum animæ, quem volumus explicare, reipsa explicat.* Illius enim ope, reale assignatur discrimen inter hunc statum et statum præsentem. Hoc præterea posito discrimine, haud difficile concipitur cur de cogitationibus primitus a nobis habitis recordari non possimus. Experientia enim teste, conditio essentialis memoriæ est reflexio; porro, in statu de quo

agitur, cum reflexione cogitatio exerceri non potuit. Ad reflexionis enim exercitium, distinctio elementorum cogitationis necessario requiritur. — 3° *Demum eadem hypothesis in analogia fundatur.* Etenim, experientiæ ope, novimus 1° cogitationem nostram in dies evolvi, illudque fieri per majorem illius elementorum distinctionem; novimus 2° reflexionis et memoriæ exercitium huic evolutioni exacte respondere, ita ut eo magis reflexe agamus, eo magis pariter de actibus recordemur, quo actuum elementa melius ab invicem, dum peragerentur, secrevimus. Cum igitur agnoscendus sit animæ status de quo nihil prorsus memoria testatur, a quo proinde reflexio abesse debuit, merito, analogiæ innixi, concludere possumus statum hunc a præsenti distingui per absolutam absentiam distinctionis inter varia cogitationis elementa.

142. Utrum statui cogitationis indistinctæ, cui status præsens successit, alius status præexstiterit? — Antequam huic Sectioni finem imponamus, inquirere debemus utrum vitæ psychologicæ phasis quam modo pro posse explanavimus, vere primitiva fuerit; utrum vero illi altera iterum præexstiterit?

Multiplex huic quæstioni responsio dari potest.

143. Opinio Platonis. — Hic recurrit opinio Platonis circa præexistentiam animarum (Cf. n. 83), juxta quam animæ humanæ, ante earum cum corpore conjunctionem, cogitatione reflexa modo eminentiori, ac in præsenti statu, fruitæ fuissent.

144. Opinio Pythagoræ. — Ad hanc doctrinam aliquatenus accedit dogma metempsychosis, a Pythagora et pluribus aliis olim propugnatum. Norunt enim omnes istius dogmatis patronos contendisse animam, ut sese purificet a contaminatione quam per suam cum materia unionem contraxit, per plures vitas successive transituram esse. Vita præsens pro unoquoque nostrum, nonnisi post plures alias, in quibus anima nostra cogitationis reflexæ capax fuit, locum habet; huicque iterum aliæ vitæ debent succedere.

145. Doctrina communior. — Communior demum doctrina propugnat statum cogitationis directæ in quo, ex dictis, anima versabatur, antequam evolutio præsens inciperet, fuisse illius statum primitivum; animam nempe in illo fuisse a Deo creatam, in illoque item perseveravisse, usquedum conditiones ad reflexionem requisitæ evenirent.

146. Opinio tenenda. — Ex his doctrinis, duæ priores, ut pote documentis christianæ fidei oppositæ, a philosopho catholico propugnari non possunt. Quod si mere philosophice spectentur, difficile quidem nobis videtur illas intrinsecæ repugnantiæ convincere. Attamen, vel sub hoc respectu, a nobis admitti non possunt, eo quod saltem haberi non debeant nisi tanquam hypotheses imaginariæ quibuslibet probationibus prorsus destitutæ.

Tertia igitur doctrina sola est quam possimus cum aliquo fundamento propugnare.

SECTIO SECUNDA.

DE SECUNDA EPOCHA VITÆ ANIMÆ, SEU DE ANIMA IN PHASI EVOLUTIONIS SPECTATA.

145. Evolutionis in genere natura exponitur. — Evolutionem animæ antequam describamus, quid sit *evolutio* in genere dicere debemus.

Per evolutionem generatim intelligitur : *Manifestatio distincta elementorum aliquam unitatem constituentium.* Sic, v. g., plantæ evolvi dicuntur, quando partes, quæ in germine quasi condensæ delitescebant, sese ab invicem separando, cum sua distinctione oculis apparent.

Porro tale est phænomenon (quantum res tam diversæ inter

se comparari possunt) quod in anima nunc notandum habemus. Dicendum itaque nobis est quomodo anima paulatim separet varia elementa in facto primitivo cogitationis modo obvoluto existentia, ut illa separatim expendat et examinet, sibique, ut ita dicam, de proprii dominii limitibus et natura rationem reddat.

Hinc non admitteremus, cum quibusdam, nova facta, quoad naturam a præcedentibus distincta, indesinenter in anima produci; hoc enim aliquid entis intensivi animæ adderet, illiusque essentiam specificam immutaret. Totum igitur discrimen quod, juxta nos, inter animam in instanti suæ creationis, et eamdem animam in statu perfectissimo ad quem pervenire potest, non ex parte naturæ actus quo constituitur, sed ex parte rationis qua actus ille, idem remanens, producitur, desumi debet. Nec alio modo diversæ cogitationes, quæ successive animam afficiunt, inter se distinguuntur.

146. Divisio hujus sectionis — Phasis evolutionis animæ eo instanti vitæ psychologicæ incipit, quo homo *generari* dicitur, lentoque labore deinceps perficitur. Generaliori modo illam in præsenti considerantes, expendemus: 1° quomodo producatur, id est, quænam, ut ad eam anima perveniat, conditiones sint requisitæ; 2° quomodo in se constituatur, id est, quomodo, ipsa durante, cogitandi facultatem anima exerceat; 3° quomodo tandem anima, conscientiæ ope, de hujusmodi statu sibi ipsi testimonium reddat. — Hinc triplex Caput.

CAPUT PRIMUM.

De Conditionibus evolutionis animæ.

147. Conditiones evolutionis animæ enumerantur. — Ad evolutionem animæ producendam, triplex requiritur conditio, videlicet : 1° *conditio organica*, quæ consistit in

sufficienti organismi corporei formatione; 2° *conditio externa*, quæ consistit in influxu entium nobis exteriorum; 3° *conditio psychologica*, quæ consistit in mentis attentione.

ARTICULUS PRIMUS.

De Conditione organica evolutionis animæ.

148. CONDITIO ORGANICA EVOLUTIONIS ANIMÆ ENUNTIATUR. — Ut anima reflexe cogitationem exercere possit, ante omnia requiritur ut organismus, cui conjungitur, sufficienter sit formatus; in hoc ideo organicam cogitationis reflexæ conditionem merito reponimus.

Igitur de formatione organismi hic dicendum habemus.

149. STATUS ORGANISMI PRIMITIVUS DESCRIBITUR. — Organismus cui, in primo existentiæ suæ instanti, anima conjungitur, non habet, teste experientia, perfectionem quam in decursu obtinere debet. Vix a se invicem organa in eo distinguuntur, potiusque germen et rudimentum corporis quam corpus humanum proprie dictum organismus ille dici debet. Mox vero principium vitale quod huic inhæret, vi quadam ipsi propria, sibi coadunat et quasi assimilat moleculas corporeas, quibus motus vitales imprimit, et ex quarum aggregatione nascitur compositum materiale quod organismum proprie nuncupamus.

Organismus ille primum quidem rudis est et informis. Paulatim vero, novis partibus accedentibus, præsertimque principio vitali intus indesinenter operante, illius moles informatur successiveque induit hanc organorum diversitatem quam in corpore humano deprehendimus.

150. ORGANISMI STATUS TEMPORE NATIVITATIS. — Tempore nativitatis, formam suam obtinuit corpus, omnibus scilicet organis instruitur quibus illi opus est, tum ut vivat, tum ut illo tanquam cogitationis instrumento anima uti possit. Ad

ultimam tamen illius perfectionem nondum pervenit. Tunc nempe pro illo incipit crescentiæ phasis, in qua non quidem formantur organa, sed, jam formata, evolvuntur et roborantur.

Nunc vero, hanc corporis formationem plurimum in cogitationis reflexæ exercitium influere, meritoque haberi posse ut illius conditionem sine qua non, facile ostendi potest.

Ratio a priori est ipsummet factum conjunctionis animæ organismi cum anima, ut illius cogitationi cooperetur, non quidem cogitationem cum anima producendo, sed huic instrumentum, quo facilius cogitationem exerceat, suppeditando. Hinc enim sequitur perfectionem cogitationis ab organismi formatione aliquatenus pendere.

Illud præterea experientia constat. Hæc enim ostendit, prout jam notavimus (n. 114), eo magis evolutionis intellectualis hominem capacem existere, quo magis evolvitur ipsius organismus.

151. Quænam, inter organismi formationem et cogitationis reflexæ productionem, relatio existat, expenditur. — Hic autem præterea inquirere possumus quænam relatio existat inter formationem organismi, prout illam modo descripsimus, et evolutionem animæ relative ad cogitationis exercitium ; id est, quomodo talis vel talis organorum dispositio cogitationem plus minusve perfectam possit determinare.

Circa illud punctum, hæc notanda videntur.

Per evolutionem animæ ille intelligitur status in quo cogitandi facultas modo distincto exercetur ; adeo ut anima cogitando, a se invicem separet varia elementa in actu primitivo cogitationis inclusa. Ex altera parte, evolutio organismi in eo consistit quod varia illius organa, quæ primum non distinguebantur, extra se invicem ponantur, distinctaque appareant.

Porro, si hæc duo facta ad invicem comparantes, illorum analogiam sedulo pensemus, verisimillimum videbitur evolutionem organismi ad animæ evolutionem eatenus requiri,

quatenus organismo perfecte formato, cuilibet cogitationis elemento distinguibili et reflexionis ope separabili, organum distinctum respondet, ita ut distinctæ cogitationis labor ipsamet organismi dispositione adjuvetur.

Hæc hypothesis factis confirmatur, quoad organa exteriora, quæ *sensuum organa* vulgo dicuntur, et quorum auxilio *sensus fundamentalis*, quem solum anima primitus experiebatur, dividitur in plures alios qui distincte animam afficiunt. Idem autem dici debere de organis internis et in primis de organis cerebralibus, quæ specialius ut animæ instrumenta haberi debent, analogia concludere permittit. Hinc hypothesis phrenologica, de qua supra, omni forsan probabilitate sub hoc respectu non careret.

ARTICULUS SECUNDUS.

De conditione externa evolutionis animæ.

152. Conditionis externæ evolutionis animæ natura exponitur. — Articuli divisio. — Non sufficit ad distinctæ cogitationis exercitium, quod organismus perfectionem sibi congruam obtinuerit; requiritur quoque ut, illo mediante, varios entium sibi externorum influxus anima recipiat. In his itaque influxibus, externam evolutionis animæ conditionem merito reponimus. Porro, entia externa duplicis sunt generis: alia nempe mere physica sunt, id est, ratione prorsus destituta, ut belluæ, lapides, plantæ; alia naturam rationalem cum anima participant, illudque constituunt quod *societatem* seu *genus humanum* appellant. Hinc, præmissis quibusdam disquisitionibus circa influxus externos generatim consideratos, de influxu proveniente ab hoc utroque entium nobis externorum genere, seorsim dicemus.

§ 1. *De Influxu exteriori in animam generatim spectato.*

153. Quæstiones expendendæ enumerantur. — De influxu exteriori in animam generatim considerato, inquiremus 1° quænam sit ejus natura, 2° quemnam effectum producat relative ad cogitationem exercendam, 3° utrum, ut distincte cogitatio exerceatur, sit absolute necessarius.

I° *Quænam sit natura influxus exterioris generatim considerati?*

154. Influxus externus definitur. — Influxus, de quo agitur, consistit in variis impressionibus sensibilibus animæ obvenientibus, occasione actionis entium creatorum quæ mundum hunc aspectabilem constituunt. — Dixi : *occasione;* nam, prout alibi diximus (*Cosm.*, n. 102 et 104, *Psych.*, n. 14), vera causa efficiens variarum animæ modificationum, ipsi ab extra obvenientium, est Deus.

Quænam, ut producantur in anima, conditiones requirantur, sive ex parte objecti externi, sive ex parte organismi, ad physicos et physiologistas pertinet exponere. Sufficiet igitur nobis modificationum internarum quas, teste conscientia, in anima producunt, brevem enumerationem hic afferre.

Norunt omnes sensationes externas ad quintuplicem facultatem referri, pro numero organorum ad illas recipiendas dispositorum : nempe, ad *gustum*, *olfactum*, *auditum*, *visum* et *tactum*.

155. Gustus. — Gustus organum reponi debet in variis oris partibus, præsertim vero in lingua. Sensatio, quam per illum experimur, est *sapor*, cujus decem species nonnulli distinguunt medici : nempe, *acidum*, *dulce*, *amarum*, *acre*,

salinacidum, alcalinum, vinosum, spirituosum, aromaticum et *acerbum*.

156. Olfactus. — Olfactus organum suum habet in naribus. Sensatio illi propria est *odor*. Quanta sit odorum diversitas nemo nescit. Ad septem tamen species præcipuas illos reducere conatus est celebris naturalista Linnæus. Hæ sunt 1° odores *ambrosiaci*, quorum præcipuus character est tenacitas; inter illos eminent odores rosæ et musci. 2° Odores *fragrantes*, fugacitate præsertim insignes; talis est odor lilii. 3° Odores *aromatici*, ut v. g. odor lauri. 4° Odores *alliatici*, qui cum odore allii aliquam analogiam habent. 5° Odores *fetidi*, ut v. g. odor fungorum. 6° Odores *virosi*, ut odores opii et papaveris. 7° Odores *nauseosi*, ut odor cucumeris.

157. Auditus. — Auditus sedem habet in auribus. Per illum experimur sensationem *soni*. Innumeræ iterum distinguuntur soni species, quæ desumuntur ex variis modificationibus quæ sono obvenire possunt pro triplici illius charactere, nempe illius *intensitate, tympano* et *tono*. — Intensitas soni pendet a vi commotionis in organo excitatæ : sub hoc respectu, sonus dividitur in *debilem* et *fortem*. — Tympanum soni est character quem illi imprimit natura specialis organi vocalis a quo producitur, et, cujus ope, variorum hominum voces inter se discernuntur. Sic dantur divisiones vocum in *graciles* et *plenas*, *resonantes* seu *cuprinas* et *surdas*, etc... — Tonus est character quo inter se discernuntur soni, relative ad numerum aeris vibrationum, quarum ope producuntur. Nobis suppeditat sonorum divisionem in *altos* et *remissos*, sicque determinat notas quæ *scalam musicam* constituunt.

158. Visus. — Per visum, cujus organa sunt oculi, sensationem *coloris* experimur. Septem prim itivi colores numerantur, nempe : *violaceus, indicus*, *cœruleus, viridis, flavus, aurantiacus* et *ruber*. In his nec color *albus*, nec *niger* reperiuntur; prior enim ex septem aliorum combinatione provenit,

sicque primitivus non est; posterior autem proprie non est color sed potius absentia coloris.

159. Tactus. — Tactus in tota superficie corporis exercetur; ipsius igitur organum est pellis. Sensationes, quas illius ope experimur, ad duas referri posse videntur, *soliditatem* nempe et *temperaturam*. — *Soliditatem* nuncupamus hunc sensum, quem experitur anima, propter resistentiam quam in objectis exterioribus invenit. Innumerabilium illius modificationum præcipuæ sunt: *durities*, *mollities*, *liquiditas*, *fluiditas*, *pondus*, *polities*, *asperitas*, *siccitas*, etc... — Quoad sensationem *temperaturæ*, ipsius modificationes sunt sensus *caloris* et *frigoris*, quorum unusquisque innumeros iterum gradus admittit.

II° *Quisnam sit effectus exterioris influxus relative ad cogitationem exercendam?*

160. Quæstionis expendendæ status exponitur. — Experientia ostendit cogitationis exercitium ab influxu, quem occasione rerum externarum recipit anima, plurimum pendere; nec in hoc probando immoremur necessarium est.

Circa modum autem quo ad cogitationem producendam, aut saltem modificandam, concurrit ille influxus, inter se non conveniunt auctores. Triplex præcipua hypothesis exponenda nobis occurrit et discutienda.

161. Prima opinio. — Elementum sensibile objectum cogitationis. — Juxta primam, elementum sensibile, quod in anima ex influxu exteriori provenit, in eo sensu cogitationis productionem adjuvat quod illi objectum suppeditet. Itaque, antequam externa sensibilitas excitetur, nullum est in anima cogitationis objectum, nulla proinde cognitio proprie dicta, vereque anima tunc dici potest *tabula rasa*. Hoc vero iterum triplici modo propugnatum invenimus.

1° Fuerunt nempe philosophi, propter hoc *sensualistæ* nun-

cupati, qui cognitionem humanam cum facto sensibili, quod ex influxu externo provenit, identificari contenderunt. Quidquid igitur cognoscimus, mera sensatio est plus minusve transformata. Ita in primis Condillac.

2° Elementum sensibile objectum esse cogitationis alio in sensu propugnavit Kantius. Hic nempe facile agnovit cognitionem humanam aliud includere quam factum sensibile, proindeque cum illo identificari non posse. Factum tamen sensibile haberi debet tanquam pars essentialiter constitutiva cognitionis humanæ. Duplex enim element um in cogitatione hic distinguit : elementum *materiale*, *empiricum* et *a posteriori;* et elementum *formale*, *transcendentale* et *a priori.* Prius reponit in impressionibus sensibilibus ex influxu externo provenientibus ; posterius in formis quibusdam animæ humanæ essentialiter inhærentibus. Ad cogitationem realem constituendam, utrumque elementum concurrere debet, ideoque posterius, priore absente, nihil aliud esset quam forma vacua.

3° Tertius demum datur modus, juxta quem nonnulli recentiores influxum externum cognitioni humanæ originem dare propugnaverunt. Hic quidem influxus non constituit cognitionem ; sed illam producit in mente, quatenus influxus ille, utpote intelligibile *exprimere* valens, est quasi vehiculum quo veritas nobis innotescit. Hoc præsertim efficitur per sermonem quo ab aliis hominibus edocemur.

162. Secunda opinio. — Influxus externus excitatio animæ ad cogitandum. — Secunda hypothesis tanquam inconcussum principium habet cogitationem integre formatam existere in mente, independenter ab influxu externo. Dependentia autem erga influxum hunc in qua, experientia teste, versamur circa cogitationis exercitium, in eo consistit quod influxus externus est quasi incitamentum et stimulus quibus animæ activitas, aliquo modo expergefacta, ad cogitationem quam antea inattenta producebat, sese convertit. In hac igitur hypothesi, anima per se cogitaret. Ad hoc quidem

efficiendum excitari debet; semel autem excitata, suam cogitandi facultatem sola et absque auxilio influxuum externorum exercet.

163. Tertia opinio. — Influxus externus cogitationis expressio. — Est demum tertia hypothesis, quæ inter duas priores quasi medium tenet, juxta quam scilicet elementum sensibile ex influxu externo proveniens, ex una quidem parte ad cognitionem humanam constituendam nequaquam concurrit; ex altera vero, non ut merum facultatis cogitandi exercendæ incitamentum haberi debet. Hoc nempe elementum est quasi instrumentum quoddam ab anima, in cogitationis reflexæ actu, necessario adhibendum, cujus effectus est objectum aliquod menti *exprimere*, id est, adeo præsens reddere, ut mens ad sensum quem experitur attendere non possit, quin ad tale objectum simul attendat. In hac hypothesi, mens quidem aliud objective cogitat quam merum sensibile; sensibile autem est quasi speculum in quo objectum apprehenditur. Hoc verissime exprimitur: dicendo animam cogitare intelligibile *in sensibili* aut *per sensibile*.

164. Thesis. — *Elementum sensibile, ex influxu exteriori proveniens, nec ut objectum cogitationis constituens aut producens, nec ut merum illius incitamentum, sed ut illius instrumentum haberi debet.*

Probatur prima pars, nempe: *elementum sensibile nec constituere, nec producere objectum cogitationis.*

Si res aliter esset, vel utique in sensu sensualistarum, vel in sensu Kantii, vel demum in sensu recentiorum quorum opinionem tertio loco exposuimus.

Atqui, nullum ex his dici potest.

Non quidem primum. — Uti enim constat ex dictis in præcedenti Parte, ubi actum animæ constitutivum analysi subjecimus (n. 5 et seqq.), manifestum est in cognitione humana aliud inveniri quam meras sensationes quantumvis transformatas. Et, ut cætera taceam media quibus id ostendi posset,

sensationes sunt per se aliquid contingentis, particularis, mere subjectivi, dum cognitio humana necessarium, generale et objectivum attingit. Ergo, primum dici nequit.

Nec secundum. — Varia enim elementa quæ, juxta Kantium, partem *transcendentalem* seu *a priori* intellectus humani constituunt, et quæ, juxta nos, ad *ideam* revocantur, nihil aliud demum sunt, uti supra probavimus, quam *ens intelligibile.* Atqui, intuitio entis intelligibilis sensibili quidem elemento indigere potest, ut distincte et cum reflexione habeatur; attamen, quatenus intuitio entis intelligibilis, est aliquid a sensibili quocumque prorsus distinctum, proindeque complete, independenter ab illo, existere debet. Ergo, etc...

Nec demum tertium. — Elementum enim sensibile menti exprimere intelligibile dici non potest, nisi in duobus sensibus: in eo nempe sensu quod in se intelligibile contineret, aut in eo sensu quod intelligibilis conceptum distinctum necessario comitaretur. Prius propugnari nequit, quin incidatur in sensualismum modo a nobis confutatum. Posterius recidit in doctrinam a nobis infra propugnandam. Hac autem doctrina admissa, jam nullo pacto dici potest conceptum objecti intelligibilis per elementum sensibile produci; si enim elementum sensibile sit tantum expressio et comes conceptus, de quo agitur, hunc igitur conceptum jam in mente existentem, proindeque in suo *esse* constitutum essentialiter supponit. Ergo, etc...

Probatur secunda pars: nempe, *elementum sensibile*, *ex influxu exteriori obveniens, merum cogitationis incitamentum non esse.*

Etenim, experientia testis est elementum sensibile et elementum intelligibile, ad quod proprie dirigitur cogitatio, ita esse connexa, sibique invicem ita in mente conjungi, ut huic aliquo labore opus sit ad illa separanda. Porro, si elementum sensibile nihil aliud foret quam incitamentum attentionis, hoc non eveniret. Tunc enim elementum istud ab objecto cogitationis omnino distingueretur, nedumque aliquo labore ad illa

separanda menti opus esset, hæc ab ipsa confundi impossibile videretur.

Probatur tertia pars : nempe, elementum sensibile, de quo agitur, nihil aliud esse quam cogitationis instrumentum, in sensu modo explicato.

In eo sensu elementum sensibile cogitationis instrumentum esse diximus, quòd, illius ope, objectum cogitationis menti exprimatur, sicque cum sua distinctione ab aliis apprehendatur. Atqui, hujusmodi munus ab elemento sensibili in actu cogitationis adimpleri facile constat. Si enim intra nos velimus animum reflectere, deprehendemus sensibilia externa tali reipsa proprietate gaudere, ut veram cum intelligibilis conceptu connexionem habeant; adeo ut, quoties tale vel tale sensibile mentem afficit, talis vel talis intelligibilis idea distincta ipsi statim affulget.

Hinc videtur quomodo tertia hæc hypothesis, inter duas præcedentes medium teneat, illasque secum conciliet. Ex una enim parte, cum prima contra secundam contendit elementum sensibile, non tantum mentem excitare ad conceptum distinctum producendum, sed etiam ad hujus conceptus productionem concurrere, quatenus est instrumentum, cujus ope, ille conceptus habetur. Ex altera vero parte, cum secunda contra primam tenet elementum intelligibile, quod est proprie objectum cogitationis, independenter a sensibili et existere, et a mente apprehendi.

165. Scholium. — Unum remanet expendendum, quomodo nempe elementum sensibile, quod ab intelligibili tam profunde distinguitur, vim tamen illud exprimendi habere possit. Existimamus autem nos in hoc casu, sicut et in pluribus aliis, solo facto contentos esse debere. Illius enim facti alia ratio a priori afferri non potest quam voluntas libera Dei, quæ hanc sensibus ab extra nobis provenientibus prærogativam contulit, ut objecta idealia nobis exprimerent, præsentiaque cum sua distinctione redderent.

III° *Utrum influxus exterior, ut cogitatio distincte exerceatur, sit absolute necessarius?*

166. Quæstionis duplex respectus. — Quæstio hæc sub duplici respectu valde distincto considerari potest. Nempe, quæri potest 1° utrum aliquis influxus exterior sit necessarius ut cogitatio distincta exerceri incipiat. Quæri potest 2° utrum hæc cogitatio semel excitata, influxu externo iterum indigeat; ita ut ille influxus non solum ad primum, sed ad quodlibet cogitationis distinctæ exercitium sit requisitum.

Circa priorem respectum quæstionis, non datur controversiæ locus. Omnes enim partem affirmativam tenent, exceptis forsan paucissimis auctoribus qui, doctrinam idearum innatarum ultra limites extendentes, hujusmodi ideas distinctos conceptus constituere nonnunquam admittere visi sunt. Hi autem experientiæ testimonio manifeste opponi videntur, proindeque deserendi sunt.

Circa posteriorem respectum, major difficultas adest. Dum enim alii existimant nullius rei cogitationem distinctam haberi, nisi intelligibile, quod cogitamus, sensibile quoddam adjunctum habeat; alii, licet de lege ordinaria rem ita se habere libenter agnoscant, existimant tamen possibile esse nos cogitationem aliquam distinctam absque ullo sensibili adjuncto habere, imo et illud de facto quandoque evenire.

Quid sentiamus aperiet sequens

167. Thesis. — *Nullum cogitationis distinctæ exercitium, absque aliqua impressione sensibili, ab influxu sive præsenti, sive præterito rerum externarum proveniente, est possibile.*

Prob. — Illud tanquam essentialis conditio cujuslibet exercitii cogitationis distinctæ haberi debet, quod in variis cogitationibus distinctis, quarum conscientiam habemus, ita implicatur, ut nobis prorsus impossibile sit, nisi illius ope, de

ulla re distincte cogitare. Atqui, tales sunt impressiones sensibiles ab influxu sive præsenti, sive præterito rerum externarum provenientes. Ergo, etc...

Major probatione non indiget. Quoties enim aliqua conditio actuum nostrorum productioni essentialis non est et ab ipsa natura non exigitur, semper nobis possibile esse debet illius necessitati, adhibitis ad id sufficientibus conatibus, nos subtrahere.

Probatur itaque minor: nempe, *impressiones sensibiles externas in variis cogitationis distinctæ actibus, quorum conscientiam habemus, ita implicari, ut impossibile nobis sit de ulla re, nisi illarum impressionum ope, distincte cogitare.*

Varii cogitationis distinctæ actus, quorum conscientiam habemus, nonnisi ad duplicem objectorum speciem terminantur, ad objecta nempe corporea quæ mundum hunc aspectabilem constituunt, et ad objecta incorporea, ut sunt v. g., *Deus, malum et bonum morale*, etc... Atqui, nec ad illa, nec ad hæc objecta, nisi alicujus impressionis sensibilis auxilio, possumus distincte cogitare.

Illud quidem extra controversiam est quoad objecta prioris generis. In hoc enim præcise a rebus incorporeis discrepant, quod sensibile quoddam determinatum, sine quo concipi non possunt, semper adjunctum habent; unde et objectorum *sensibilium* nomine sæpe designantur. Conemur scilicet quantum libuerit de *arbore*, de *lapide*, etc... cogitare, quin aliquid sensibile, colorem v. g., aut impressionem tactilem nobis repræsentemus, brevi nobis compertum fiet hoc esse prorsus impossibile.

Eamdem legem pro conceptibus distinctis rerum incorporearum existere tenendum esse existimamus, licet, ut diximus, non pari consensu hoc admittatur. Harum quidem rerum conceptus sensibile quoddam determinatum adjunctum non habet; unde res illæ *supra sensibiles* nonnunquam appellantur. Expe-

rientia autem ostendit mentem de his objectis distincte cogitare non posse, quin elementum quoddam sensibile arbitrario electum illis adjungat. Sic, v.g., mihi quidem omnino liberum est uti sensibilibus repræsentationibus *Deus*, Θεος, *Dieu*, *Gott*, *God*, *Jehovah*, etc... ad concipiendum ens his vocibus expressum; hoc enim nullum sensibile per se adjunctum habet. Coner autem realitatem hanc, absque ullius sensibilis auxilio, distincte intellectu apprehendere, hoc nunquam assequi potero. — Perperam huic probationi objiceretur, impossibilitatem in qua versamur objecta supra sensibilia absque elemento sensibili distincte cogitandi provenire ex habitudine. Etenim 1º factum adeo universale et constans non ex mera habitudine, sed potius ex lege constitutioni intellectus humani inhærente provenire debet. 2º Nulla est habitudo quæ quantumvis sit inveterata, saltem aliquoties et ab aliquibus superari non possit, sufficientibus, ad eam superandam, adhibitis conatibus. Necessitas autem elementi sensibilis ad res incorporeas distincte cogitandas omnino insuperabilis est.

Ergo, pro conceptu distincto rerum sive corporearum, sive incorporearum, repræsentatio quædam sensibilis, proindeque influxus exterior, sive præsens, sive præteritus, nobis est necessarius.

§ 2. *De Influxu exteriori ab entibus mere physicis proveniente.*

168. Natura influxus entium physicorum. — Per illum influxum nihil aliud intelligimus quam impressiones sensibiles, quas in præcedenti Paragrapho enumeravimus, quatenus per actionem entium intellectu præditorum non modificantur. Tales sunt impressiones quas experiretur homo qui, solus et absque ullo commercio cum suis similibus, in hoc mundo existeret.

169. Influxus entium physicorum effectus relative ad cogitationem. — Cum a teneris annis cum aliis hominibus commercium intellectuale inierimus, difficile nobis est exacte determinare quodnam cogitationis exercitium nobis possibile fuisset, si ab hominibus segregati, nonnisi entium physicorum influxus experti fuissemus.

Attamen, si cognitiones aliunde acquisitas abstrahentes, ad exercitium intellectuale quod influxus illi in nobis per se determinant animum vertamus, nobis constabit plurimas cognitiones distinctas illorum ope menti illucescere. Sufficiunt nimirum ut a se invicem distinguamus varia objecta corporea extra nos posita, quantum saltem expostulat necessitatum vitæ physicæ satisfactio. Conceptus enim distinctus horum objectorum, sensibus variis, quibus illorum occasione afficimur, nihil aliud addunt quam specificationem quamdam ideæ generalis extensionis. Experientia autem teste, hujus specificationis apprehensio distincta semper comes venit impressionibus sensibilibus externis, quocumque modo in nobis producantur, in primis vero impressionibus visus et tactus; impossibile namque nobis est has impressiones distincte experiri, quin statim objectum tali vel tali forma extensa præditum concipiamus. Sola igitur productio impressionum, de quibus agitur, etiam quando nonnisi ab objectis physicis nobis non obveniunt, ad cognitionem distinctam horum objectorum nobis conferendam, per se sufficit.

Et illud confirmatur exemplo quorumdam hominum a societate humana ab infantia segregatorum, qui proinde nonnisi objectorum physicorum influxus experiri potuerunt. Hi enim, licet pluribus cognitionibus distinctis quibus illustramur destituti fuerint, prout infra dicemus, distinctam tamen objectorum physicorum cognitionem habere visi sunt.

170. Utrum influxus rerum physicarum ad distincte cogitandum stricte requiratur. — Quæstionem hanc affirmative solvendam esse dubium esse non potest. Ex una

enim parte, in præcedenti Paragrapho probavimus, nullum cogitationis distinctæ exercitium, absque aliqua impressione sensibili ab extra proveniente, esse possibile. Ex altera vero, non minus constat quamlibet impressionem sensibilem ab extra provenientem, influxum entium physicorum supponere. Entia enim intellectu prædita nonnisi entium physicorum ope, et quasi intermedio, in nobis influxum exercere possunt. Possumus igitur concludere entium physicorum influxum conditionem esse stricte requisitam, ut quocumque modo, facultatem distincte cogitandi exercere valeamus.

§ 3. *De Influxu exteriori ab entibus intellectu præditis proveniente.*

1º *Natura et species influxus ab entibus intellectu præditis provenientis determinatur.*

171. Influxus illius notio generalior. — Per illum influxum intelligimus varias impressiones sensibiles quas experimur occasione actionum voluntariarum ab intelligentiis jam evolutis elicitarum, cum intentione aliquid exprimendi.

Impressiones illæ nihil aliud sunt quam specificationes quædam sensuum externorum, quos entia corporea in nobis producunt, et de quibus supra actum est. Cum enim, propter leges unionis animæ cum corpore, anima, nec in entia creata a seipsa distincta agere, nec illorum actionem recipere possit, nisi mediante corpore, exinde sequitur naturam corpoream esse intermedium necessarium commercii inter intelligentias humanas. — En igitur modus quo animæ humanæ suas cogitationes ad alteram animam transmittere conceditur. Primum quidem anima, quæ talem communicationem intendit, organismo cui conjungitur motus quosdam imprimit. Motus illi causa sunt cur in aliis animabus producantur impressiones sensibiles non ejusdem prorsus naturæ ac illæ quæ ab objec-

tis mere physicis recipiuntur. Harum tandem impressionum ope, quasi per vehiculum quoddam, inter animas intellectuale commercium instituitur.

Observandum est tamen omnes impressiones sensibiles supra enumeratas ad illud commercium non inservire; tres enim tantum, impressiones nempe *visuales*, *auditivæ*, et extraordinarie, aliisque deficientibus, *tactiles*, ad id utiles sunt +

172. Notio sermonis in genere. — Impressiones animæ nostræ ex actione entium intellectualium obvenientes, [Sicut modo dictum] generica *sermonis* (*langage*) appellatione designantur. Plurimas autem induunt formas, quæ tot sermonis species constituunt. Harum expositionem hic afferamus necesse est.

173. Prima sermonis forma, gestus. — Prima sermonis forma est *gestus*. Per hunc intelligimus quoscumque motus voluntarios corporis, per visum apprehensibiles, ut agitationes brachiorum aut capitis, mutationes vultus, oculorum nictationes, etc... Experientia constat hos motus talem proprietatem habere, ut, natura duce, et ante omnem conventionem, in intuentium animos ideam distinctam producant affectionum et cogitationum, quas homo, hujusmodi motus adhibens, vult in aliis hominibus excitare. Sic, v. g., supponamus aliquem hominem ante alterius oculos, ad quoddam objectum indicem admovere, adjunctis simul nonnullis oculorum, vultus, capitis expressionibus; quisquis hunc gestum perspexerit statim intelliget intentionem adhibentis esse ipsius cogitationem in objectum ab indice designatum advocare.

174. Secunda sermonis forma, loquela. — Secunda forma sermonis est *loquela*. Consistit essentialiter *in quibusdam signis sensibilibus ab ente intelligenti adhibitis, objectaque cogitationis, vi conventionis arbitrariæ, exprimentibus*.

Hinc videtur quomodo loquela differat a gestu. Dum enim hic instinctive et natura duce res exprimit; illa nonnisi arbitrario idem efficit, et solummodo vi conventionis antea factæ. Sic sensibile *Deus* arbitrario exprimit ens infinitum.

+ odor et gustus ad præfatum sermonem inservire non possunt. Etiam animadvertendum est necessarium non esse ad sermonem constituendum ut cæteri sensus per præsentiam objecti externi nunc in animam agant. Satis est enim si imaginationis ope illos sibi anima repræsentet.

Sensibilia in loquela adhibita sunt ordinarie *voces*, id est, *soni articulati ore prolati*. — Quid sit *sonus* jam explicavimus (n. 157). Quando ex entis viventis pectore emittitur, dicitur *clamor* aut *vox*, prout nullam aut aliquam ex parte organorum oris, linguæ scilicet, dentium, labiorum, etc. modificationem subit. Hæc modificatio, quæ requiritur ad *vocem* constituendam, illud est quod *articulatio* nuncupatur. Exinde nascuntur sonorum varietates quæ *vocales* et *consonantes* audire solent. (1)

Dixi voces esse sensibilia in loquela *ordinarie* adhibita. Nam extraordinarie evenire potest objecta idealia arbitrario exprimi aliorum sensibilium ope. Sic, pro surdis-mutis, vocis defectum supplent manualia signa. Hæc signa a *gestibus* proprie dictis sedulo distingui debent. Ab his enim in eo differunt quod nihil per se, sed tantum, vi conventionis, exprimant.

175. NOTIO LINGUÆ SEU IDIOMATIS. — Ex hac nostra loquelæ definitione deducere possumus notionem *linguæ* seu *idiomatis*. Sic nuncupatur *systema quoddam signorum arbitrariorum ab aliqua hominum societate, ad exprimenda cogitationum suarum objecta, adhibitorum*. — Dixi 1° *systema*,+ id est, complexio signorum quæ sufficiens existat ut varia objecta ad quæ terminatur cogitatio humana valeat exprimere. — Dixi 2° *ab aliqua hominum societate adhibitorum*. Ita enim vulgo lingua intelligitur. Si tamen supponeretur unum individuum aliquod systema signorum excogitare, ut suas sibimet-ipsi ideas exprimat, nil absolute obstaret quin systema illud vocaretur *lingua*.

176. TERTIA SERMONIS FORMA, SCRIPTURA. — Postrema sermonis forma est *scriptura*, quæ definiri potest : *Ars exprimendi idearum objecta characterum permanentium ope*. —

(1) De his loquelæ elementis, utiliter adiri poterit opus P. Kersten, cui titulus : *Essai sur l'activité du principe pensant*, etc., 2° partie.

+ Necesse est ut lingua adsit, ut signa sint ejusdem naturæ, nempe vel omnia ad aures, vel omnia ad oculos, vel etiam omnia ad manus pertinentia.

Hinc nonnisi ad duos sensus pertinet : ad *visum* nempe et ad *tactum*.

Quodnam sit essentiale discrimen quo hæc sermonis forma ab aliis secernitur, ex hac definitione facile determinatur. Dum nempe duæ priores actionem præsentem ex parte entis intelligentis exigunt ; scriptura, eo ipso quod sensibile quo constituitur sit permanens, exprimere pergit, etiam actione per quam producta fuit, amplius non existente.

176. Scripturæ species enumerantur. — Signa, quæ in scriptura adhibentur, triplicis potissimum generis esse possunt. Nempe 1° quandoque nihil aliud sunt quam repræsentatio, picturæ ope expressa, gestuum naturaliter expressivorum, quæ primam sermonis formam constituunt. Tunc scriptura dicitur *hieroglyphica*. — 2° Potest etiam consistere in quibusdam characteribus, quorum unusquisque arbitrario designat aliquam articulationem elementitiam vocis humanæ; ita ut, illorum characterum combinationibus diversis, diversæ articulationum combinationes, proindeque singulæ voces, quæ linguas humanas constituunt, possint exprimi. Hæc scripturæ species dicitur *phonetica* seu *alphabetica*. — 3° Iterum fieri potest ut scriptura componatur signis quæ nullam relationem sive cum gestu, sive cum loquela habeant, sed quæ per se et arbitrario idearum objecta exprimant. Talis est scriptura *ideographica*, cujus exemplum habemus in scriptura Sinensium. Verisimile est tamen scripturam hanc, quæ nunc omnino ideographica est, primitus objecta signis naturalibus expressisse, sicque hieroglyphicam tunc fuisse.

II° *De effectu influxus entium intellectu præditorum in invicem, relative ad cogitationem distincte exercendam.*

177. Influxus entium intellectualium aliquos effectus habet, relative ad cogitationum distinctarum pro-

DUCTIONEM. — Primum quidem omnino constat varios influxus quos in nos exercent entia intellectualia ad distinctæ cogitationis productionem nos plurimum adjuvare. Nullus enim nostrum est, quem conscientia fateri non cogat se plurimas, imo innumeras acquisivisse et quotidie acquirere cognitiones distinctas, ex parentum et magistrorum documentis, ex conversatione et commercio cum aliis hominibus, ex lectione librorum, etc... Certissimum est igitur influxum entium intellectualium, relative ad cogitationum distinctarum acquisitionem aliquem effectum habere.

178. EFFECTUS VARII EJUSDEM INFLUXUS, RELATIVE AD COGITATIONEM, ENUMERANTUR. — Hoc supposito, determinandum nunc venit in quo præcise consistat actio hæc quam intelligentiæ humanæ, sermonis ope, in invicem exercent, et quomodo signa sensibilia sermonis constitutiva ad cogitationes distinctas producendas vim et efficaciam ut talia habeant.

Porro, si ad experientiam quam solam hic ducem sequi possumus, recurrere velimus, circa gradum cogitationis distinctæ quo anima nostra, sermonis ope instituta, capax invenitur, hæc nobis constabunt.

1° Per hanc viam, in apprehensione rerum corporearum, secernere possumus ab invicem elementum mere intelligibile et elementa sensibilia quæ mentem nostram simul afficiunt; sicque ad notiones puras et generales hujusmodi rerum assurgere. Sic, v. g., illius ope vocis *arbor*, concipio realitatem quæ a tali vel tali individuo distingui debet; quæ nempe est aliquid generale seu innumeris individuis commune.

2° Eodem modo a nobis distincte apprehenduntur, res quas supra *incorporeas* nuncupavimus, id est, quarum conceptus ex natura sua nulli sensui adjungitur, ut v. g. *Deus*, *substantia*, *causa*, etc... Res enim quarum ideam distinctam illæ voces nobis suppeditant, nihil utique sensibilis in suo conceptu adjunctum habent.

3° Tandem, sermonis ope, in eadem realitate intelligibili,

plures, per abstractionem, respectus detegere et a se invicem discernere possumus, quorum unusquisque conceptui distincto dat originem. Sic, v. g., in realitate intelligibili *triangulum*, voces *angulus, linea, superficies*, tot realitatum distinctarum mihi conceptum item distinctum exhibent.

Hinc videtur elementa sensibilia, quæ sermonem constituunt, hanc proprietatem habere, ut in intelligibile purum cogitationem dirigant, illud ab elementis alienis per abstractionem segregando.

179. Quomodo præfatos effectus sermo producat, expenditur. — Quomodo sermo hoc efficere possit, cur nempe impressiones sensibiles, quando ab actione voluntaria entium intellectualium nobis obveniunt, talem habeant effectum, nunc tandem expendere deberemus. De hoc autem phænomeno idem dici debet quod supra diximus de vi expressiva impressionum sensibilium in genere, nullam scilicet rationem illius afferri posse, præter voluntatem divinam rem ita generali lege statuentem. Nimirum, vi istius legis, quemadmodum percepto colore, objecti extensi statim ideam habemus; ita et perceptis *gestibus, nutu, voce*, etc... alicujus hominis, vis cogitans nobis inhærens statim excitatur et ad conceptum distinctum objecti intelligibilis, quod ille nobis significare intendit, naturaliter deducimur. Non existimamus alteram istius facti explicationem afferri posse; ultroque fatemur unum e præcipuis vitæ psychologicæ mysteriis hic esse agnoscendum.x

III° *De Necessitate influxus entium intellectu præditorum ad distinctæ cogitationis exercitium.*

180. Quæstio solvenda generaliori modo proponitur. — Objecta physica conceptibus distinctis a nobis apprehendi posse sensationum ex entibus illis provenientium ope, supra

x hic igitur nobis dicere sufficiat ideam intellectualem alicui signo sensibili sermonis ipsi annexa, in ipso quasi corpus assumere, et ut aiunt quidam incarnari, adeo ut mens cogitando signum in ipso quasi in speculo quasi contemplari.

ostendimus. Igitur, relative ad hæc objecta, dari potest distinctæ cogitationis exercitium, absque ullo influxu entium intellectualium, proindeque absque ullo sermonis usu.

Hic itaque agitur tantum de rebus abstractis mereque intelligibilibus. Jam nempe compertum habemus commercium quod, sermone mediante, cum entibus intelligentibus habemus, in nobis determinare cogitationes distinctas hujusmodi rerum (n. 178). Insuper autem inquiri potest, utrum commercium cum entibus intelligentibus ad has cogitationes habendas sit prorsus necessarium ; adeo ut, tali commercio deficiente, res mere intelligibiles distincte pureque concipere nequaquam possemus.

181. Triplex respectus in hac quæstione distinguendus. — Hæc quæstio, quam in recentioribus præsertim temporibus expenderunt auctores, in sensibus plane diversis ab iis solutionem accepit. Ut autem accurate tractetur, triplex respectus, circa quem præcipue movetur controversia, in ea nobis videtur distinguendus, seorsimque tractandus. Examinandum est nempe : 1° utrum notio distincta intelligibilis puri absque signo arbitrario, seu absque loquela, a mente nostra haberi possit ; 2° utrum mens nostra signum istud intelligibili distincte concipiendo ex seipsa applicare possit, an ad id excitatione quadam speciali ab extra proveniente indigeat ; 3° utrum excitatio illa specialis aliud esse possit quam influxus entium intellectualium, de quo agitur in præsenti Paragrapho.

Utrum notio distincta intelligibilis puri absque loquela haberi possit ?

182. Controversia exponitur. — Huic quæstioni negative respondent quotquot necessitatem signi sensibilis ad distincte cogitandum absolute negant. Illi etiam qui hanc neces- affirmative

sitatem propugnant, non tamen omnino inter se circa præsentem quæstionem concordare videntur. Triplicem præcipuam solutionem notare debemus. — 1° Juxta quosdam, signa mere naturalia ad quemlibet conceptum distincte habendum plane sufficiunt; nec ideo loquelam ad cogitandi facultatem quocumque modo exercendam ullatenus requirunt. — 2° Alii loquelam quidem exigunt ut distincte concipiantur res supra-sensibiles, ut *Deus*, *causa in genere*, etc... minime vero ut conceptus purus habeatur rerum sensibilium, quæ nempe naturaliter sensibile quoddam adjunctum habent, ut sunt, v. g., *figuræ geometricæ*. — 3° Demum plurimi existimant nullum, sine loquela, conceptum distinctum rerum mere intelligibilium cujuscumque sint naturæ, sive nempe sint sensibiles, sive sint supra-sensibiles, haberi posse. — Cum his postremis, sit

183. Thesis. — *Intelligibile purum absque signo arbitrario seu loquela distincte ab anima cogitari nequit.*

Prob. — Ante omnia probatum supponimus, quod reipsa supra probavimus, nullam nempe cognitionem distinctam, nisi alicujus sensibilis ope, a nobis obtineri posse. Hoc supposito, ad demonstrandam thesim, sic argumentari datur :

Sensibile, quo uti debemus in apprehensione distincta intelligibilis puri, talis naturæ esse debet, ut, in hac apprehensione, intelligibile a sensibili expresse separemus, aut saltem utriusque separabilitatem expresse concipiamus. Atqui, solum sensibile arbitrarium hanc conditionem adimplere potest. Ergo...

Probatur major. — Per intelligibile purum intelligitur realitas objectiva, quæ terminat intellectum nostrum, a quolibet sensibili elemento separatum, id est, prout in se existit. Distincte apprehendi dicitur quando mens distincte cognoscit illius separabilitatem a quolibet sensibili. Exinde autem manifeste sequitur quod si sensibile, quo tanquam cogitationis expressione utimur, talis naturæ non sit, ut distinctionem illius ab objecto cogitato expresse apprehendamus, intelligibilis puri notionem distinctam assequi non poterimus.

Probatur minor. — Duo statuenda sunt, nempe : 1° sensibile arbitrarium adimplere conditionem quam major exigit ; 2° illud solum conditionem hanc adimplere.

Hæc autem duo facile constant.

Prius quidem. — Quando enim, sensibilis arbitrarii ope, mens objectum concipit, necesse est ut sensibile istud præcise tanquam arbitrarium adhibeatur ; alioquin naturaliter rem exprimeret, quod est contra hypothesim. Cum autem sensibile arbitrarium in eo præcise sit arbitrarium, quod nullum objectum potiusquam aliud per se menti exhibeat, sed ad quælibet objecta exprimenda indifferens existat, non potest igitur ut arbitrarium a mente adhiberi, quin illud mens advertat. Porro, mens advertere non potest indifferentiam signi quo utitur ad hoc vel illud objectum exprimendum, quin eo ipso concipiat possibilitatem objectum, de quo nunc cogitat, alterius signi ope concipiendi, quin proinde utriusque elementi separabilitatem perfecte concipiat. Ergo, sensibile arbitrarium conditioni quam exigit major, plane satisfacit. Ergo, prius constat.

Posterius quoque. — Nimirum, præter sensibilia arbitraria, non dantur nisi sensibilia quæ objecta cogitationis naturaliter exprimunt. Hæc autem sensibilia conditionem, de qua agitur, non adimplent.

Etenim, eo ipso quod sensibile naturaliter exprimat, in primo illius usu, separatio ejusdem ab intelligibili non efficitur, proindeque necesse est ut mens primum hoc utrumque elementum synthetice et quasi confuse apprehendat. Hoc autem posito, quandiu aliud sensibile non habebit, illa distincte concipere nunquam poterit. Actus enim quo illud efficeret, consisteret in apprehensione distincta tum sensibilis, tum postea intelligibilis a sensibili separati. In hac autem posteriori apprehensione, vel menti suppetit novum sensibile quo ipsi intelligibile exprimatur, vel non. Si prius, sensibile illud necessario arbitrarium erit, sicque causam habemus. Si posterius,

ergo intelligibile absque ullo sensibili potest distincte cogitari; quod admitti non posse supra probavimus, et in præsenti supponimus. Ergo, etc...

Eadem thesis confirmari potest exemplo hominum qui, quacumque de causa, loquelam ediscere non potuerunt. Hi enim, quandiu in hac ignorantia versati sunt, rerum pure intelligibilium, ut puta *Dei, animæ*, etc... ideas distinctas non habuerunt. Illud constat 1° pro quibusdam hominibus qui, propter peculiares circumstantias, a teneris annis e societate fuerunt segregati, nec ideo ab aliis hominibus sermonem didicerunt : 2° pro surdis-mutis, qui et ipsi educationis beneficio ideoque sermonis usu carent, donec fuerint novarum methodorum ope instituti (Cf. Ubaghs, *Log.*, n. 344 et seqq.). — Non dissimulandum tamen nonnulla afferri exempla surdorum-mutorum qui pluribus ideis metaphysicis et moralibus instructi inventi sunt, vel antequam educarentur. At, licet hæc exempla, de quorum veritate certiores effici non potuimus, admitteremus, nihil exinde thesi nostræ detraheretur. Etenim, surdi-muti, de quibus agitur, inter homines vixerunt ; et cum iis aliquod commercium habuerunt; omnino igitur impossibile non est quod loquelæ cujusdam imperfectæ rudimenta nonnulla habuerint, sicque ad distinctam intelligibilis cognitionem in aliquo gradu pervenerint.

184. Corollarium. — Hinc, absque loquela, idea distincta haberi non potest non solum rerum supra sensibilium, ut Dei, boni et mali moralis, sed rerum etiam sensibilium in eorum intelligibilitate pura spectatarum. Talis est, v., g. idea distincta figurarum geometricarum et extensionis in genere. Probationes enim allatæ non ad priorum tantum, sed etiam ad posteriorum conceptum extenduntur.

✕ *Utrum mens nostra loquelam ex seipsa possit invenire?*

185. Controversiæ punctum exponitur. — Admissa necessitate loquelæ ad conceptus distinctos rerum intelligibi-

lium habendos, inquirendum venit undenam hujusmodi cogitationis instrumentum mens desumat. Expendendum nempe utrum mens signis arbitrariis, proindeque notionibus distinctis intelligibilis puri, adhuc orbata, talia signa ex seipsa invenire possit, variaque sensibilia quibus afficitur, variis exprimendis objectis arbitrario applicando, ad notionem puram horum objectorum vi propria assurgere : an econtra excitatione speciali ab extra proveniente ad id indigeat.

Hæc quæstio celebri nostris temporibus controversiæ originem dedit, triplicique in sensu potissimum solvitur.

186. Opinio Condillaci. — Alii, inter quos in primis citatur Condillacus, loquelam a variis inventionibus, quæ libero exercitio industriæ humanæ debentur, non distinguunt. Impossibile igitur non existimant quod mens loquela privata, ad eam propriis conatibus assurgat. Imo, non altera via loquelam in humana societate introductam fuisse, asseverari non reverentur, saltem nonnulli hujus sententiæ patroni.

187. Opinio pantheistarum. — Pantheistæ, qui suam doctrinam mentis humanæ evolutioni applicare voluerunt, admiserunt quoque, saltem pro primo homine, non tantum possibile, sed etiam absolute necessarium fuisse quod loquelam ex seipso adinvenerit. Hunc autem effectum non liberæ illius voluntati, sed necessitati naturæ humanæ inhærenti tribuunt. Quemadmodum enim homo per evolutiones successivas et æque necessarias, ex minerali planta, ex planta brutum pecus, ex bruto pecore homo effectus est ; ita, ex homine muto, homo loquens subito devenit. Instans autem quo loqui incœpit, idem esse debuit ac ille quo distincte incœpit cogitare; hæc enim duo inter se essentialem connexionem habere videntur. Hæc quidem de primo homine pantheistæ tenent ; quoad autem homines ex ipso procreatos, utrum eadem prærogativa illi competat clare non docent.

188. Opinio D. de Bonald. — Tandem, opinio hodie a pluribus propugnata, tenet post D. de Bonald, omnino impos-

sibile esse intelligentiæ humanæ loquela adhuc orbatæ, ad illam inveniendam, quocumque modo assurgere. Unde concludit nullum hominem loqui posse, nisi aliud ens loquens audierit.

Cum his postremis sit

189. THESIS. — *Homo, nec per proprios conatus, nec per necessitatem suæ naturæ, sed tantum per auxilium sibi extrinsecum, ad loquelæ usum devenire potest.*

Probatur prima pars, nempe : *hominem, per proprios conatus, ad usum loquelæ devenire non posse.*

Ut enim signis arbitrariis, quæ, ut diximus, loquelam constituunt, homo uti incipiat, necesse est ut a sensibilibus naturalibus, intelligibilia elementa primum idealiter separet. Atqui, hæc separatio, quandiu non jam suppetunt signa arbitraria, omnino impossibilis est, prout in præcedentis quæstionis solutione ostendimus. Ergo, etc.

Probatur secunda pars, nempe : *hominem, per naturæ suæ necessitatem, ad loquelam devenire non posse.*

Etenim, homo, teste experientia, et ipsis pantheistis fatentibus, nec semper, nec proinde essentialiter loquitur. Atqui, quod in aliquo ente ex illius naturæ necessitate provenit, et semper, et essentialiter, in ipso inveniri debet. Ergo, etc...

Probatur tertia pars, nempe : *hominem nonnisi per auxilium sibi extrinsecum ad loquelam devenire posse.*

Cum enim, ex demonstratis, loquelæ usus, nec ex necessitate naturæ hominis essentialiter defluat, nec in sola activitatis animæ evolutione causam sufficientem inveniat, exinde sequitur hominem sibi derelictum ad loquelam pervenire non posse. Posito igitur quod ad illam unquam perveniat, auxilio sibi extrinseco, cujuscumque sit naturæ, ad id indigebit.

Undenam loquelæ usus nobis obveniat ?

190. QUÆSTIONIS STATUS EXPONITUR. — Ex solutionibus modo allatis jam nobis constat, 1° nullum rei cujuslibet intelli-

gibilis conceptum distinctum sine loquela haberi posse; 2° loquelæ adinventionem menti nostræ tribui non debere, proindeque influxum externum exigere. Restat examinandum utrum influxus ille nonnisi ab entibus intelligentia præditis provenire possit.

191. QUÆSTIONIS RESOLUTIO. — Hæc quæstio nonnisi empirice et a posteriori a nobis solvi potest.

Vera autem causa, quæ nobis usum loquendi concedit, est Deus qui, uti jam toties diximus, solus in nobis efficaciter influere potest. Porro, Deus potest, ad hunc effectum producendum, talem vel talem occasionem adhibere pro suo libito. Nonnisi igitur experientiæ ope cognoscere possumus, quanam conditione externa posita, Deus locutionis usum nobis concedere decreverit.

Nunc vero, occasionem hanc in influxu cæterorum hominum consistere extra dubium est. Illudque ex hoc solo facto facile deducitur quod nullus unquam homo facultate loquendi præditus inventus fuit, nisi ab aliis hominibus loqui didicerit.

Commercium igitur cum cæteris hominibus absolute requiritur, ut distincta cognitione intelligibilis puri mens nostra instruatur. Ex dictis enim, commercium istud necessarium nobis est ad loquendum; et, sine locutione, cognitio de qua agitur, est nobis impossibilis.

192. SCHOLIUM PRIMUM. — Triplex est modus quo homines inter se commercium intellectuale instituere possunt: *gestus* scilicet, *loquela* et *scriptura* (n. 173 et seqq.). Porro, ex his tribus mediis, duo posteriora, cum nonnisi inter homines jam locutionis usu præditos adhiberi possint, non sunt medium a natura institutum, ut ad cogitationis distinctæ exercitium prima vice deveniamus. Hoc igitur medium in solo gestu est reponendum. Signa enim quæ hanc sermonis formam constituunt, talem habent efficaciam, ut attentio mentis per illa quasi expergefacta, signi arbitrarii, quod statim illi profertur, sensum intelligat. Hinc effectus illorum signorum non est

proprie distinctas intelligibilis puri notiones nobis suppeditare; imo ad illud, utpote naturalia, insufficientia forent. Ad id autem tantum inserviunt, ut per excitationem specialem quam in mente nostra producunt, ad loquelam ediscendam nos præparent (1).

193. Scholium secundum. — Ex solutionibus superius datis nova nascitur quæstio, quomodo scilicet primus homo loqui et ad perfectum cogitationis usum pervenire potuerit. De hac quæstione, utpote ad scopum nostrum nonnisi accessorie conducente, pauca tantum hic dicemus.

Quænam sint circa illam opiniones tum pantheistarum, tum eorum qui sermonem inventionibus humanis assimilant, jam compertum habemus. Quoad eos qui hominem absque excitatione externa loqui non posse nobiscum sentiunt, cum hæc excitatio pro primo homine in institutione sociali reponi non possit, admittunt auxilium Dei extraordinarium, quo adjutus homo, et loquendi et distincte cogitandi facultate donatus est.

Aliam reipsa hypothesim fieri non posse, ideoque hanc admittendam esse ex dictis facile constat. Eo magis illi adhærere debemus quod speculationes philosophicæ testimonio monumentorum historicorum, et in primis Sacrarum Scripturarum, hoc circa punctum confirmantur.

Nunc autem admisso quod Deus primum hominem edocuerit, plurima iterum controversiæ objecta discutienda occurrunt. Nimirum, quæri potest 1° utrum Deus creaverit primum ho-

(1) Quæ hic dicimus de modo quo ad plenum cogitationis exercitium per aliorum hominum institutionem devenimus, confirmari possunt per methodos in institutione surdorum-mutorum adhibitas; hæ enim nihil aliud esse possunt quam applicatio reflexa et ratiocinata variorum mediorum quæ in instituendis infantibus a matribus et gerulis, quasi instinctive adhibentur. Porro, methodi illæ in eo præcise consistunt quod dum, ex una parte, surdorum-mutorum attentio per signa naturalia, v. g., indicationem rerum sensibilium, repræsentationes sensibiles, etc., vivide excitetur, statim illis suppeditetur signum arbitrario determinatum, cui ideam objecti repræsentati annectere possint. Id est, signorum ope naturalium locutionem ediscunt, ut postea locutionis ope distincte cogitent.

minem loquentem, an vero ipsi jam creato loquelam infuderit. Quæri potest 2° quisnam esse debuerit, in hac posteriori hypothesi, modus quo Deus hominem instituit : utrum nempe subito et per illuminationem internam, utrum vero successive et per externa documenta, ad instar magistri puerum erudientis Demum quæri potest 3° utrum primi hominis lingua, quæcumque fuerint, sive tempus, sive modus quibus illam didicit, fuerit completa et perfecta, an rudimentaria tantum, iisque solummodo signis donata sine quibus homo ad perfectum cogitationis exercitium ex seipso assurgere non potuisset.

Hæ quæstiones in diversis sensibus ab auctoribus resolvuntur; ab his autem discutiendis, propter rationem modo allatam, abstinebimus.

ARTICULUS TERTIUS.

De Conditione Psychologica evolutionis animæ, seu, de Attentione.

194. ATTENTIONIS DEFINITIO. — Conditiones evolutionis animæ hucusque enumeratæ, hanc quidem præparant, non autem immediate producunt. Non enim sufficit, ut mens evolvatur, quod ipsius organismus sit informatus, quod illo mediante, diversos ab entibus exterioribus influxus experiatur; requiritur insuper ut, harum ope excitationum, anima suam activitatem exerens, varia cogitationis elementa ab invicem separet, distincteque consideret.

Nova hæc evolutionis animæ conditio quam *psychologicam*, eo quod in ipsamet anima tota invenitur, nuncupamus, est *attentio*.

Attentio itaque definiri potest : *Conatus animæ, in aliquod objectum aciem dirigentis, ut perfectiorem illius cognitionem acquirat.*

Hæc definitio, metaphora ducta ab oculis corporeis, apte

exprimit quisnam sit animæ status dum ad aliquid attendit. Quemadmodum enim, quando objectum extra nos positum volumus conspicere, oculos a quibuscumque aliis retrahimus, ut hos in illud unice infigamus; ita et mens, quando ad aliquid vult attendere, omnes vires suas quasi colligit, aliorumque oblita, in objecti attendendi consideratione tota occupatur.

195. ANALYSIS, ABSTRACTIO ET SYNTHESIS, ATTENTIONIS INSTRUMENTA. — Hinc sequitur in attentione essentialiter includi tres operationes, quæ ut illius instrumenta haberi debent, nempe, *analysis*, *abstractio* et *synthesis*.

Analysis seu *divisio* consistit in distributione objecti complexi in suas partes. — *Abstractio* inter partes per analysim distinctas, unam aut alteram separat ab aliis, ut illius naturam facilius expendat. — Demum, *synthesis*, post examen peculiare singularum partium, illas ad totius primitivi unitatem reducit.

Triplici hac operatione attentionem, prout in nobis exercetur, constitui, facile constat.

Etenim cognitio alicujus objecti requirit ut varia elementa objectum istud constituentia cognoscantur; repugnat enim quod natura rei per aliud menti innotescat quam per illud quo constituitur. Porro, experientia teste, talis est lex mentis nostræ in statu præsenti, ut varia elementa alicujus objecti constitutiva nonnisi seorsim, et illa successive examinando, cognoscere possit. Hinc necessitas objectum de quo agitur primum *analysi* subjiciendi; postea vero ipsius partes per *abstractionem* seorsim considerandi. At non expenduntur hæc elementa, nisi ut totum ex iis coalescens melius cognoscatur; hinc necessitas totum primitivum, *synthesis* ope, demum restituendi.

196. ATTENTIO EVOLUTIONIS ANIMÆ CAUSA IMMEDIATA. — Hæc attentionis notio satis ostendit causam immediatam evolutionis animæ merito in ea reponi.

Ex dictis enim hæc evolutio consistit in eo quod elementa

varia, quæ in actu primitivo cogitationis includuntur, cum sua distinctione animæ manifestentur. Hoc autem per attentionem præcise efficitur. — Hinc non defuerunt qui ingeniorum discrimen ex gradu attentionis, cujus unusquisque capax invenitur, unice desumerent. Reipsa, omnes homines, eo ipso quod eamdem essentiam specificam possideant, easdem veritates cognoscere debent in actu intuitionis primitivæ, nec ideo inter se discrepant, relative ad intelligentiam, nisi quatenus cognitionum distinctarum numerus idem in omnibus non invenitur. Porro, cognitiones illæ ab attentione omnino pendent. « S'il » est quelque chose, ait Reid, qu'on puisse appeler génie » dans les matières de jugement ou de raisonnement, ce doit » être le pouvoir de donner à un objet cette attention vigou- » reuse qui le fixe fortement sous les regards de l'esprit, » jusqu'à ce qu'il ait été examiné sous toutes ses faces. (*Essais » sur les facultés de l'Esprit humain.* Essai 2, ch. 3.) »

197. ATTENTIONIS DOTES. — Cum attentio sit causa immediata evolutionis animæ, eo ipso haberi debet ut medium universale scientiam acquirendi; ac proinde eo magis in hujus acquisitione proficiemus, quo melius illa uti noverimus. Ut porro vere utile sit attentionis exercitium, triplici dote præcipua insigniri debet, *unitate*, scilicet, *rectitudine* et *constantia*. — 1° *Unitas* attentionis consistit in eo quod plura objecta simul non habeat, sed unum post alterum expendat. Hujus dotis necessitatem docet experientia; hicque, uti jam notavimus, agnoscenda est lex menti nostræ, in illius statu præsenti, imposita. Hinc conditio essentialis cujuslibet cognitionis distinctæ in hac vita, est ut per abstractionem obtineatur. — 2° *Rectitudo* attentionis exigit ut quando alicujus objecti investigationi, attentionis ope, incumbimus, in alia objecta nobis ipsius occasione occurrentia animum non deflectamus; sed, accidentalibus circumstantiis prætermissis, punctum expendendum unice consideremus. Hujusmodi qualitatis defectus vim attentionis minueret; tunc enim a consideratione sui objecti mens

perpetuo distraheretur, nec sic cognitionem illius accuratam acquirere posset. — 3° *Constantiam* demum attentio habere debet; id est, non sufficit ut leviter et perfunctorie objectum examinetur; sed requiritur ut multa cum patientia et diutius mens varios illius respectus scrutetur et interroget. Hac dote deficiente, quilibet progressus in scientiis impossibiles redduntur : multos enim conatus exigit veritatis inquisitio, nec unquam præsentiæ illius lumine plene illustrabitur mens quæ difficultates occurrentes improbo labore vincere nesciverit.

CAPUT SECUNDUM.

De Operationibus animæ in phasi evolutionis constitutæ.

198. Objectum et divisio capitis. — Statim ac attentione accedente, diversa elementa objecti idealis distincta fiunt, abstracteque ab anima apprehendi incipiunt, necesse est ut factum primitivum cogitationis, licet quoad essentiam idem remanens, varias subeat in suo exercitio modificationes. Synthesi videlicet indistinctæ hujus facti plurimæ succedunt operationes distinctæ, quæ necessario tot esse debent, quot, in cogitationis objecto, respectus varii ab anima secernuntur.

Operationes illæ iterum spectari possunt 1° in earum *objecto*, 2° in variis *modis* quibus producuntur, 3° in diversis *statibus* in quibus, illas eliciendo, anima constitui potest.

ARTICULUS PRIMUS.

De Operationibus animæ in phasi evolutionis constitutæ, relative ad earum objecta consideratis.

Sub hoc respectu consideratæ, operationes, de quibus agitur, generaliori modo dividi possunt in *operationes cognos-*

citivas, seu *judicia*; et *operationes affectivas*, seu *amorem* et *odium*.

§ 1. *De Operationibus cognoscitivis, seu de Judiciis.*

I° *De Operationum cognoscitivarum, seu judiciorum, natura.*

199. Judicii notio generalior. — *Operationis cognoscitivæ* seu *Judicii* nomine designamus *Cogitationem, quatenus terminatur ad objectum, sub præcisione veri consideratum.*

Scilicet, in primo instanti quo cogitationis actus producitur, objectum quod essentialiter illum terminat, prorsus indistincte, id est, nec præcise tanquam verum, nec præcise tanquam bonum apprehenditur. Statim ac autem evolutio animæ, positis conditionibus modo enuntiatis, perfici incipit, jam varios respectus sub quibus objectum apprehensibile est plus minusve discernit. Tunc objectum istud ipsi primum apparet tanquam aliquid intelligibile seu verum, id est, tanquam quidditas quædam, tali vel tali modo existens, pluribusque proprietatibus a se invicem distinguibilibus insignita.

Porro, actus mentis, quatenus sub hac præcisione attingit objectum suum, dicitur *cognitio* seu *judicium.*

200. Judicium tum perceptionis, tum sensibilitatis, tum activitatis exercitium includit. — Exinde sequitur operationem, de qua nunc agitur, nec ad perceptionem, nec ad activitatem, nec ad sensum, quæ sunt elementa cogitationis essentialiter constitutiva, exclusive referri debere. In qualibet enim cognitione, prout nunc illam intelligimus, id est, pro actu reali et completo mentis sumpta, triplex illa facultas simul exercetur.

201. Utrum judicium et cognitio distingui debeant? — Hæc observatio ostendit quid sentire debeamus de distinctione quæ a pluribus instituitur inter *cognitionem* et *judicium*, juxta quam prior meram objecti intellectualem appre-

hensionem, posterius vero objecto apprehenso adhæsionem exprimeret.

Si enim auctores, qui hujusmodi distinctionem afferunt, ita illam intelligant, ut cognitionem et judicium habeant tanquam duas operationes separabiles, quas nempe independenter ab invicem possimus producere, cum ipsis sentire non possumus, eo quod impossibile nobis videatur quod mens aliquid apprehendat, quin simul, et in ipso apprehensionis actu, rei apprehensæ per judicium non adhæreat. Si autem eamdem distinctionem in eo sensu intelligant, quod cognitio et judicium non sint nisi duo elementa ejusdem operationis completæ, tunc a nobis nonnisi per modum loquendi discrepant.

202. Duplex controversia exponitur. — Diversus ille modus voces *cognitio* et *judicium* definiendi, prout nempe vel pro una operatione, vel pro duplici respectu ejusdem operationis, vel demum pro duabus operationibus distinctis sumuntur, originem dedit duplici controversiæ inter auctores agitatæ, cui magis accurata utriusque vocis definitio finem, nostro saltem judicio, imposuisset.

Expendunt scilicet auctores : 1° utrum in actu cognitionis mens sit passiva an activa ; huicque quæstioni tripliciter respondetur, aliis pro passivitate stantibus, aliis pro activitate, aliis vero agnoscentibus duplicem cognitionem, passivam scilicet et activam.

Expendunt 2° utrum judicium ad intellectum, an vero ad activitatem tanquam ad facultatem productricem debeat referri; iterumque pro una aut altera parte philosophi acriter propugnant.

203. Utraque controversia resolvitur. — De duplici hac controversia hæc nobis statuenda videntur.

1° Inter illos tantum existere potest qui cognitionem et judicium ab invicem distinguunt ; qui enim per has voces unam eamdemque operationem nobiscum exprimunt, evidenter in hac operatione admittere debent quidquid ad actum

mentis realem essentialiter pertinet, proindeque *perceptionem*, *activitatem* et *sensum*.

2° Quoad illos qui non in eodem sensu duas hujusmodi voces intelligunt, modo ostendimus eorum opinionem propugnari non posse, nisi in eo sensu quod præfatæ voces duplicem respectum ejusdem operationis indivisibilis abstracte sumptum exprimerent, *perceptionem* nempe objecti, *adhæsionem*que illi a mente præstitam. Porro, si res ita intelligantur, controversiæ locus jam esse non potest : evidens est enim, ex una parte, perceptionem abstracte sumptam, esse quid passivum, cum in ea aliquid ab extra anima recipiat ; non minus quoque, ex altera parte, evidens est adhæsionem mentis aliquid activum et spontaneum per se dicere, cum in ea mens ad aliquid ex seipsa seseque determinando producat.

204. Judicii elementa enumerantur. — In quolibet judicio duo distinguenda veniunt : 1° *notiones* quæ illius quasi materiam constituunt ; 2° *affirmatio mentalis* qua de notionibus a seipsa apprehensis mens aliquid enuntiat. De hoc duplici judicii elemento seorsim dicendum.

205. Notionis definitio. — Notionis nomine intelligimus *Apprehensionem distinctam cujuslibet notæ objecti cogitationis constitutivæ et ab eo, sensibilis ope signi, mentaliter abstractæ.* — Singulæ hujus definitionis voces explicatione indigent.

Dixi 1° *apprehensio*. Mens aliquid apprehendere dicitur quando ipsius intellectus alicui rei intelligibili applicatur, ut illam intueatur.

Dixi 2° *distincta*. Ad notionem scilicet, non sufficit apprehensio generalis et implicita quæ v. g. in mente necessario existit, relative ad res qualescumque, sive existentes, sive possibiles, quoties habemus ideam entis. Sed requiritur ut res, cujus habetur notio, cum illius specifica distinctione apprehendatur, proindeque ut notas, quibus a qualicumque alia re distinguitur, mens expresse percipiat.

Dixi 3° *cujuslibet notæ.* Notarum nomine designantur singulæ proprietates, singulique respectus cujusvis objecti idealis essentiam constituentes, et in ipso, mentalis abstractionis ope, seorsim ad invicem distinguibiles. Sic, *omnipotentia*, *bonitas*, *justitia*, *sanctitas*, etc. sunt notæ essentiæ divinæ.

Dixi 4° *objecti cogitationis constitutivæ.* Objectum cogitationis appellavimus illud ad quod terminatur cogitatio extra mentem cogitantem. Hoc objectum revera unicum esse et cum ente reali identificari superius ostendimus (n. 38).

Dixi 5° *ab eo, sensibilis ope signi, mentaliter abstractæ.* Jam reipsa ostendimus nullam cogitationem distinctam a mente proferri posse, nisi signorum sensibilium auxilio adhibito. Ostendimus quoque in quo consistat distinctio quam, signorum ope sensibilium, inter notiones instituimus. Determinatur nempe per attentionem mentis cujus lex est, in statu præsenti, res nonnisi unam post alteram posse considerare. Unde, licet objectum attentionis nostræ sit concretum et reale, quælibet tamen notio distincta, quam in illo habemus, ut aliquid abstractum menti exhibetur. Hoc non obstante, quælibet notio a mente spectari potest in forma sive concreta sive abstracta; unde nascitur divisio notionum in *concretas* et *abstractas*. Notio concreta ea est cujus objectum spectatur ut ens reale quod per se existere potest, v. g. *homo, bonus,* etc... Notio abstracta ea est cujus objectum spectatur ut qualitas generalis quæ nonnisi in aliquo ente, proindeque non in se, existere potest, ut v. g. *humanitas*, *bonitas*, etc...

206. NATURA TERMINI. — Hinc quidquid in linguis, sive per substantiva, sive per adjectiva verba exprimi potest, inter notiones merito annumeratur. Sic *arbor*, *homo*, *Deus, bonus,* etc...sunt notiones. Voces autem quibus notiones exprimuntur nuncupari solent *termini* (*Log.*, n. 4).

207. NOTIONUM COMPREHENSIO ET EXTENSIO. — In qualibet notione duo distinguenda sunt : nempe, *comprehensio* et *extensio*.

Per *comprehensionem* notionis intelligunt collectionem notarum seu proprietarum quæ notioni essentialiter competunt. Dicitur quoque *quantitas intensiva* notionis. Sub hoc respectu, notio potest esse *simplex* aut *composita*, prout una tantum aut pluribus proprietatibus constat.

Extensio notionis est collectio omnium sive generum, sive specierum, sive individuorum, quæ per illam exprimuntur. Dicitur quoque *quantitas extensiva* notionis. Sub hoc respectu, notio dividitur in *singularem* et *communem*, prout vel ad unum tantum individuum, vel ad plures, sive ejusdem, sive diversarum specierum convenit. Sic v. g. terminus *Petrus* exprimit notionem singularem, et ita de vocibus quæ *nomina propria* vocantur. Sic e contra terminus *homo* exprimit notionem communem : idem dic de cunctis vocibus quæ in linguis *nomina communia* appellantur (Cf. *Log*., n. 5 et seqq.).

208. Affirmationis definitio. — Secundum judicii elementum, in quo proprie illius *forma* reponi debet, est *affirmatio*.

Affirmationis nomine exprimitur *speciale activitatis exercitium relative ad objectum cogitationis sub præcisione veri ab anima apprehensum*. Exercitium istud, cujus naturam facile conscientiæ ope quisque agnoscit, concipi potest tanquam adhæsio et assensus quæ veritati per notiones expressæ a mente præbentur, quibus scilicet profitetur rem aliquam tali vel tali modo se habere.

Nunc vero, si attentius perscrutemur naturam istiusmodi adhæsionis seu assensus, nobis perspectum fiet notionem, quatenus est illius objectum, sub duplici respectu sese nobis ostendere : vel scilicet tanquam *subjectum*, vel tanquam *prædicatum* seu *attributum*. Quælibet enim adhæsio mentalis in eo consistit quod mens enuntiet talem notam a se apprehensam hoc vel illo modo se habere. Ad id autem necesse est ut, *saltem virtualiter*, duæ notiones menti sint præsentes : una de qua fiat enuntiatio, altera quæ sit ejusdem enuntiationis

objectum. — Prior *subjectum*, posterior vero *prædicatum* judicii appellatur.

Dixi : ad enuntiationem proferendam, duas notiones, *saltem virtualiter*, menti præsentes esse debere. Non enim requiritur ut *in re* ab invicem distinguantur. Fieri nempe potest unam eamdemque notionem de seipsa enuntiari per aliquam reduplicationem, sicque subjecti et prædicati simul vices gerere.

At duplici modo prædicatum quoddam de subjecto enuntiari seu affirmari potest. Vel nempe affirmatur ipsum pertinere ad subjecti comprehensionem, aut huic subjecto competere; ideoque subjectum in prædicati extensione includi. Vel e contra affirmatur prædicatum nullatenus subjecto competere ; seu, quod idem est, subjectum extra prædicati extensionem totaliter poni. In priori casu, judicium dicitur *affirmativum*, in posteriori *negativum*. — Exinde sequitur affirmationem et negationem, quatenus operationes animæ, formas distinctas non constituere; totum enim earum discrimen desumitur ex relationis specie quæ inter subjectum et prædicatum enuntiatur.

Natura judiciorum, relative ad affirmationem et negationem, eorum *qualitas* appellatur.

209. Natura verbi. — Quemadmodum notionis expressio, locutionis ope, dicitur *terminus;* ita et expressio affirmationis dicitur *Verbum*. Forma pura et primitiva *verbi* reponi debet in verbo substantivo *est*, sumpto pro mera expressione affirmationis, abstractione facta a quibuslibet sive personæ, sive temporis, sive modi, differentiis. Cætera enim verba, ipsumque verbum substantivum, sumptum pro affirmatione existentiæ, attributum quoddam cum affirmatione exprimunt. Idem dic de iisdém verbis et de verbo substantivo, in quocumque sensu intellecto, quando adhibentur cum variis modificationibus quas conjugatio addit radicali.

210. Affirmationis mentalis causa. — Causa efficiens et immediata affirmationis mentalis est ipsamet activitas

animæ quæ, per notionum apprehensionem excitata, ad illas de se invicem affirmandas aut negandas sese determinat.

Quandoque evenit animæ activitatem ad quasdam affirmationes proferendas per suammet naturam determinari; adeo ut, in his affirmationibus, ante omnem deliberationem et necessario constituatur. Tales sunt affirmationes quæ ad *sensum communem* pertinere dicuntur.

In aliis casibus, animæ activitas ad affirmandum erumpit, eo quod ad illud per aliquid sibi extrinsecum impellatur. Extrinsecum illud constituit *motivum* judicii. — Motivum judicii duplicis generis esse potest : vel scilicet profluit ex sola comparatione duarum notionum quæ judicium constituunt ; ut quando judicamus *bis duo facere quatuor,* eo quod inter *bis duo* et *quatuor* identitas percipiatur : vel desumitur ex auctoritate, quæ inter duas notiones relationem adesse testatur ; ut quando judicamus *Verbum carnem factum fuisse*, eo quod Deus illud revelavit.

211. Affirmationis mentalis veritas et falsitas. — Affirmatio mentalis, si spectetur relative ad realitates objectivas, de quibus profertur, potest esse *vera* vel *falsa*. Vera est quando realitates enuntiat prout sunt, quando proinde illis conformis invenitur. Falsa est econtra quando iisdem realitatibus non est conformis.

Quando affirmatio mentalis naturaliter et vi ipsiusmet constitutionis entis profertur, semper est vera ; eo quod repugnet ens aliquod naturaliter in errore constitui (Cf. *Log.*, n. 200).

Quando autem affirmatio mentalis elicitur propter aliquod motivum, quando proinde pendet ab arbitrio proferentis, duo evenire possunt. Vel nempe motivum quod ad affirmandum impellit, talis est naturæ ut essentialem cum veritate objectiva connexionem habeat ; et tunc affirmatio, ut patet, non potest esse nisi vera. Vel motivum istud connexione hac privatur ; et tunc sive vera sive falsa affirmatio esse potest.

II° *De operationum cognoscitivarum, seu judiciorum, speciebus.*

212. Judiciorum species enuntiantur. — Diximus judicii formam in eo consistere quod enuntietur prædicatum de subjecto. Hoc autem non semper eodem modo efficitur. Nam 1° quandoque prædicatum de subjecto non enuntiatur nisi pro tali vel tali temporis et spatii differentia ; tunc judicium versari dicitur circa *factum particulare* ; 2° quandoque prædicatum enuntiatur de subjecto pro omnibus temporis et spatii differentiis ; tunc judicium versari dicitur circa *universale* ; 3° denique prædicatum nonnunquam enuntiatur de subjecto, independenter a quibuslibet temporis et spatii differentiis ; tunc judicium versari dicitur circa *absolutum*. Hinc triplex operationis cognoscitivæ species seorsim expendenda.

De judiciis quæ versantur circa particulare, seu de Relatione sensuum et Memoria.

213. Facta particularia bipartito dividuntur. — Facta particularia, cognoscuntur, vel in spatio, vel in tempore. In priori casu, illorum cognitio vocatur *relatio sensuum;* in posteriori, *prævisio* vel *memoria*, prout versatur circa facta, vel futura, vel præterita. Cum autem, in statu præsenti, futurorum factorum cognitio nobis desit, solummodo agendum nobis est de *Relatione sensuum et Memoria.*

214. Relationis sensuum definitio. — Relatio sensuum est *judicium quod versatur circa res in tali vel tali spatii differentia existentes*. Porro, res illæ nihil aliud sunt quam corpora ; hinc merito definire possumus relationem sensuum : *Judicium quod versatur circa corpora in eorum existentia considerata.*

215. Relationis sensuum objectum determinatur. — Objectum relationis sensuum consistit in notionibus quas, operationem hujusmodi eliciendo, de se invicem enuntiamus.

1° Prima ex his notionibus, quæ *subjecti* vices gerit, est repræsentatio sensibilis quam, sensuum externorum ope, mens sibi effingit. In hac repræsentatione, duo iterum elementa sedulo sunt distinguenda. — Prius consistit in variis sensationibus quibus per sensuum organa afficimur, ut *color*, *frigus*, *durities*, etc... Cum in operatione, quam analysi subjicimus, nihil vividius attentionem commoveat quam illæ sensationes; hinc *relationis sensuum* nomen, quo eadem operatio designari solet. — Posterius consistit in intelligibili quod sibi mens objicit, simul ac præfatas sensationes experitur, aut potius quod cogitat in his ipsis sensationibus. Intelligibile istud nihil aliud est quam *extensum quid in genere* (Cf. *Cosmol.*, n. 8).

Repræsentatio, ex hoc duplici elemento coalescens, nobis dat conceptum *corporis* in genere. Innumera autem diversitas quæ, tum in formis extensis, tum in sensationibus invenitur, distinctionis, quam inter corpora ponimus, fundamentum existit.

2° Altera notio quæ, cum præcedenti, relationis sensuum objectum constituit, et quæ in ea *prædicati* vices gerit, est conceptus *existentiæ in tali vel tali spatii differentia*. Singula enim relationis sensuum judicia in eo consistunt quod hæc de corporibus enuntietur; ideoque ad hanc formulam generalem reduci possunt : *Hoc corpus hic vel illic existit.*

216. Quomodo anima affirmet existentiam corporum, expenditur. — In hoc auctores inter se non concordant. Plures nempe existimant animam ad corporum existentiam affirmandam determinari per motivum desumptum ex ipsis notionibus constitutivis judicii quod tunc profert. Motivum illud consistit in eo quod corpora existentia percipiamus, in eo quod proinde mens connexionem essentialem deprehendat

inter corpora prout a nobis apprehenduntur et existentiam. Alii existimant motivum illud nequaquam existere, animam vero ad corporum existentiam non determinari nisi per ipsammet naturæ nostræ constitutionem ; proindeque judicium quo illud pronuntiamus inter judicia sensus communis esse annumerandum.

Priorem ex his opinionibus rejicimus. Supponit enim corpora in eorum existentiæ facto a nobis percipi. Porro, jam nobis constat nullum factum contingens existentiæ a nobis percipi posse (n. 33). Posterioribus igitur assentientes, judicia relationis sensuum judiciis sensus communis annumeramus.

217. Imaginationis notio. — Relatio sensuum in nobis determinari debet per actionem aliquam corporum in animam, mediante organismo. Attamen, repræsentationes sensibiles, quæ præcipuum illius constituunt elementum, possunt ad solius voluntatis imperium menti de novo præsentes effici. Tunc producitur *imaginatio*. Hanc ideo definire possumus: *Operationem qua res sensibiles, licet absentes, mens sibi repræsentat.*

Ex hac imaginationis definitione patet qua parte cum relatione sensuum conveniat, qua vero parte ab ea differat. Scilicet, utriusque operationis objectum est mundus sensibilis: at, dum in relatione sensuum, alicujus objecti externi præsentia afficimur, tali objecto non respondet imaginationis actus, nec extra nos quærenda est impressionis quam experimur causa. Hinc evenit impressiones in imaginatione ortas non tam vividas esse quam in relatione sensuum, *saltem ordinarie*. — Dixi *saltem ordinarie ;* quidam enim inveniuntur, tanta vi imaginandi præditi, ut non minus vivide commoveantur impressionibus imaginatione excitatis, quam iis quæ a reali objecti physici actione in organa sensuum proveniunt.

218. Duplex modus quo imaginatio exerceri potest. — Duplici præsertim modo imaginatio potest exerceri. Primus

modus locum habet quando imaginatio nihil aliud efficit quam menti repræsentare res quæ jam fuerunt relationis sensuum objecta : sic, v. g., mihi repræsentare possum equestrem Henrici IV statuam Parisiis erectam. Imaginatio, in hoc casu, multam cum memoria analogiam habet : in eo tamen discrepant hæ duæ mentis operationes, quod memoria versetur tantum circa cogitationes præteritas, non vero circa res ipsas externas, nisi quatenus sunt cogitationum præteritarum objecta ; dum, in imaginatione, res externæ in mente repræsentantur, absque ulla ad cogitationes præteritas quas de illis habuimus relatione. Sub hoc igitur respectu, imaginatio se habet ad relationem sensuum, quemadmodum memoria ad conscientiam. — Secundus modus quo imaginatio exercetur in eo consistit quod mens plurimas ideas et imagines undique desumptas conjungendo, novas procreet conceptiones quæ nulli objecto reali respondent. Tales sunt imagines quibus utuntur poetæ, pictores, oratores, etc...

219. MEMORIÆ DEFINITIO. — Memoriæ nomine designatur *operatio cognoscitiva qua nobis constat de realitate factorum præteritorum, factorum scilicet quæ in aliqua temporis jam elapsi differentia exstiterunt.* Porro, tempus reale pro unoquoque nostrum nihil aliud est quam ordo successionis inter varios status psychologicos in quibus, a primo existentiæ instanti, versati sumus (*Ont. gen.*, n. 179). Hinc memoriæ objectum proprium ab his statibus non discrepat. Memoria igitur recte definitur : *Operatio qua de modificationum suarum præteritarum realitate mens pronuntiat.*

220. MEMORIÆ OBJECTUM DETERMINATUR. — Memoria, sicut et relatio sensuum, duplici constat notione : una quæ subjecti, altera quæ prædicati vices gerit. De utraque pauca dicendum.

1° Ex definitione modo allata constat subjectum judicii quod a nobis, dum recordamur, pronuntiatur, constitui per varios status psychologicos in quibus versati sumus. Hinc

deserenda est opinio eorum qui, propter vulgares locutiones : *Memini talis personæ, talisve objecti,* existimant memoriam versari, non tantum circa affectiones animæ, sed et circa res externas. Non diffitendum est quidem rerum externarum repræsentationem in mente fieri debere ut possimus recordari ; cum enim quilibet status psychologicus ad aliquod objectum externum necessario terminetur, illius status memoria non potest existere, quin ejusdem objecti cogitatio illi comes veniat. Itaque dici potest subjectum directum judicii quo recordamur, esse statum internum animæ, ejusdem autem subjectum indirectum esse objectum externum illius status terminativum.

2° Ex eádem definitione constat prædicatum judicii, quod in memorando pronuntiamus, esse existentiam in tali vel tali temporis præteriti differentia. Proinde quodlibet judicium memoriæ sic enuntiari debet : *Talis status animæ meæ exstitit in tali temporis præteriti epocha.* — Hinc memoriæ objectum non est modificationem præteritam de novo in anima producere. Reipsa, quando recordor me aliquem dolorem expertum esse, non ideo eumdem dolorem in præsenti experior. In illius igitur productione, mens nihil aliud efficit quam, concepto aliquo statu interno, se illum jam expertam esse pronuntiare.

221. Quomodo anima affirmet factorum in seipsa præteritorum realitatem. — Hic redit controversia ubi de relatione sensuum jam exposita. Fatentur omnes nos de factis animæ præteritis judicia proferre ; fatentur etiam judicia a nobis sic prolata veritatem habere. Quo autem pacto illud sit possibile, quomodo nempe scire possimus facta quæ jam nullatenus existunt, in nobis olim exstitisse, non convenit inter auctores.

Opiniones itaque primum exponemus, sensum nostrum postea aperturi.

222. Opiniones exponuntur. — Opiniones circa illud punctum ad duas generaliores reduci posse videntur.

Prima opinio. — Juxta quosdam, anima de modificationibus suis præteritis judicia profert, eo quod illas in præsenti percipiat. Ut autem explicent hujus perceptionis naturam, in plures iterum abeunt sententias.

1º Aristoteles et Peripatetici hoc factum explicant hypothesis *specierum physicarum* ope (n. 24). Propugnant nempe species hujusmodi esse medium universale in quo universa mens percipit. Porro, postquam aliqua specie mediante, mens alicujus objecti perceptionem habuit, non statim hæc species evanescit; in cerebro enim remanet sive per se, sive saltem per vestigia sua. Hinc possibilitas in qua versatur anima objecta a se olim cognita iterum cognoscendi; ideoque memorandi.

2º Alii auctores explicare conantur actum memoriæ, supponendo varias modificationes animæ, quas unquam habuit, in ipsa indesinenter perseverare, mentemque illas in seipsa experiri quando de illis recordatur. Hanc hypothesim in primis hodie propugnat D. Damiron. Juxta illum scilicet, cogitationes quas producit mens humana sunt fetus activitatis qua essentialiter donatur, qua proinde indesinenter agit. Duplex autem est activitas animæ; altera quæ cum conscientia, altera vero quæ absque conscientia exeritur. Nunc vero, quoties aliquod objectum ipsi offertur, statim ad illud contemplandum alterutram activitatem exercet, prout minori vel majori attentione dignum illud existimat. Semel ac ille cogitationis actus cum aliquo attentionis gradu fuit elicitus, in anima constanter perseverat: cum conscientia quidem in primo instanti, absque conscientia autem in instantibus subsequentibus. Occasione data, ejusdem actus mens iterum conscientiam acquirere potest, et sic producitur illius memoria, qua scilicet non novam, sed renovatam cogitationem mens contemplatur.

Secunda opinio. — Plures auctores perceptionem factorum memoriæ ut aliquid contradictorium rejiciunt. Dicunt igitur animam, dum recordatur, non proprie facta olim a se peracta

in præsenti apprehendere; illorum solummodo sibi effingit, ut ita dicam, repræsentationes ideales, quorum objecta non sunt facta ipsa realia, sed facta mera possibilia, id est, varii status possibiles in quibus, relative ad cogitationis exercitium, anima versari potest. Non solum autem anima vim habet hæc facta idealiter concipiendi, illa quoque concipere potest tanquam sibi invicem in aliquo ordine succedentia, proindeque durationem quamdam in tempore constituentia; adeo ut unumquodque erga alia, vel ut futurum, vel ut præteritum ab anima concipiatur.

Hac hypothesi facta, remanet tantum explicandum quonam fundamento his conceptibus mere possibilibus realitatem existentialem anima tribuere possit, sibique facta a se imaginata vindicare.

Ad id porro efficiendum nullum quidem motivum invenit in repræsentatione intelligibili quam sibi effingit. Hoc autem necessarium non esse ad judicium proferendum jam nobis constat. Hic igitur iterum, sicuti pro relatione sensuum, supponendum est animam ita a natura constitui ut, dum inter repræsentationes ideales quas sibi effingere potest, intelligibiliter concipit aliquod factum ab ipsa olim peractum, ad illud de seipsa affirmandum instinctu quodam interno impellatur.

223. Prima opinio refellitur. — Ex his duabus opinionibus priorem admittere non possumus.

Etenim, illud non potest esse in anima objectum perceptionis quod, in instanti quo habetur hæc perceptio, in anima jam non existit. Atqui, talia sunt facta memoriæ; cum hæc facta præterita supponantur. — Præterea, si expendantur duæ hypotheses ad explicandam perceptionem factorum memoriæ supra allatæ, neutram ex his propugnari posse haud difficile constabit.

Quod enim spectat ad explicationem ex vestigiis cerebralibus desumptam, hæc illi objici possunt. — 1° Hac admissa hypothesi, recordatio nequaquam distingui posse videtur a prima

de aliquo objecto cogitatione ; cum enim eadem imago utriusque sit causa, hæc duo facta prorsus identica relative ad mentem esse deberent. — 2° Imagines illæ non possunt esse in cerebro perpetuo præsentes, quin anima indesinenter, aut saltem pro suo libito, eas percipiat. Atqui, contrarium nobis experientia testatur. — 3° Systema istud, etsi verum foret, explicare non valeret memoriæ factum, nisi relative ad objecta quæ sensibus, imo solis oculis apprehenduntur : multa sunt autem recordationis objecta sensibus prorsus impervia.

Exinde concludi non debet, cerebri influxum in actum memoriæ a nobis rejici : hunc econtra, utpote pluribus experimentis demonstratum, libenter admittimus. Hujusmodi vero influxus quicumque sit, phænomenon psychologicum memoriæ nunquam explicare posse existimamus.

Altera hypothesis quæ perceptionem factorum memoriæ explicare conatur per aliquam cogitationum perseverantiam in anima, scopum intentum nec ipsa attingere videtur. Etenim 1° in hac hypothesi, per actum memoriæ, facta animæ præterita in ea renovarentur, saltem in aliquo gradu ; hæcque facta sic renovata essent objectum memoriæ. Atqui, illud dici nequit. Sic ut recorder me anno præterito dolorem expertum fuisse, minime necesse est ut hunc de novo experiar. 2° In eadem hypothesi, objectum memoriæ foret factum præsens; quod utique admitti nequit.

224. Secunda opinio propugnatur. — Secundæ igitur opinioni assentimur. Ex una enim parte, nihil supponit quod ullatenus repugnantiam involvat. Ex altera parte, illa admissa, memoriæ factum sufficienter explicatur. Imo, in hac hypothesi, factum istud explicatu difficilius non videtur quam quodlibet aliud animæ factum, et in primis quam relatio sensuum, cujus ope corpora existere pronuntiamus. In hac enim et illa operatione, mens primum concipit intelligibile quoddam mere possibile, cujus postea realitatem existentialem pronuntiat. Totum discrimen inter utramque in eo consistit quod in rela-

tione sensuum, objectum a mente apprehensum in spatio existere pronuntiemus; dum in memoria, idem objectum in tempore exstitisse affirmetur. Posterius autem non videtur priore difficilius.

225. SCHOLIUM. — Non possumus affirmare realitatem modificationum nostrarum præteritarum, quin de identitate nostra pronuntiemus; ut satis per se patet. At simul nullum de identitate animæ nostræ judicium ferre possemus, nisi de præteritis illius modificationibus memoriæ ope nobis constaret: cum enim identitas animæ nihil aliud sit quam ipsius perseverantia per varia temporis instantia, quæ nonnisi ejusdem modificationibus successivis determinantur; si nulla præteriti memoria foret, nullatenus quoque de nostra identitate nobis constaret. Memoria igitur et nostræ identitatis cognitio sunt duo correlativa, quorum unum absque altero in mente nostra esse non potest, eo quod se invicem supponant.

De judiciis quæ versantur circa universale, seu de Inductione.

226. UNIVERSALIS DEFINITIO. — Universale illud dicimus quod quidem, ex una parte, intra limites temporis et spatii circumscribitur, quod autem, ex altera parte, ad quælibet eorum discrimina extenditur. Consistere igitur debet in aliqua lege generali cui singula facta in spatio et in tempore existentia subjaceant.

227. UNIVERSALIS COGNITIONEM IN NOBIS EXISTERE OSTENDITUR. — Præsentia hujusce cognitionis in anima nostra sic astrui potest:

1º Quoties nobis occurrit aliqua causa quæ, memoria teste, in aliqua temporis præteriti differentia nos tali vel tali modo affecit, ipsam iterum nos eodem modo affecturam esse absque ulla hæsitatione pronuntiamus. Sic recorder talem lapidem heri a me in aera projectum statim lapsum fuisse, certus sum quod si eumdem rursum hodie projiciam eodem modo prolabetur.

2° Quoties nobis occurrit aliqua causa in quodam spatii discrimine constituta, quæ nos prorsus eodem modo afficit ac altera causa, in altero spatii discrimine existens, statim pronuntiamus utramque hanc causam ejusdem esse naturæ. Item, posito quod aliquem effectum ex parte causæ cujusdam experti, similem effectum iterum experiamur, statim concludimus hunc posteriorem ad similem causam esse referendum. Sic, semel ac expertus sum talem ignem me calefecisse, cum mihi occurrit alius ignis, vim calefaciendi huic inesse statim pronuntio. Quoties ~~item~~ aliquod objectum mihi causa est sensus caloris similis illi quem ad ignem accedens expertus sum ; hoc objectum ignem esse indubius affirmo.

228. Inductionis notio. — Operatio qua ab uno facto ad aliud factum, aut potius ad innumera alia facta sic concludimus, *inductio* nuncupatur. Hæc igitur quasi duplicem partem habet : unam qua pronuntiamus causam aliquam, per totam existentiæ suæ durationem, iisdem legibus, quoad effectus producendos, subjacere; alteram qua concludimus ex similitudine causarum ad similitudinem effectuum, itemque ex similitudine effectuum ad similitudinem causarum. In hoc posteriori casu, inductio speciali nomine vocatur ***analogia***.

229. Inductio est aliquid universale. — Vix necesse est ut advertamus modum cognoscendi per inductionem, dotes ad cognitionem universalis requisitas adimplere. Ex una enim parte, non aliquid individuale enuntiat, sed ad omnes temporis et spatii differentias extenditur. Ex altera parte, cum ad res in spatio et tempore actu existentes restringatur, illius objectum non est aliquid absolutum.

230. Inductionis principium. — Si nunc attendere velimus ad principium generale quod, hujusmodi inductionem efficiendo, saltem implicite pronuntiare debemus, nobis constabit principium istud ad hanc formulam reduci posse : ***Facta mundi producuntur juxta leges constantes et uniformes, id est, universales, sive in spatio, sive in tempore.*** Impossibile est enim

nos pronuntiare causam aliquam olim egisse et in futuro acturam fore, prout nunc illam agere experimur, nisi, merito vel immerito, existimemus eamdem causam eodem modo semper agere, proindeque facta mundi juxta leges constantes produci. — Pariter, pronuntiare non possumus talem causam tali modo acturam fore, eo quod alia causa huic similis eodem modo egerit in iisdem circumstantiis, nisi iterum persuasum habeamus facta mundi legibus uniformibus subjacere.

Hinc principium modo enuntiatum vocari solet : *Principium inductionis*.

231. Principii inductionis elementa et fundamentum. — Sola hujus principii enuntiatio quæ sint illius subjectum et prædicatum satis declarat, ideoque in his determinandis immorari inutile foret. Non adeo autem patet fundamentum cui innixi illud proferimus, multumque abest quin ea de re consentiant auctores. Alii enim illud fundari existimant in experientia; alii contendunt nos illius veritatem percipere *a priori*; alii demum hic iterum agnoscunt legem quamdam mentis nostræ, qua ad præfati principii veritatem admittendam naturaliter impellimur. Postremæ huic opinioni assentimur, nec putamus aliud fundamentum judiciis inductionis ac judiciis memoriæ et relationis sensuum esse assignandum. Rationum momenta quæ illud astruunt, exposita invenientur in Logica. (*Log.*, n. 215 et seqq.)

De judiciis quæ versantur circa absolutum, seu de Ratione et Sapore Æsthetico.

232. Notio absoluti. — Per [1] *absolutum* illud intelligi debet quod a quibuslibet spatii et temporis limitibus essentialiter immune est; quod proinde affirmari debet, non solum in singulis spatii et temporis differentiis, sed extra omnia loca et tempora. Aliis verbis, absolutum est *illud quod necessario, æternum et immutabiliter verum est.*

absolutum, id est perfectum, solutum a vicissitudine temporis et spatii.

233. Duplex modus absolutum apprehendendi distinguitur. — Absolutum duplici modo sese nobis cognoscendum præbet : 1º in se et quatenus pure aliquid verum dicit ; 2º quatenus splendescit in aliqua forma sensibili, seu tanquam pulchrum. Hinc duplex operatio cognoscitiva ad absolutum terminata : prior, *ratio pura*, posterior, *sapor æstheticus* appellari solet.

134. Rationis definitio. — Rationem eodem modo non definiunt auctores. Cæteris autem definitionibus dimissis, his libentius assentimur qui dicunt rationem esse *Cognitionem veri absoluti, illiusque discriminis a falso item absoluto.*

Ad hanc igitur cognitionis speciem referuntur 1º axiomata sive ontologica, sive mathematica, v. g. : *Omne accidens supponit substantiam ; Totum est majus sua parte.* Referuntur 2º variæ conclusiones quæ, deductionis ope, in axiomatibus inclusæ ostenduntur, quarum ideo veritas de natura veritatis, quæ axiomatibus competit, participare debet. Rationis exercitium quo ex axiomatibus conclusiones educuntur, vocari solet *Ratiocinium*. sunt auctores qui restringunt rationem ad facultatem ratiocin

235. Judiciorum rationis character distinctivus. — Hac notione præmissa, quisnam esse debeat alicujus enuntiationis character, ut sit absolute vera, ut proinde per rationem puram apprehendatur, expendendum venit.

Porro, facile constat judicium absolute verum illud tantum esse posse, cujus prædicatum et subjectum ita se habent ad invicem, ut hujus comprehensio in alterius comprehensione, tanquam pars illius essentialis, includatur. sese invicem essentialiter

Etenim, ex una parte, si hæc conditio deficiat, nulla erit repugnantia in eo quod duæ notiones, de quibus agitur, de se invicem non prædicentur, ideoque judicium illud efficiens, æterne, necessario et immutabiliter verum non erit ; proindeque, ex definitione superius allata, absolutum dici non poterit. Ex altera parte, si ponatur hæc conditio, judicium easdem notiones de se invicem prædicans, triplici hac dote insignitum

nos pronuntiare causam aliquam olim egisse et in futuro acturam fore, prout nunc illam agere experimur, nisi, merito vel immerito, existimemus eamdem causam eodem modo semper agere, proindeque facta mundi juxta leges constantes produci. — Pariter, pronuntiare non possumus talem causam tali modo acturam fore, eo quod alia causa huic similis eodem modo egerit in iisdem circumstantiis, nisi iterum persuasum habeamus facta mundi legibus uniformibus subjacere.

Hinc principium modo enuntiatum vocari solet: *Principium inductionis*.

231. Principii inductionis elementa et fundamentum. — Sola hujus principii enuntiatio quæ sint illius subjectum et prædicatum satis declarat, ideoque in his determinandis immorari inutile foret. Non adeo autem patet fundamentum cui innixi illud proferimus, multumque abest quin ea de re consentiant auctores. Alii enim illud fundari existimant in experientia; alii contendunt nos illius veritatem percipere *a priori*; alii demum hic iterum agnoscunt legem quamdam mentis nostræ, qua ad præfati principii veritatem admittendam naturaliter impellimur. Postremæ huic opinioni assentimur, nec putamus aliud fundamentum judiciis inductionis ac judiciis memoriæ et relationis sensuum esse assignandum. Rationum momenta quæ illud astruunt, exposita invenientur in Logica. (*Log.*, n. 215 et seqq.)

De judiciis quæ versantur circa absolutum, seu de Ratione et Sapore Æsthetico.

232. Notio absoluti. — Per (1) *absolutum* illud intelligi debet quod a quibuslibet spatii et temporis limitibus essentialiter immune est; quod proinde affirmari debet, non solum in singulis spatii et temporis differentiis, sed extra omnia loca et tempora. Aliis verbis, absolutum est *illud quod necessario, æternum et immutabiliter verum est.*

(1) absolutum, id est perfectum, solutum a vicissitudine temporis et spatii.

233. DUPLEX MODUS ABSOLUTUM APPREHENDENDI DISTINGUITUR. — Absolutum duplici modo sese nobis cognoscendum præbet : 1° in se et quatenus pure aliquid verum dicit ; 2° quatenus splendescit in aliqua forma sensibili, seu tanquam pulchrum. Hinc duplex operatio cognoscitiva ad absolutum terminata : prior, *ratio pura*, posterior, *sapor æstheticus* appellari solet.

134. RATIONIS DEFINITIO. — Rationem eodem modo non definiunt auctores. Cæteris autem definitionibus dimissis, his libentius assentimur qui dicunt rationem esse *Cognitionem veri absoluti, illiusque discriminis a falso item absoluto.*

Ad hanc igitur cognitionis speciem referuntur 1° axiomata sive ontologica, sive mathematica, v. g. : *Omne accidens supponit substantiam ; Totum est majus sua parte.* Referuntur 2° variæ conclusiones quæ, deductionis ope, in axiomatibus inclusæ ostenduntur, quarum ideo veritas de natura veritatis, quæ axiomatibus competit, participare debet. Rationis exercitium quo ex axiomatibus conclusiones educuntur, vocari solet *Ratiocinium*: sunt auctores qui restringunt rationem ad facultate[m] ratiocina[ndi]

235. JUDICIORUM RATIONIS CHARACTER DISTINCTIVUS. — Hac notione præmissa, quisnam esse debeat alicujus enuntiationis character, ut sit absolute vera, ut proinde per rationem puram apprehendatur, expendendum venit.

Porro, facile constat judicium absolute verum illud tantum esse posse, cujus prædicatum et subjectum ita se habent ad invicem, ut (hujus comprehensio in alterius comprehensione, tanquam pars illius essentialis, includatur.) sese invicem essentialiter in[cludant] id est ut c[...] subjecti in comprehe[nsione] prædicati extensio p[...] includat[ur] [...] nem subjec[ti]

Etenim, ex una parte, si hæc conditio deficiat, nulla erit repugnantia in eo quod duæ notiones, de quibus agitur, de se invicem non prædicentur, ideoque judicium illud efficiens, æterne, necessario et immutabiliter verum non erit ; proindeque, ex definitione superius allata, absolutum dici non poterit. Ex altera parte, si ponatur hæc conditio, judicium easdem notiones de se invicem prædicans, triplici hac dote insignitum

statim concipitur. Quando enim comprehensio alicujus notionis in alterius notionis comprehensione includitur, ab hac notione prorsus inseparabilis est, cum ad illius essentiam pertineat; ideoque judicium quod illas notiones de se invicem prædicat, non potest, quæcumque fiat hypothesis, non esse verum (1).

236. Rationis dotes enumerantur. — Licet ratio quoad essentialia in omnibus hominibus eadem existat, variis insigniri potest dotibus accessoriis quibus homines a se invicem sub respectu intellectualium facultatum præcipue discriminantur. Jam observavimus has dotes, juxta plures, in gradu attentionis cujus unusquisque capax invenitur fundamentum habere.

Præcipuæ sunt *rectitudo, subtilitas et profunditas*.

237. Rectitudinis notio. — *Rectitudinem* vocamus eam rationis dotem qua de rebus sibi subjectis nonnisi vera profert judicia. Consistit in quodam lumine naturali, cujus ope, in inquisitione veritatis ab errore præcavemus. Quando spectatur in se, et independenter a dotibus infra enumerandis, hanc constituit rationis formam quæ *rectus sensus*, *judicium rectum*, gallice *bon sens*, *bon jugement* dicitur.

238. Subtilitatis notio. — *Subtilitas*, quæ nonnunquam intelligitur de defectu eorum qui, in ratiocinando, solidis argumentis vanas argutiolas anteponunt, hic sumitur pro ea rationis qualitate qua quis intricatissimæ quæstionis nodum feliciter solvit. Hac dote constituitur triplex rationis forma, nempe: *discretio*, *sagacitas* et *perspicacitas*. — Discretio (*le discernement*) secernit similitudines et differentias rerum, ut quænam uniendæ, quænam vero separandæ sint judicet. — *Sagacitas* de relationibus etiam remotissimis, quodam instinctu veritatis pronuntiat. — *Perspicacitas*, inter innumera quæstionis alicujus elementa, verum difficultatis punctum distinguit.

(1) Judicia absoluta, cum, ex dictis, in analysi comprehensionis subjecti unice fundentur, a quibusdam appellantur, *judicia analytica*. Cætera autem judicia, ut pote enuntiantia de subjecto quod in illo non includitur, proindeque illius ideæ aliquid addentia, ab iisdem *judicia synthetica* appellantur.

239. PROFUNDITATIS NOTIO. — *Profunditas* ea est rationis qualitas, vi cujus mens in quæstionum investigandarum superficie non hæret, sed illarum intima penetrat, indefessoque labore perscrutatur. Duplex in profunditate gradus distingui potest. Primus constituit *penetrationem*, secundus vero *genium scientificum*. Inter utrumque hunc gradum illud discrimen poni potest, quod penetratio in scientificarum quæstionum tractatione aliorum vestigiis inhæret, dum genium novas aggreditur vias, sicque alicujus creationis ideam includere vulgo dicitur. Hinc penetratio quidem in scientiis doctum reddit; solum vero genium illarum limites extendit.

240. SAPORIS ÆSTHETICI DEFINITIO. — Sapor æstheticus (gallice *le goût*) est *Operatio qua mens de pulchri præsentia pronuntiat*.

241. NOTIO PULCHRI. — Quid sit pulchrum alibi diximus (Cf. *Ont. gen.*, n. 49, et *Æsth.*, n. 46 et seqq.). Constat nempe ipsum a vero non discrepare, nisi quatenus sese nobis exhibet sub forma quadam sensibili cujus ope nos speciali modo commovet et afficit.

242. SAPORIS ÆSTHETICI ANALYSIS. — In operatione autem, qua illud apprehendimus, tria distinguenda sunt : 1° apprehensio, sive per relationem sensuum, sive per imaginationem, objecti cujusdam sensibilis, utputa statuæ, palatii, etc..; 2° idea pulchri; 3° affirmationem qua pronuntiamus objectum sensibile a nobis apprehensum esse pulchrum.

Observandum est affirmationem hanc, licet occasione objecti sensibilis et contingentis prolatam, ad hoc tamen objectum physice spectatum non terminari, sed ad solam illius formam intelligibilem quæ pulchrum in se continere declaratur. Judicia igitur æsthetica inter cognitiones quæ circa absolutum versantur computari debent.

243. SAPORIS ÆSTHETICI DIVERSITAS IN VARIIS HOMINIBUS. — Quanta inter homines diversitas existat, relative ad judicia quæ de pulchro proferunt, nemo nescit. Hinc quidam conclu-

dere voluerunt pulchritudinem nihil objectivum per se dicere; sed a temporibus, locis, educatione et indole omnino pendere. At si vera foret hæc conclusio, pari jure idem dici deberet de vero et de bono, eo quod homines de iis quoque diversimode judicent. Addere debemus quod, præter varias causas quæ tantam in judiciis humanis de qualibet materia prolatis diversitatem inducunt, specialem pro judiciis æstheticis, etiam illæsa eorum objectivitate, assignari posse. Scilicet, prout constat ex tractatu speciali *de Pulchro*, res externæ a nobis pulchræ non dicuntur, nisi quia sunt symbolum pulchritudinis cujusdam invisibilis, quæ in illis splendescit. Porro, cum symbolismus ille non eamdem semper claritatem habeat, imo sæpe a moribus populorum aliisque circumstantiis pendeat, necesse est ut in illius interpretatione aliqua diversitas existat. Hinc facile concipitur quomodo homines, licet eamdem pulchri absoluti ideam habeant, eam tamen iisdem objectis physicis non applicent, sicque in eorum judiciis æstheticis inter se discrepent.

244. Genii artistici notio et divisio. — Genium artisticum definiri potest: *Facultas pulchritudinis ideam operibus exprimendi.* Quicumque scilicet pulchritudinis sensu vivide affectus, illum in aliquo opere externo, pictura nempe, statua, ædificio, poemate, etc... ita novit exprimere, ut eodem afficiantur quotquot opus illud conspexerint aut perlegerint, ille genio artistico præditus dicitur. Hinc patet quodnam discrimen existat inter opera genii virtute elaborata, et ea quæ absque illius influxu perficiuntur. Ut enim opus quoddam genii inspirationibus ascribatur, satis non est ut artis regulæ in eo mechanice serventur, requiritur etiam ut illius auctor aliquem pulchritudinis sensum voluerit exprimere, et aliis per illud communicare.

245. Genii artistici species. — Genium spectari potest tum relative ad ipsius originem, tum relative ad ipsius gradum seu intensitatem.

1° In illius origine spectatum genium dividitur in *naturale* et *acquisitum*. — *Naturale* est innata quædam dispositio ad sensum pulchri sive vividius experiendum, sive perfectius exprimendum. Hæc dispositio in variis individuis maxime diversa invenitur, non solum quoad gradum, sed etiam quoad objectum : hinc origo vocationum quibus ad talem vel talem professionem excolendam ab infantia impellimur. — *Acquisitum* nihil aliud est quam eadem dispositio documentis magistrorum et exercitio perfectior effecta : genium igitur *acquisitum*, necessario præsupponit genium *naturale*.

2° In illius gradu seu intensitate spectatum, duplex iterum genium distinguitur. — In primo seu inferiori gradu, illud constituit quod gallice nuncupatur *talent*. In secundo autem seu superiori gradu, genii nomine proprie nuncupatur. Inter utrumque autem hæc existunt discrimina : 1° ut genium in inferiori gradu adesse dicatur, non requiritur ut pulchri quod exprimitur, idea proprie dicta distincte habeatur ; sed sufficit illius sensus, quo scilicet vago potius instinctu quam intuitione clara mens dirigitur ; dum in superiori gradu hanc ideam supponit genium, quod ideo tunc illuminatio divina merito dicitur. — 2° Genium artisticum in superiori gradu supponit, sicut et genium scientificum, aliquam creandi facultatem, qua inferior illius gradus privatur. Hinc soli homines hoc genii gradu præditi, progressuum quibus artes ad perfectionem propius accedunt, auctores existunt, novas conceptiones in medium proferendo, et in vias antea ignotias per suum exemplum alios impellendo (Vid. D. Bautain, *Psych. expérim.*, chap. 9, t. 2, page 398).

§ 2. *De Operationibus affectivis seu de Amore et Odio.*

Has operationes seorsim expendemus 1° in earum natura, 2° in earum elementis, 3° in earum speciebus.

I° *Operationum affectivarum natura.*

246. Operationum affectivarum notio. — Exposuimus supra quomodo objectum cogitationis primum indistincte, proindeque synthetice conceptum, postea a mente, attentionis et sermonis ope, evolutum, apprehenditur velut quidditas intelligibilis pluribus notis insignita; uno verbo, quomodo objectum istud, sub præcisione veri consideratum, producat *judicia*.

At objectum cogitationis, quod cum ente identificari jam monuimus, alterum respectum habet, vi cujus dicitur *bonum* et *amabile*, sub quo etiam, experientia teste, illud apprehendimus. Hinc porro nascuntur operationes affectivæ, quarum naturam hic exponendam habemus.

Operationes igitur illæ nihil aliud sunt quam *Actus cogitationis, animæ essentialiter constitutivus, quatenus terminatur ad ens sub præcisione boni distincte consideratum.*

247. Operationum affectivarum forma duplex. — Observandum est autem quamlibet terminationem mentis ad bonum, ut sic consideratum, duo essentialiter includere. Includit nempe 1° complacentiam in hoc bono, huicque adhæsionem ; 2° displicentiam in ejus privatione, quæ *malum* dicitur, ab eaque aversionem. Prius speciatim *amor,* posterius vero *odium* appellatur.

Hinc, in rei veritate, nec amor sine odio, nec odium sine amore in anima esse possunt. Quando igitur aliquem, vel amoris, vel odii actum elicere dicimur, ille actus reipsa ad amorem vel odium exclusive non pertinet, sed tantum denominatur ex eo quod in ipso magis prædominat. Si nempe cogitatio nostra magis feratur circa possessionem boni, actum amoris producere dicimur ; si econtra ad illius privationem magis attendamus, actus noster actus odii nuncupatur. — Hinc sequitur etiam objectum quidem amoris tanquam aliquid reale a mente apprehendi ; rem enim amabilem esse non pronun-

tiamus, nisi quatenus ens in illa deprehendimus. De objecto autem odii idem dici nequit; est enim mera negatio realitatis quam amamus.

248. OPERATIONES AFFECTIVÆ TUM INTELLECTUS, TUM SENSIBILITATIS, TUM ACTIVITATIS EXERCITIUM INCLUDUNT. — Cæterum, in his producendis operationibus, singula cogitationis elementa, perceptionem nempe, activitatem et sensum concurrere, non minus quam in judiciorum productione, facile constat. Etenim 1° actus animæ est indivisibilis, ideoque ipsum totum semper exerceri necesse est. 2° Evidens est nec bonum amari, nec malum odio haberi posse, quin prius mens distincte illa cognoscat, quod absque idea et sensu fieri non potest; quin pariter relative ad illa active se gerat, complacere enim et aversari, quid activum profecto per se dicunt.

II° *De operationum affectivarum elementis.*

249. OPERATIONUM AFFECTIVARUM ELEMENTA ENUMERANTUR. — Amor et odium triplici, saltem in præsenti animæ statu, constant elemento, nempe: *judicio æstimationis*, *volitione* aut *nolitione*, *fruitione* aut *privatione*.

De unoquoque horum elementorum pauca deliberare debemus.

250. JUDICIUM ÆSTIMATIONIS DEFINITUR. — Judicium æstimationis est *Actus quo mens pronuntiat objectum quoddam, cujus notionem habet, esse bonum aut malum, proindeque ab ipsa amandum aut odio habendum.*

Istius judicii elementa sunt: 1° notio alicujus objecti, distincte a mente apprehensi, quæ in illo subjecti vices gerit; 2° notio generalis boni aut mali, quæ semper illius prædicatum constituit. Ad hanc itaque formulam generalem reducitur: *Hoc vel illud objectum est bonum aut malum, amandum aut odio habendum.*

251. Discrimen judicii æstimationis a judicio in genere. — Judicium æstimationis nihil aliud est quam specificatio quædam facultatis generalis judicandi, quatenus ipsius exercitium, ad amorem producendum, stricte requiritur. Scilicet, in hoc a se invicem differunt bonum, amoris objectum, et verum, objectum judicii proprie dicti, quod verum sit illud quod in ente prius concipiatur; unde ens sub respectu veri explicite apprehendi potest, quin huic apprehensioni comes veniat explicita ejusdem entis, sub respectu boni, apprehensio. De hoc autem posteriori respectu idem dici non potest. Cum enim ens non sit bonum et amabile, nisi quia prius verum est et intelligibile, exercitium amoris, essentialiter prærequirit cognitionis exercitium. Hoc autem exercitium facultatis cognoscendi, ad amorem prærequisitum, illud est præcise quod *æstimationis judicium* nuncupamus.

Hinc facile videtur quodnam inter judicium istud et cætera judicia discrimen existat. Hæc scilicet objectum cogitationis, præcisione facta ab illius bonitate, ideoque modo abstractivo, attingunt; illud vero respectum bonitatis respectui veritatis jungit, sicque ad ens complete sumptum dirigitur.

252. Volitionis et nolitionis definitio. — Per has voces designatur exercitium facultatis quam *voluntatis* nomine designant. Hæc definiri potest : *Facultas qua mens objectum per æstimationis judicium determinatum, mediis convenientibus adhibitis, assequi conatur.* — Quando objectum assequendum est aliquid positivum, exercitium hujus facultatis constituit *volitionem ;* quando econtra est negativum, constituit *nolitionem.* Hic autem redit observatio circa amoris et odii naturam jam facta ; hæc nempe duo a se invicem de facto sejungi non posse, sese autem essentialiter supponere.

253. Volitionis et nolitionis objectum. — Quomodo volitio aut nolitio ad actus amoris aut odii constituendos concurrant nunc dicendum.

Ultimus terminus utriusque est possessio boni, cujus natu-

ram infra exponemus. Hæc porro possessio initialiter quidem existit in mente, statim ac ab ipsa profertur æstimationis judicium. Ut enim judicium istud proferatur, necesse est ut bonum aliquatenus saltem cognoscatur ; sed, ex altera parte, cognitio quælibet boni sine aliquali illius possessione non concipitur. Cognitio autem boni, quam in præsenti vita habemus, valde imperfecta est. Licet nempe mentis nostræ intuitus internus ad ens ipsum, proindeque ad ipsummet bonum, objective terminetur, adeo tamen per sensiblia elementa inter nos et illud, ut ita dicam, interposita, intuitus hujusmodi impeditur, ut magis quid bonitatis includere debeat suspicari, quam bonitatem hanc directe contemplari, eaque immediate frui valeamus.

Hinc necessitas facultatis mediæ inter judicium æstimationis, in visione imperfecta boni fundatum, et possessionem plenam, quæ perfectam ejusdem boni contemplationem immediate subsequi debet. Illius facultatis objectum esse debet bonum suspicatum quidem et prævisum, nondum vero perfecte apprehensum, proindeque ad instar finis cujusdam assequendi menti propositum. Hæc porro facultas est *voluntas*. Voluntatis enim, prout modo diximus, proprium est ad finem tendere per media. Volitio igitur et nolitio, quæ sunt hujus facultatis exercitium, haberi debent tanquam formæ speciales per quas in præsenti vita, propter statum specialem animæ nostræ relative ad bonum, amor et odium sese manifestant.

254. Voluntatis exercitium duplex. — Exercitium voluntatis duplex est, *internum* scilicet et *externum*. — Prius constituit proprie volitiones et nolitiones, consistitque in determinatione mentis ad bonum tendendi, mediaque ad id aptiora eligendi. — Posterius consistit in variis motibus corporeis, quos voluntas, ut ad suum scopum perveniat, exsequitur.

255. Fruitionis et privationis definitio. — Fruitio est *Scopus ad quem obtinendum tendit voluntas per judicium æstimationis determinata*. Consistit in immediata animæ

nostræ unione cum bono, in qua propria et perfectissima amoris forma reponi debet. In statu summo constituit *beatitudinem*, quæ est, ut infra dicemus, ultima omnium evolutionum animæ meta.

Privatio econtra est *Illud quod voluntas, per judicium æstimationis item determinata, nolitionis ope avertere conatur.* Directe opponitur fruitioni, consistitque in elongatione animæ a bono, seu, quod idem est, in illius unione cum malo, quæ est proprie objectum odii. Privatio, in gradu summo, constituit statum quem theologi *reprobationem* appellant.

III° *De Variis affectivarum operationum speciebus.*

256. Operationum affectivarum species enumerantur. — Quælibet operatio affectiva ad bonum tanquam ultimum objectum necessario terminatur. Cum tamen objectum diversimode possimus nobis proponere ut operationis terminum, hinc amor et odium in triplicem speciem seorsim expendendam dividi possunt; prout consistunt, vel in complacentia aut displicentia, vel in concupiscentia aut aversione, vel in benevolentia et compassione.

De amore puro, seu complacentiæ.

257. Amoris puri definitio. — Amor *purus* seu *complacentiæ* ille est *quo adhæremus bono, præcise quia est in se bonum et amore dignum.* Dicitur *purus;* quia mens, in illo eliciendo, ad nihil aliud attendit quam ad ipsammet naturam boni, ideoque ad illud *pure* dirigitur. Dicitur etiam *complacentiæ;* quia nihil aliud in anima supponit quam meram complacentiam in bono sibi oblato.

Hinc facile deducitur notio *odii puri* seu *displicentiæ*. Illud

est nempe quod versatur circa malum in se consideratum, seu quatenus in sua natura est aliquid odio dignum.

258. AN AMOR PURUS IN VITA PRÆSENTI SIT POSSIBILIS. — Hæc prima amoris et odii species suam perfectionem habebit in futura vita, in qua beati, ex una quidem parte, Deum, tanquam summum bonum pure diligent, ex altera vero parte, peccatum, tanquam summum malum, pure etiam odio habebunt.

Quod spectat ad præsentem vitam, norunt omnes quantæ inter Theologos ortæ sint controversiæ circa possibilitatem istius amoris et odii. Has controversias expendere hic locus non est; liceat tantum hæc pauca notare. — 1° Aliquos actus amoris puri in hac vita nobis possibiles esse extra dubium nobis videtur. Eo modo non solum Deum in se spectatum diligere possumus, sed et res absolutas in ejus essentia contentas, ut bonum morale, veritatem, pulchrum. — 2° Quilibet actus virtutis a nobis elicitus aliquem gradum amoris puri necessario includere debet; quæcumque enim sint motiva immediata, quæ nos ad illum eliciendum impellunt, necesse est ut ultimum eorum fundamentum sit bonitas moralis illius actus. Porro, actum elicere non possumus propter bonitatem moralem illius actus, quin bonitatem hanc, saltem in aliquo gradu, propter se amemus. — 3° Attamen, fatendum est amorem quo in hac vita bonum prosequimur, itemque odium quo peccatum repellimus, plerumque, propter imperfectionem intellectus et voluntatis, prorsus pura non esse; sed egoïsmo, prout infra dicemus, admisceri. Ostendemus autem in Ethica, hunc amorem non penitus purum egoïsmoque admixtum, non ideo, ut quidam dixerunt, ut malum et vitiosum argui debere; sed e contra bonum et meritorium existere.

De amore egoïstico, seu concupiscentiæ.

259. Amoris egoïstici definitio generalior. — Generatim loquendo, amor egoïsticus ille est *qui propter considerationem boni proprii elicitur.* — Hæc autem definitio juxta triplicem sensum sedulo a nobis exponendum et discutiendum intelligi potest.

260. Primus definitionis sensus exponitur et refellitur. — Juxta primum sensum, amor egoïsticus ille foret qui ad nosmetipsos, tanquam ad ipsius objectum, terminaretur; unde, per contrarium, odium egoïsticum nostri annihilationem aut qualemcumque læsionem pro objecto haberet. Amor vero et odium pura, seu ab egoïsmo immunia, ea forent quæ ad bona vel mala extra nos posita dirigerentur. — Hunc autem sensum non possumus admittere. Cum enim anima non sit sibiipsi suum bonum, amor illius ad seipsam, proprie loquendo, terminari non potest; semper autem illius amor ad aliquid objectivum dirigitur. Sub hoc igitur respectu, id est, ex parte objecti, amor et odium egoïstica ab iisdem affectibus egoïsmo immunibus, distingui non possunt.

261. Secundus definitionis sensus exponitur et refellitur. — Juxta secundum sensum, per amorem egoïsticum intelligitur amor qui ad bonum objectivum ita terminatur, ut gaudium et delectatio ex fruitione boni amati subsecutura, expresse ab amante non excluderentur. Amor e contra ab egoïsmo purus, ille foret in quo bonum objectivum ita propter se diligeretur, ut amans a qualibet delectatione ex ejus fruitione proventura sese realiter sequestraret, ideoque suo proprio commodo penitus renuntiaret. Idem dic de odio mali, relative ad privationem felicitatis quam in odii subjecto malum inducere potest. — Secundum hunc sensum iterum rejicimus. Etenim, cum amor complacentiam in bono essentialiter dicat, cum iterum complacentia consistat in eo quod quis suam

felicitatem in bono, in quo sibi complacet, reponat, amor in subjecto esse non potest cum renuntiatione reali felicitati ex possessione objecti amati subsecuturæ. Complacentia igitur in bono cum hac renuntiatione est aliquid contradictorium in terminis, quod proinde objectum voluntatis esse non potest.

262. Tertius definitionis sensus exponitur et propugnatur. — Exponendus remanet tertius sensus juxta quem præfata distinctio intelligi debet, et cui plene suffragamur. Qui nempe illum admittunt, ex una quidem parte, quemlibet amorem ad aliquid objectivum terminari; ex altera parte, felicitatem subjecti amantis essentialiter includere agnoscunt; sicque a duabus opinionibus supra expositis æqualiter recedunt. Dum autem ad objecti amati fruitionem per voluntatem suam anima tendit, facile concipitur ipsam, vi abstrahendi qua pollet, duplici modo affici posse. Tendere nempe potest ad illud objectum, quatenus præcise, prout jam diximus, est *in se* bonum, non vero quatenus est *sibi* bonum; id est, abstrahendo a delectatione subjectiva quæ illius objecti fruitionem necessario subsequi debet. Tunc amor est ab egoïsmo immunis. At fieri etiam potest, ut dum anima bonum appetit, ipsius reflexio in hanc delectationem expresse feratur; ita ut velit bonum, non præcise quia est tale in se, sed quia est sibi jucundum. Tunc amor dicitur proprie egoïsticus. Eodem modo explicantur odium egoïsticum relative ad malum. — Diximus postremum hunc sensum eum esse cui suffragaremur. Revera, ex una parte, sufficiens statuit discrimen inter amorem purum et amorem egoïsticum; et, ex altera parte, non videtur huic discrimini aliud fundamentum rationabile assignari posse.

263. Cur amor noster egoïsmo plerumque admisceatur. — Jam observavimus amorem et odium nostrum in præsenti vita plerumque egoïsmo admisceri. Hujus assertionis veritas facile concludi potest ex notione amoris egoïstici modo a nobis allata. Experientia enim constat nobis difficillimum esse, in

appetitione boni, ab omni propriæ delectationis consideratione nos sequestrare. Hoc in primis provenit ex modo quo, prout supra dictum est, bonum in præsenti apprehendimus. Scilicet, bonum, relative ad nos, est magis bonum speratum, quam bonum possessum. Dum autem illud quasi e longinquo apprehendimus, simul illud concipimus tum ut *in se*, tum ut *nobis* bonum. Hinc aliqua abstractione proindeque aliquo labore opus nobis est, ut, in præsenti, bonum pure amemus. Adde quod, propter rerum sensibilium influxum, multo magis delectatione propria quam boni in se consideratione commovemur.

De amore sociali, seu benevolentiæ.

264. Amoris socialis notio generalior. — Tertia hæc amoris species pro objecto immediato habet cæteros homines quibuscum in societate vivimus. Unde et *socialis* nomine designatur.

Quænam sit ejus natura paucis explicandum est.

Homines, quibuscum in societate vivimus, sub duplici respectu considerari possunt, relative ad bonum et malum, quæ sunt ex dictis objectum amoris et odii.

1° Possunt nempe considerari ut objecta ex quibus bonum aut malum nostrum aliquo modo pendet, quæ nempe sensus jucundos aut injucundos in nobis excitandi vim habent. Sub hoc respectu, nonnunquam amari aut odio haberi dicuntur. At facile constat, amorem aut odium quibus tunc cæteros homines prosequimur, cum ad eos non præcise tanquam personas, sed tanquam *res* gratas nobis aut ingratas, dirigantur, nihil aliud esse in rei veritate quam egoïsmi formas. Non igitur constituunt speciem amoris et odii de qua nunc agitur.

2° Sed iidem homines possunt etiam considerari ut personæ

intelligendi et amandi facultate præditæ, quæ proinde, non secus ac nos fruitione aut privatione boni capaces existunt. Quemadmodum igitur unionem cum bono, elongationem vero a malo pro nobis appetimus, et sic nosmetipsos diligere dicimur; ita, si hæc pro cæteris effecerimus, illis nempe idem ac nobis bonum desiderando, illos quoque diligere merito dicemur. Sic porro constituitur amor socialis, seu benevolentiæ, de quo in præsenti agimus.

265. Amoris socialis definitio. — Hinc amorem socialem, qui etiam *benevolentia* dicitur, definire possumus : *Actum quo proximo idem bonum ac nobis ipsis optamus.* Hinc etiam odium sociale seu compassionis definiri potest : *Actus quo a proximo elongari cupimus malum a quo ipsi refugimus.* Amor et odium sic intellecta *sympathiæ* nomine quandoque designantur; eo quod in his eliciendis, afficimur erga cæteros homines eodem modo ac erga nos, vereque illis *compatimur.*

266. Amoris socialis existentia. — Amoris socialis existentiam in nobis nonnulli negaverunt, inter quos Hobbesius et Larochefoucault in libro cui titulus : *Maximes*, etc. Hi nempe existimant benevolentiæ et compassionis sensus, quibus erga proximum afficimur, nihil aliud esse quam merum egoïsmum ; ideoque homines nonnisi tanquam instrumenta propriæ felicitatis et delectationis, a nobis posse amari. — Hæc autem opinio rejici debet. Nam 1° si attente perpendamus affectus varios quibus erga alios homines movemur, facile nobis constabit illos plurimum differre ab affectibus quorum objecta sunt res inanimatæ : discrimen autem quod illos secernit in eo præcise consistit, quod, in posterioribus, nihil aliud quam nostram utilitatem quærimus, dum in prioribus, alios homines consideramus tanquam in se dilectione dignos. 2° Adeo verum est affectus de quibus agitur ab egoïsmo non unice provenire, ut nihil econtra magis ipsorum evolutioni opponatur. Experientia enim constat egoïsmi affec-

tum, nisi in debitis limitibus coerceatur, affectus sympathicos, aut prorsus exstinguere, aut saltem multum debilitare.

267. Amor proximi purus vel egoïsmo admixtus esse potest. — Observandum est tamen quod quemadmodum amor boni, vel purus, vel egoïsmo admixtus in nobis esse potest; ita et amor proximi. Quandoque enim bonum proximi optamus, eo quod illud est in se bonum, eo quod, v. g., Deus hoc nobis imperat : tunc proximum pure diligimus. At quandoque etiam proximi bonum optamus, et ad illud procurandum allaboramus, eo quod naturæ nostræ instinctus ad id nos impellunt, ita ut in amando proximum secretam delectationem inveniamus. Tunc, licet vere proximum diligamus, amor tamen noster aliquo egoïsmo admiscetur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Modis diversis quibus ad suas operationes producendas sese determinat anima.

268. Articuli divisio. — Triplici modo ad aliquam operationem peragendam anima sese determinare potest, nempe : vel spontanee, vel per electionem liberam, vel per habitudinem. De *spontaneitate* igitur, de *libertate* et de *habitudine* in hoc Articulo nobis agendum est.

§ 1. *De Spontaneitate, seu Instinctu.*

269. Spontaneitatis definitio. — Per spontaneitatem intelligimus *Vim illam nobis ab ipsa natura insitam qua, ante omnem deliberationem, in certos quosdam actus, occasione data, erumpimus.* Vis illa vocatur etiam *instinctus* (*instinguo*, pulso, excito) ; eo quod instar stimuli cujusdam interni, nos ad agendum impellat.

Non tamen existimandum est vim hujusmodi consistere in aliquo objecto ab anima nostra distincto quod in illam aliquem influxum exerceat. Nihil igitur aliud in ea agnosci debet quam ipsamet substantia animæ, cujus talis est natura, ut in quibusdam circumstantiis posita, a tali vel tali determinatione abstinere non possit, nec ideo, ad illam producendam, motivorum ponderatione illi opus est.

Animam nostram in multis casibus eo modo sese determinare facile ostendi potest, tum pro operationibus cognoscitivis, tum pro operationibus affectivis.

Et quidem, quod spectat ad operationes cognoscitivas, experientia testatur nos innumera quotidie proferre judicia de quorum motivis rationem nobis reddere non possumus; imo quorum veritas ex hoc ipso deducitur, quod a nobis, natura duce, prolata fuerint. Talia sunt, v, g., judicia quibus pronuntiamus corpora existere, memoriam nos non fallere, etc. (Cf. *Log.*, n. 190 et seqq.)

Item, pro operationibus affectivis, experientia constat res multas amari a nobis aut odio haberi, antequam de earum bonitate aut malitia certiores effici, ratiocinii ope, potuerimus. Sic naturaliter nobis insunt: amor parentum, amor soli natalis, amor existimationis, etc... Operationes affectivæ, quatenus ex spontaneitate profluunt, *passionum* nomine vulgo designantur.

270. Hominum discrimina quoad spontaneitatem. — Licet, vi spontaneitatis, omnes homines, utpote ejusdem naturæ participes, ad eosdem actus peragendos impellantur; aliquæ tamen discrimina, sub hoc respectu, inter illos agnosci possunt, præcipue relative ad operationes affectivas. Constat enim varios homines non in eodem gradu res easdem appetere, alios vero vividius, alios segnius ad illas attrahi. Sic determinantur singulorum hominum peculiares *inclinationes* seu *passiones*. Hujusmodi discriminum causam determinativam, alii reponunt in ipsamet animæ cujusque individui con-

stitutione, alii in dispositione organismi cui anima conjungitur. Difficile nobis videtur aliquid certi hac de re determinare.

271. Spontaneitatis utilitas. — Quidquid sit, liceat nobis hic observare quantæ nobis utilitatis sint instinctus, de quibus agitur, quantæque sapientiæ, ex parte Creatoris, indicium existant. Hi enim mirifice supplent determinationem liberam, quæ, licet in se perfectior quam determinatio spontanea, adhiberi tamen non potest, quando, ut sæpe evenit, nulla interposita mora, est agendum.

Cet espèce d'instinct se retrouve chez l'homme dans tous les mouvements de son corps. L'enfant nouveau-né sait presser le sein de sa mère pour en tirer sa nourriture; l'œil blessé par une lumière trop vive, se ferme rapidement; en tombant j'avance les mains pour défendre ma tête; je penche mon corps d'un côté pour faire équilibre avec le poids que je soutiens de l'autre. (Frayssinous.) Voilà comme par l'instinct, l'homme ressemble en q.q. sorte à la brute, qui est mue par une force dont elle n'a pas la direction.

§ 2. *De Libertate.*

I° *Libertatis humanæ natura exponitur.*

272. Libertatis definitio generalior. — Libertas in genere vulgo definitur : *Immunitas a vinculo,* seu *Potestas expedita agendi vel non agendi.* — Porro duplici modo concipi potest causam aliquam a vinculis in agendo esse immunem : 1° quatenus, aliqua volitione elicita, nullum ad illam exsequendam obstaculum invenit ; 2° quatenus ad ipsiusmet volitionis productionem, eadem fruitur immunitate. In priori casu adest libertas *exsecutionis,* quæ dicitur etiam *libertas a coactione,* eo quod hæc destrui non possit nisi per violentiam seu coactionem ab extra agenti illatam. In posteriori casu adest *libertas volitionis,* quæ etiam *libertas a necessitate* nuncupatur, eo quod voluntas quæ illa fruitur nulli necessitati subjaceat.

Il y a un nouvel acte : acte externe, acte interne — liberté inférieure

De hac postrema libertate, quæ sola proprie hoc nomen meretur, hic agendum habemus ; illius igitur naturam et conditiones paulo fusius exponere debemus.

273. Status diversi causarum relative ad earum determinationes. — Actus interni, qui ab aliqua causa eliciuntur, duplicis generis concipiuntur. Alii nempe ab ipsa-

met natura istius causæ ita determinantur, ut illis nequaquam carere possit. Alii autem ipsi non sunt essentiales; sed in ea tam non esse quam esse possunt.

Priores nulla, ut satis patet, libertate fruuntur; in creaturis autem, ideoque in homine, hujusmodi actus non inveniuntur; nam inter varios actus peculiares, quos successive elicimus, nullus est quo carere non possimus.

Quoad posteriores vero, triplici in statu, relative ad illos, causa concipi potest. — Primus ille est in quo nullo prorsus influxu sibi extrinseco ad hujusmodi actus producendos causa indigeret; sed, relative ad illos, perfecta, ut aiunt, et absoluta spontaneitate gauderet. Hæc prærogativa non competit nisi Deo qui solus est sibiipsi sufficientissimus; qui ideo, uti in Theodicea demonstravimus (*Theod.*, n. 222 et seqq.), summa libertate fruitur in suis actibus *ad extra*. — Secundus status ille est in quo causæ activitas ab influxibus exterioribus ita penderet, ut non solum sine illis nequaquam agere posset, sed etiam ad actum necessario per illos determinaretur. Hæc causalitatis species convenit entibus homini inferioribus. — Demum, tertius status ille est in quo causa, stimulorum quidem externorum influxu indiget ad agendum, ita tamen ut huic influxui necessario non obtemperet, illoque non obstante, ab actione possit abstinere. Talis est status in quo, prout infra ostendemus, versatur homo, saltem relative ad plures actus a se elicitos.

274. DEFINITIO LIBERTATIS A NECESSITATE SEU VOLITIONIS. — Postremus ille determinationem eliciendi modus constituit libertatem a necessitate seu volitionis. Quoties nempe causa ita prorumpit in actum, vere, in actu interno eliciendo, immunis est a quovis vinculo, id est, ad illum eliciendum necessario non determinatur. Ex una enim parte, actus ille ipsi essentialis est, et ab ejus natura non exigitur; ex altera parte, idem actus ex influxu externo necessario non profluit. Igitur, nec a necessitate interna, nec ab externa, causa determi-

natur ad præfatum actum eliciendum; ideoque, dum sese ad eum determinat, immunis est ab omni vinculo. — Propter eamdem rationem, causa, in hoc casu, *potestate agendi vel non agendi* frui dici debet. Cum enim supponatur actum elicere, vi solius activitatis sibi propriæ, et unice quia vult illum elicere, in ejus igitur voluntatis arbitrio invenitur ratio cur ita agat, proindeque aliter agendi potestatem habet.

Libertas ergo a necessitate seu volitionis, prout in creaturis invenitur, definiri potest : *Modus agendi quo principium activum influxibus externis excitatum, per propriam electionem ad hoc vel illud faciendum sese determinat.*

Hinc patet quidnam commune libertas habeat cum spontaneitate, et simul in quonam ab ea differat. In utraque scilicet invenitur activitatis determinatio. In spontaneitate autem, hæc determinatio non fit ex arbitrio et electione agentis, sed influxum externum immediate et necessario subsequitur; unde non ex activitate pura provenit, sed receptivitate admiscetur. Non ita autem de determinatione libera, quam sola activitas agentis per se producit.

275. Quomodo possibilis sit libertas in entibus creatis ostenditur. — Ex dictis sequitur duo requiri, in entibus creatis, ut libere agant : 1° ut detur influxus externus, qui vulgo *motivum* dicitur; 2° ut agens cui offertur, pro libito tamen suo, agendi retineat potestatem. Hæ duæ conditiones difficile, primo intuitu, inter se conciliantur. Necesse est enim ut excitatio dum agit in principium activum, ad actionem aliquam ipsum determinet : nulla enim receptivitas in tali principio absque activitatis exercitio concipitur. Inter excitationem igitur et actum necessaria videtur adesse connexio; proindeque, ubi excitatio necessaria est, nullus jam remanet libertati locus.+

Hujus difficultatis solutio tota pendet a modo diverso quo excitatio exterior in principium activum agit, prout illud principium est liberum aut mere spontaneum.

Cette objection serait irrésistible si l'acte réel était le résultat immédiat de l'impulsion.

Scilicet, concipi potest actionem, quæ in principio activo influxum stimuli externi necessario subsequitur, completam esse et ad aliam actionem non tendere; id est, stimulum, ex sua natura, nihil aliud quam actum, quem immediate producit, in agente exigere. In hoc casu, non adest possibilitas libertatis, nec, nisi spontanee, agentis activitas exerceri potest.

At concipitur etiam stimulum externum, præter determinationem activam quam in agente immediate producit, aliam ex natura sua exigere. Illud evenit quoties determinatio, stimuli influxum immediate subsequens, nihil aliud est quam *idea* et *motivum* alterius actus perficiendi. Posterioris illius actus necessaria quidem conditio est influxus externus: actus enim ille possibilis non foret sine idea et motivo illum perficiendi; idea autem et motivum nonnisi ab extra subjecto obvenire possunt. At simul exinde sequitur eumdem actum, dum producitur, ab influxu externo non necessario provenire, ideoque soli agentis activitati imputari debere. Actus igitur ille, ex definitionibus præcedentibus, est essentialiter liber.

Ex hac solutione, nonnulla profluunt consectaria breviter exponenda.

1° Cum libertas in entibus creatis exigat excitationem, quæ sine aliquo actu concipi non potest, quilibet igitur actus liber a nobis elicitus, actum spontaneum prærequirit. Hic actus a quibusdam vocatur *actus primus proximus* aut *primo primus;* eo quod excitationem externam immediate subsequatur. Alii eum vocant *actum idealem;* eo quod nihil aliud sit quam idea alicujus actionis perficiendæ, quam in sua mente volvit agens. Alter actus, id est actus liber, a quibusdam *actus secundus*, ab aliis vero *actus realis* appellatur. (Cf. *Tandel*, *Anthropol.* § 84, e, f.)

2° Ut actus spontaneus, per excitationem externam determinatus, actionis liberæ conditio esse possit, necesse est ut, illius ope, agens sibiipsi objiciat actionem faciendam aut omittendam. Hoc autem nonnisi ab ente intelligente perfici

potest. Libertas igitur intelligentiam essentialiter prærequirit.

3° Actus liber, ex dictis, constituitur per electionem. Porro, electio fieri non potest nisi ea conditione ut eligens, antequam agat, de actu perficiendo aut non perficiendo saltem aliquantulum cogitet. Exercitio igitur libertatis præmittenda est aliqua *deliberatio*.

276. Quodnam cogitationis elementum libertatis subjectum esse possit, expenditur. — Ut plenius perspectum fiat quænam sit libertatis natura, expendamus necesse est in quonam elemento operationum, sive cognoscitivarum, sive affectivarum, cadat ille modus determinationis.

Porro, quod attinet ad operationes cognoscitivas, evidens est libertatem nonnisi in affirmationem, quæ earum formam constituit, cadere posse. In operationibus enim hujusmodi, præter affirmationem, non inveniuntur nisi *notiones* circa quas versantur. Porro, apprehensio notionum, utpote ab influxu externo immediate proveniens, libera esse non potest.

Quod spectat ad operationes affectivas, major difficultas adest. Primo nempe intuitu possibile videtur libertatem cadere, sive in *judicium æstimationis*, sive in *volitionem* et *nolitionem*, sive in ipsammet boni *possessionem*. Agnoscere tamen debemus, vel in his operationibus, solum *judicium* immediate libertati subesse. — Etenim, inter varia operationum affectivarum elementa, illud tantum libertati subesse potest, quod quidem 1° necessario poni debet ut alia ponantur, quod 2° semel positum quamlibet libertatem in aliis impossibilem reddit. Atqui, tale est judicium æstimationis Et quidem necessario poni debet ut alia ponantur; nemo enim velle aut nolle, nemo possessione aut privatione boni felix aut infelix esse potest, nisi de bono aut malo volendo aut nolendo, possesso aut tolerato judicium æstimationis proferat. Pariter, alia operationum affectivarum elementa judicio æstimationis semel prolato necessario conformia existunt. Si enim aliter esset, hoc

judicium non necessario prærequirerent: huic enim judicio non conformari idem prorsus est ac absque illo produci.

Nunc vero, judicium æstimationis ad operationes cognoscitivas quoad naturam referri debet. Cum igitur hæ posteriores operationes nonnisi quoad affirmationem libertati subjacere possint; exinde sequitur, inter omnia facta psychologica, *solam affirmationem mentalem* liberam esse posse.

II° *Libertatis humanæ existentia astruitur.*

277. Status quæstionis statuitur. — Determinata libertatis natura, prout entibus creatis competere potest; utrum de facto hæc in anima nostra inveniatur, nunc dicendum venit. Porro, apud omnes quidem constat plurimas determinationes absque libertate ab ea produci. Quæstio est igitur utrum, saltem aliquoties, anima libere agat.

278. Libertatis humanæ impugnatores. — Libertatis humanæ impugnatores in duplicem classem apte distribuuntur, prout *directe* aut *indirecte* eam negant.

Indirecte libertatem humanam impugnaverunt illi qui propter falsum quoddam systema antea præconceptum ad libertatis negationem vi deductionum logicarum adducti sunt. Hi sunt 1° pantheistæ qui omnem activitatem individualem denegantes, volitiones quascumque ab hominibus elicitas ut substantiæ unicæ modificationes habent. Ita præsertim Spinosa. — 2° Dualistæ, consequenter ad suam de duobus principiis opinionem, libertatem quoque e medio tollebant. Cum enim, juxta ipsos, omne bonum a bono principio, omne vero malum a malo principio necessario profluat, homo nil sive boni sive mali agere potest quod ex influxu necessitante alterutrius principii non proveniat. — 3° Materialistæ, illi saltem qui nullam homini activitatem tribuunt, omnia autem in ipso ad motus organicos reduci affirmant, libertatem quoque, si sibi

constare velint, debent rejicere. — 4° Denique libertatem humanam indirecte negaverunt nostris temporibus *phrenologistæ* plurimi qui organorum corporeorum, in primis cranii tuberum, in humanam voluntatem influxum nimis extendentes, nonnunquam docuerunt hominem ad bonum aut malum ab ipsis necessario impelli. Hoc tamen consectarium phrenologistæ omnes non admittunt, nec rigorose sequi videtur ex eorum doctrina probe intellecta.

Directe tollunt libertatem, 1° *fatalistæ* proprie dicti : sic appellantur a *fato,* quo nomine designabant numen quoddam cujus influxu et dii et homines in actibus suis necessitabantur. Ita præcipue stoïci et plures alii apud veteres. — 2° Astrologi judiciarii qui ex siderum motu et influxu actus humanos necessario determinari arbitrabantur. — 3° Alii philosophi qui fatalismum non tam crassum profitentes, volitionum humanarum necessitatem ex motivorum præponderantia repetunt. Hi principii instar supponunt nullam concipi posse voluntatis determinationem, absque ullo motivo ; alioquin nulla causa assignari posset cur voluntas hanc potius quam illam elegisset. Hoc autem posito, libertas prorsus impossibilis est. Hæc enim in eo consistit quod agens sese determinet ex arbitrio. Porro determinatio ex arbitrio, foret determinatio sine ullo motivo.

Contra quos omnes sit

279. Thesis. — *Anima humana est libertate prædita.*

Prob. — Si conscientiam nostram, dum in quosdam actus erumpimus, attente interrogaverimus, statim deprehendemus 1° animam nostram ad agendum sollicitatam primum fuisse per plura motiva intellectu apprehensa ; 2° ipsam, cæteris motivis postpositis, juxta unum sese determinavisse ; 3° eamdem demum, persuasum habere se, vi proprii arbitrii, non autem vi influxus motivi cujusdam necessitantis, hanc determinationem elicuisse.

Atqui, de his tribus anima sibi ipsi conscia esse non potest, quin eo ipso sit libera. Ergo, etc...

Major consistit in mera expositione facti conscientiæ, cujus veritatem in seipso quisque deprehendere potest, quod vero nec possibile est, nec necessarium demonstrare.

Probatur itaque minor per partes.

Et quidem 1° *anima sibiipsi conscia esse non potest se antequam agat, motivis intellectu apprehensis ad agendum sollicitari, quin eo ipso sit libera.*

Ut illud constet, satis est ut ostendamus solum agentem liberum motivis intellectualibus sollicitari posse. Hoc autem sic astrui potest.

Motiva illa nonnisi ad agentem liberum dirigi possunt, quæ talis sunt naturæ ut, licet posita fuerint suumque influxum in agentem exercuerint, novam tamen agentis determinationem exigunt. Hoc principium evidentissimum esse omnes facile intelligent. Etenim, nova hæc determinatio ex motivo utique non necessario sequitur, cum eo posito nondum ponatur; ideo independenter a motivo seu libere, ab agente produci debet.

Nunc vero, talia sunt quælibet motiva intellectu apprehensa. Hæc enim motiva in eo consistunt quod agens actionis perpetrandæ ideam habeat, simulque hanc vel bonam in se aut malam, vel sibi jucundam fore aut injucundam, etc... intelligat. Evidens est autem horum intellectionem, proindeque motivi intellectualis influxum in agentem, actionem ad quam sollicitat per se non determinare; intelligere enim actionem aliquam bonam esse aut malam, jucundam aut injucundam, etc... et illam perpetrare, sunt profecto duo valde distincta.

Ergo, 1° anima sibiipsi conscia esse non potest se, antequam actionem eliciat, motivis intellectualibus ad agendum sollicitari, quin eo ipso sit libera.

2° *Ex eo quod anima sibi conscia sit quod, aliis motivis postpositis, juxta unum eorum sese determinet, sequitur iterum hanc esse liberam.*

Ad hujus conclusionis veritatem demonstrandam sic procedimus.

Agens qui, pluribus motivis sollicitatus, sive juxta unum, sive juxta alterum, agere potest pro suo libito, liber profecto dici debet. Atqui, anima non potest, aliis motivis postpositis, juxta unum tantum sese determinare, quin sive juxta unum motivum, sive juxta alterum pro suo libito agere valeat. Ergo, etc...

Prob. maj. — Libertas in eo consistit, ex supra dictis, quod agens, dum aliquam elicit actionem, possit, pro suo arbitrio, hanc vel illam elicere. Porro, quicumque ex pluribus motivis, unum aut alterum, ut juxta illud agat, eligere potest pro suo libito, hac utique prærogativa fruitur. Ergo, etc...

Prob. min. — Quando anima, aliis motivis postpositis, juxta unum tantum sese determinat, huic determinationi duplex tantum causa assignari potest, nempe : 1° vis electiva in anima residens, cujus ope, motivum motivo anteponere aut postponere potest ; 2° prædominantia ex parte motivorum objective spectatorum. Prius manifeste nostram thesim astruit. Posterius autem dici nequit.

Etenim 1° inter plures actiones, quæ nobis faciendæ occurrunt, sæpe unam elicimus, quin possibile nobis sit de nostra determinatione nobisipsis rationem reddere, quin proinde prædominantia unius motivi nos ad agendum modo fatali induxerit. Thomas Reid in hujus facti probationem affert exemplum hominis qui, debitum solvere volens ex pluribus nummis perfecte similibus, unum, cæteris relictis, e crumena extrahit.

2° Ut motiva sibi invicem prædominari dici valeant, necesse est ut sit mensura communis cui comparari possint, ut proinde participent de eadem realitate in diverso gradu. Atqui, illud sæpe non evenit. Plerumque enim varia motiva, quæ nos impellunt ad agendum, reducuntur ad duo, quorum unum ex consideratione boni sensibilis, alterum vero ex consideratione boni in se desumitur. Atqui, inter hæc duo motiva, nulla mensura communis, cujus ope, in se invicem prædominare

possint, assignari valet ; bonum enim sensibile cum bono in se nihil commune habet.

3° Demum, si determinationes animæ ex prædominantia objectiva motivorum desumerentur, cum hæc semper sit eadem, semper quoque in concurrentia eorumdem motivorum, eadem foret nostra determinatio. Atqui, illud iterum non evenit, experientia teste. Ergo, etc...

Ex eo igitur solo quod anima pluribus motivis sollicitata, juxta unum, cæteris relictis, sese determinet, concludere possumus, eam posse, pro libito suo, juxta unum aut alterum sese determinare. Unde demum concludere possumus hanc esse liberam.

3° *Ex eo quod anima sibi conscia sit de intima suæ libertatis in agendo persuasione*, *sequitur ipsam esse liberam.*

Ut legitima sit hæc conclusio, tria requiruntur et sufficiunt : 1° ut persuasio animæ de sua libertate, in aliquo casu, essentialiter includat persuasionem motiva, quibus ad agendum impulsa est, non fuisse necessitantia ; 2° ut posteriorem hanc persuasionem anima habere non potuerit, quin eo ipso motiva vim necessitantem in hoc casu non habuerint ; 3° ut demum quælibet actio, cujus motiva non fuerunt necessitantia, sit eo ipso libera.

Atqui, hæc tria constant.

Primum quidem. — Evidens est enim quod credere esse liberum in aliqua actione, idem est ac credere actionem hanc provenire a sua electione, proindeque independenter ab influxu motivorum effectam fuisse.

Secundum quoque. — Etenim, influxus motivorum est aliquid subjectivum, quod non potest in anima existere nisi in quantum de illius præsentia anima sibi conscia est. Non potest igitur in animam vim necessitantem exercere, nisi anima illud advertat. Proindeque eo ipso quod, in aliquo casu, persuasum habeat influxum, de quo agitur, vim necessitantem non exercuisse, rem ita se habere omnino certum est.

Tertium tandem. — Nam, eo ipso quod motivorum influxus non est necessitans, actio a sola animæ activitate provenit. Porro, actio particularis quæ ita producitur, ut a sola agentis activitate proveniat, non potest esse nisi libera, id est, ita producitur ab agente, ut, si ita voluisset, potuisset non producere. Cum enim hæc actio agenti ab extra non imponatur, si libera non esset, ad naturam subjecti essentialiter pertinere dici deberet. Hoc autem dici nequit; alioquin subjectum semper actionem hanc eliceret, quod utique pro nulla actione peculiari evenit. Ergo, etc...

Ex his omnibus concludere possumus libertatis humanæ factum ex testimonio conscientiæ evidenter deduci, ideoque omnino inconcussum existere.

Solvuntur objectiones.

280. Obj. — Voluntas humana ad nihil sese determinare valet, nisi aliquo motivo impellatur. Atqui, hoc posito, libera non est. Vel enim unico motivo impellitur ad agendum, vel nullo, vel pluribus. Si primo, necesse est ut agat juxta illud motivum. Si secundo, agere non poterit. Si tertio, vel fortiori motivo obtemperabit, si sint inæqualia ; vel nihil aget, si sint æqualia ; tunc enim perinde se habet ac si nullum motivum haberet.

Resp. Dist. maj. — Voluntas humana ad nihil sese determinare valet, nisi ab aliquo motivo impellatur, *in eo sensu quod, sicut aliæ causæ creatæ, aliqua excitatione externa indigeat, ut possit ad actum erumpere,* concedo : *in eo sensu quod motivo etiam indigeat ut ex pluribus excitationibus uni potiusquam alteri obsequatur,* nego. — Distinguo minorem in eodem sensu. — Fatemur nempe voluntatem humanam nunquam se posse ad aliquid determinare, si ipsi prorsus desit excitatio externa. At negamus hanc speciali motivo indigere ut, ex pluribus excitationibus quæ simul illam trahunt, unam potiusquam alteram eligat. Ratio electionis in hoc casu desumi debet ex ipsamet voluntate libera cujus hoc est singulare privilegium, ut possit pro nutu suo ad hoc vel illud sese determinare. Hoc privilegium 1° quidem, licet propter obscuritatem ideæ causæ inhærentem,

perfecte concipi non possit, nulla tamen ratione in se repugnare ostendi potest. 2° Imo, in aliqua voluntate, scilicet saltem in divina, ipsum inveniri debere, ideoque ad minus possibile esse, facile probatur, notionum ontologicarum ope. Etenim, ideam habemus entium contingentium, seu quæ tam possunt non existere, quam existere. Porro, concipi non possunt entia hujusmodi, quin simul concipiamus voluntatem quæ ad illorum productionem sese determinare possit pro suo libito, et absque ullo motivo extrinseco. Non repugnat igitur, imo et admittenda est, saltem in Deo, voluntas quæ sit suarum determinationum domina, quæ ideo, inter duo, quodcumque placuerit eligat absque ullo motivo speciali, quo ad unum potiusquam ad alterum determinetur. 3° Demum prærogativam, de qua agitur, Deum homini contulisse probant argumenta ad thesim astruendam allegata, ex quibus constat hominem, dum agit, motivis quibus impellitur non ita subjici, ut eorum influxui sese subtrahere non possit; hoc enim posito, admittere necesse est, in voluntate, potestatem sese pro suo libito, proindeque libere, determinandi.

281. Inst. 1°. — Homo non potest agere contra propriam felicitatem. Atqui, si, ex duobus motivis inæqualibus, voluntas fortiori resistere posset, homo tunc contra suam felicitatem agere posset. Ergo, etc...

Resp. Dist. maj. — Homo non potest agere contra propriam felicitatem, *in eo sensu quod non possit amare quod prius sibi bonum, imo magis bonum esse non judicavit*, concedo ; *in eo sensu quod non possit judicare illud sibi esse melius, quod reipsa tale non est*, nego. — Distinguo minorem in eodem sensu : scilicet, si, ex duobus motivis inæqualibus, voluntas fortiori resistere posset, homo tunc contra suam felicitatem agere posset, id est, *judicare posset illud sibi esse melius, quod reipsa talis non esset*, concedo ; id est, *quod sibi minus bonum judicaret, hoc tamen magis amare posset*, nego. — Responsio patet ex dictis.

282. Inst. 2°. — Ex eo quod, in rebus physicis, varia phænomena alia aliis succedere deprehendamus, recte concludimus inter ipsa connexionem necessariam existere. Atqui, eadem uniformitas invenitur inter hominum actiones et motiva quibus impelluntur. Ergo, pari jure judicare debemus eamdem inter illa connexionem adesse.

Resp. Neg. min. — Nam 1° quis dixerit eamdem esse connexionem inter injuriam viro iracundo illatam, et iram ab hac injuria excitatam, quam inter appositionem ignis sulfureo pulveri et hujusce pulveris combustionem. — 2° Etiamsi in rei ve-

ritate adesset connexio ab adversariis allegata, hæc nobis nulla via constare posset, saltem relative ad alios homines : vis enim motivorum quibus ad agendum impelluntur alii, plerumque nos omnino latet. — 3° Et certe si per solas apparentias judicare liceat, perspicuum nobis est, neque diversa et opposita motiva, diversas actiones, neque eadem motiva easdem actiones in variis hominibus, imo et in eodem homine constanter producere.

283. Inst. 3°. — Illa inter actiones humanas et earum motiva admittenda est connexio, qua sublata, tollerentur prudentiæ regulæ, rerum politicarum administratio, ars oratoria, etc... Atqui, sublata connexione necessaria inter actiones humanas et earum motiva, hæc ipsa tollerentur. Ergo, etc...

Resp. Neg. min. — Nam 1° admissa libertate humana, proindeque rejecta connexione necessaria, de qua loquitur objectio, semper verum erit dicere motiva in humanam voluntatem vim habere quam maximam : in his igitur saltem fundari poterunt conjecturæ probabilissimæ, circa rationem agendi plerorumque hominum. Porro, hæ conjecturæ, ad statuendas prudentiæ regulas, etc... abunde sufficiunt. — 2° In ipsamet adversariorum sententia, nihil aliud quoque haberi potest quam major probabilitas. Ut enim de futuris hominum actionibus pronuntiemus, non sufficit connexionem necessariam adesse inter has actiones et earum motiva, requiritur etiam ut cognoscatur quænam sit vis motivorum, relative ad unamquamque voluntatem : porro, illud cognosci non potest, nisi cum majori probabilitate. Constat enim idem motivum, modo vividius, modo segnius, in voluntates diversas, necnon et in eamdem voluntatem agere, pro uniuscujusque indole et circumstantiis in qua versatur. — 3° Etsi a sola connexione actionum et motivorum penderet certitudo prævisionum, de quibus agitur in objectione, minime requireretur hanc connexionem esse necessariam ; hanc enim infallibilem esse sufficeret. Porro, infallibilitas connexionis inter actiones et motiva, libertati humanæ nullatenus officit (1).

§ 3. *De Habitudine.*

284. Habitudinis definitio. — Habitudo est *modus quidam agendi in eo consistens quod anima, propter frequentem*

(1) Objectiones contra libertatem quæ tum ex scientia Dei, tum ex ejus concursu desumuntur, hic tacemus ; jam enim in Theodicea solutionem obtinuerunt.

quorumdam actuum electionem, in illis producendis absque ulla deliberatione, data occasione, erumpit.

Exinde facile concludere possumus in quonam habitudo, sive a spontaneitate, sive a libertate differat, et simul quomodo de illis aliquatenus participet. In hoc nempe spontaneitati similis est et libertati dissimilis, quod absque deliberatione agat; unde licet agens, qui habitudine ducitur, ab actu absolute possit abstinere, hæc potentia, de qua sibi rationem non reddit, est, relative ad productionem actus, quasi non exsisteret, sicque actum liberum efficere non potest. Ex altera parte, habitudo a spontaneitate differt et cum libertate convenit, in eo quod actus ad quos inducit non sint, ut in spontaneitate, ab ipsamet natura postulati; nam repeti debent ex agentis arbitrio, non quidem actualiter sese exercente, sed per plura exercitia illorum productionem determinante. Hinc habitudo semper in libertatis exercitio originem habet.

285. Diversi habitudinis gradus. — Habitudo, quam modo definivimus, est habitudo in gradu intenso, in qua nempe nihil amplius libertatis remanet. Observandum est autem alios esse habitudinis gradus in quibus libertas adhuc superest. licet non plena, sed imminuta. Cum enim, ex dictis, habitudo formetur per repetitionem actuum, ex qua fit actum ab agente absque deliberatione tandem produci; non igitur subito formatur, sed paulatim ac sine sensu. Hinc inter primum actum qui plene liber fuit, et ultimum qui penitus libertate caret, alii sunt numero plurimi qui neque plene spontanei sunt, neque plene liberi, sed eo magis sunt hoc vel illud, quo magis ad primum vel ad ultimum actum sunt propiores.

286. Habitudinis existentia. — Nunc vero animam nostram sæpe sæpius habitudine duci, sive in actibus cognoscitivis, sive in actibus affectivis, facile constat. Sic, pro prioribus, qui alicui scientiæ ediscendæ diu operam dedit, quasi naturaliter et absque expressa mentis determinatione, de illius scientiæ objecto cogitat et ratiocinatur. Sic iterum, pro pos-

terioribus, qui iracundiæ sæpius cedere consuevit, aut alii inclinationi naturali nimis indulsit, illius ita habitudinem contrahit, ut, vel ante libertatis exercitium, in ejus actus patrandos erumpat.

Observandum est habitudinem non pro anima tantum, sed pro ipsomet organismo, cui conjungitur, locum habere. Præcipuus effectus quem in eo producit est habilitas et peritia eximia quas illi confert ad exsequendas operationes per quas sese manifestat habitudo.

ARTICULUS TERTIUS.

De Variis statibus in quibus anima evoluta, relative ad operationum suarum productionem, constitui potest.

287. Status exponendi enumerantur. — Hi status sunt: 1° diversæ vitæ ætates, 2° alternationes periodicæ somni et vigiliæ, 3° amentia et status rationis.

§ 1. *De diversis ætatibus vitæ.*

288. Ætatum vitæ definitio. — Ætates vitæ sunt quasi phases variæ transformationum quas, a nativitatis instanti usque ad mortem, anima subit, et quæ haberi possunt quasi diversi gradus evolutionis phychologicæ.

289. Ætatum divisio generalior. — Tres præcipuæ distingui possunt : nempe *infantia*, *ætas adulta* et *senectus*.

Unaquæque illarum tum in anima, tum in corpore, suos habet characteres proprios. — 1° Quoad corpus, hi characteres consistunt in majori vel minori illius aptitudine ad varias vitæ humanæ functiones obeundas. Scilicet, in *infantia*, organismus nondum evolutionem ipsi competentem obtinuit ; in *ætate adulta* perfectionem quæ illi convenit possidet ; in *senectute* demum decrescunt illius vires et ad interitum paulatim vergit. — 2° Quoad animam, uniuscujusque ætatis characteres præcipue desumuntur

ex diversitate modi quo suas producit operationes. In infantia scilicet anima præcipue spontaneitate ducitur; in virilitate libertas prædominat; in senectute demum, actus plerumque habitudine determinantur.

290. Uniuscujusque ætatis limites stricte determinari non possunt. — Cæterum observandum est ætatum limites modo prorsus exacto determinari non posse. Scilicet, anima primum nonnisi spontanee agit. Mox in quosdam actus liberos erumpit; et quo magis crescit horum actuum numerus, eo magis ad virilem ætatem accedere dici debet, infantiamque relinquere. Idem dic de virili ætate relative ad senectutem: Unde variæ ætates non præcise haberi debent tanquam puncta determinata, sed potius tanquam limites quidam a quibus recedimus, aut ad quos accedimus lento insensibilique progressu.

§ 2. *De Alternatione Somni et Vigiliæ.*

291. Quæstiones expendendæ enuntiantur. — Tota vita nostra consumitur in alternatione duorum statuum, quorum unus *vigilia*, alter vero *somnus* nuncupatur. Quid sit vigilia sufficienter cognoscimus; est, ut ita dicam, status normalis et ordinarius animæ nostræ, nec ut status distinctus concipitur, nisi per oppositionem ad somnum per quod periodice interrumpitur. De hoc igitur posteriori statu in præsenti Paragrapho solummodo tractabimus.

Varia phænomena quæ, relative ad somnum, nobis testatur experientia, primum exponemus; postea quisnam status animæ et corporis somnum proprie constituat, seu quænam sit theoria somni explicativa, determinare conabimur; demum propter quemnam finem somno periodice subjiciamur, inquiremus.

I° *Phænomena Somni.*

292. Divisio phænomenorum somni. — Phænomena somni ad triplicem classem reduci possunt, prout pertinent vel ad transitum a vigilia ad somnum, vel ad somnum ipsum, vel demum ad reditum a somno ad vigiliam.

293. Phænomena transitus vigiliæ ad somnum. — Quoad

transitum a vigilia ad somnum, hic consignare debemus quibusnam in circumstantiis somnus ordinarie producatur. Hæ circumstantiæ sunt : 1° reditus temporis in quo, vi legis periodicitatis a natura ipsa institutæ, somno indulgere solemus; 2° defatigatio extraordinaria; 3° quælibet impressio quæ, simul ac attentionem nostram ab ipsius cogitationibus ordinariis retrahit, nihil tamen habet quod illam possit vividius occupare, ut v. g. motus lentus et continuus, strepitus uniformis, declamatio oratoris tædiosi, etc.

294. Phænomena durante somno observata. — In ipsomet somno hæc observantur. — 1° Quod spectat ad corpus, vitæ animalis functiones exercentur, sicut et in vigilia ; cum his tamen modificationibus, quod secretiones imminuantur, quod organismus influxibus externis v. g. temperaturæ, magis cedat, quod circulatio sit lentior, inspirationes et expirationes longiores sint et rariores. Organa autem relationis, per successivam musculorum relaxationem, non eodem sensibilitatis gradu fruuntur. — 2° Quod ad statum animæ spectat, quando somnus altior est, quid in ea peragatur scire non possumus ; quando autem non ita profunde somno immergitur, pluribus afficitur distinctis cogitationibus, ordinarie parum sibi cohærentibus, quarum quidem veritati tunc invicte credit, quarum vero illusionem statim ac evigilat facile agnoscit. Sic constituuntur somnia. Hæc plerumque nihil aliud sunt quam imperfecta reproductio cogitationum, quibus in vigilia mentis nostræ attentio vividius inhæsit. — 3° Quod demum spectat ad relationes corporis et animæ ad invicem, non quidem penitus cessant ; sed propter relaxationem musculorum, qui sunt illarum instrumenta, plus minusve disturbantur. Hinc organa sensuum non tam distincte ad animam perducunt externas impressiones. Hinc iterum organa motuum non tam facile animæ imperio obsequuntur. Quandoque tamen in hujusmodi organa anima eumdem ac in vigilia influxum retinet, sicque producitur phænomenon *somnambulismi*, quod tamen nonnisi in quibusdam individuis locum habet.

295. Phænomena evigilationis. — Relative ad evigilationem, hæc observatione digna videntur. — 1° Multiplex causa hanc potest producere. Primo loco reponi debet cessatio causæ quæ nobis somnum invexit. Sæpe etiam expergiscimur, propter commotionem extraordinariam in corpore nostro excitatam. Demum evigilare possumus propter determinationem firmam nostræ voluntatis post tale tempus evigilandi. — 2° Variæ illæ causæ non semper eodem modo evigilationem producunt. Quandoque enim

subito expergiscimur; quandoque per lentos progressus a somno ad vigiliam transimus; quandoque demum anima primum expergiscitur, plurimosque conatus adhibet ut corpus, quod adhuc somni vinculis constringi cognoscit, expergefaciat; hinc quasi lucta quædam quæ completam evigilationem demum producit. — 3° Quando, somno recedente, ei succedit vigilia, de præcipuis saltem somniorum nostrorum circumstantiis ordinarie recordamur, at simul eorum illusionem facile agnoscimus. Unde, nec de bonis tunc actibus nobismetipsis gratulamur, nec de pravis actibus, quos peragere persuasum habuimus, nos remordet.

II° *Theoria Somni.*

296. Somnus sive in animam, sive in corpus influxum exercet. — Ex factis modo enumeratis manifeste sequitur duas substantias, quæ hominem constituunt, quasdam in somno modificationes experiri, ac proinde, tum pro corpore, tum pro anima somnum existere. Quidnam autem pro utraque hac natura somnus esse possit, nunc dicendum venit.

297. Status corporis in somno. — Quoad corpus, libenter cum quibusdam diceremus ipsius somnum consistere in recessu fluidi nervosi ex variis corporis partibus ad suum fontem. Scilicet, norunt physiologiæ periti vitæ relationis organa esse 1° *encephalum*, 2° *nervos* qui in encephalo originem habent. Hæc organa suas functiones exercent cujusdam ope fluidi, quod vulgo *nervosum* nuncupant. Fluidum illud in *cerebro* productum, exinde usque ad extremas corporis partes nervorum ope deducitur, estque principium duplicis proprietatis qua gaudent varia organa, tum motus experiendi ad animæ nutum, tum sensationes in anima producendi. Porro, in somno, fluidum istud, saltem quoad majorem illius partem, a cerebro resorbetur. Hinc relaxatio musculorum qui sunt organa productiva motuum, hinc etiam insensibilitas organorum sensitivorum, variaque phænomena quæ, somno durante, corpus afficiunt.

298. Status animæ in somno. — Quoad animam, somnus consistere videtur in eo quod transitorie privetur libera directione suæ activitatis. Cum tamen hoc non obstante, activitas indesinenter exerceatur, sive in cogitationes præteritas, memoriæ ope conservatas, sive in impressiones sensibiles, etiam nunc mediantibus organis, receptas, horum elementorum ope mens producit

easdem operationes ac in vigilia. Nec aliud inter has et illas discrimen adest, nisi quod priores, utpote absque libertate peractæ, nullum inter se ordinem habeant, sed idearum associationibus insolitis et fortuitis constituantur. Exinde sequitur vitam animæ in somno assimilari posse huic vigiliæ statui, in quo anima dominii quo in actus suos pollet, itemque realitatum externarum, quasi oblita, fluxuque cogitationum, prout sese offerunt, abrepta, imaginationis figmentis penitus indulget. Inter duplicem hunc statum illud tantum discriminis adesse videtur quod, in posteriori, anima libertate sua polleat, licet ea non utatur; dum, in priori, hac prærogativa omnino privatur. Hinc somnia vigiliæ facile abrumpuntur, statim ac anima vult ab illis recedere; de his autem quæ in somno animam occupant idem dici non potest, teste experientia.

Quomodo, hujus theoriæ ope, varia facta superius enuntiata explicaremus, facile ab unoquoque intelligi potest. Fatendum tamen inter hæc nonnulla existere, ut v. g. somnambulismus, quorum explicatio sufficiens adhuc desideratur.

III° *Finis Somni.*

299. Somni effectus. — Experientia teste, somni effectus est nos a lassitudine, quam in vigilia contraximus, recreare : in hoc igitur somni finem reponere possumus.

At inquiri potest in quo consistat recreatio, quam somnus confert, sive pro corpore, sive pro anima.

300. Quomodo somnus organismum recreet, expenditur. — Cum pluribus physiologistis libenter admitteremus recreationem, quam somnus confert organismo, in eo consistere quod, in illo statu, fluidi nervosi amissiones reparentur. Jam nempe vidimus quomodo fluidum istud quarumlibet relationum inter animam et corpus instrumentum existat ; hic autem addere debemus quod idem fluidum, dum ad hunc scopum inservit, simul absumitur et deperditur. Cum igitur, in vigilia, anima indesinenter moveat organa corporea et ab illis sensationes recipiat, facile concipitur perpetuas fluidi nervosi amissiones organismum experiri debere, dum in illo statu versatur. Hinc defatigatio, quæ nihil aliud est quam sensus injucundus quem, propter nimiam fluidi nervosi amissionem , experitur anima. Porro, cum in somno, anima nullos

fere motus in corpore producat, nec nisi levissimas experiatur sensationes, facile concipitur quomodo tunc fluidum nervosum, in vigilia amissum, abunde reparetur.

301. Quomodo somnus recreet animam expenditur. — Eo ipso quod somnus recreet corpus, animam quoque recreat, quatenus melioris status, quem somnus corpori confert, conscientiam habet.

Præterea autem nonnulli existimaverunt animam ex somno directe recreari.

Etenim, in vigilia, cogitationis exercitium quasi vinculis impeditur, dum libertate moderatum, non permittitur solam suæ spontaneitatis directionem sequi. Hinc defatigatio quam in cogitando experimur. Somnus igitur in quo activitas nostra sibiipsi penitus permittitur, jugoque excusso circumquaque, prout illi placet, vagari potest, aliquam relaxationem menti afferre debet. Ita in primis D. Jouffroy in fragmento *de somno*, ipsius *Miscellaneis* inserto.

Inter hæc, fatemur difficile nobis esse concipere quomodo cogitationes rationabiles vigiliæ mentem nostram defatigari possent. Equidem, lassitudinem aliquam nobis infert diuturnior et attentior cogitatio ; hæc autem lassitudo verisimiliter non provenit nisi ab organismo, quatenus est cogitationis instrumentum. Libenter igitur diceremus somnum solummodo corpus directe recreare, huncque statum in eo tantum sensu eumdem effectum pro anima producere quod, vi unionis qua conjungitur corpori, hoc in bono aut in malo statu esse non potest, quin illa jucunde aut ægre afficiatur.

§ 3. *De Amentia et rationis usu.*

302. Usus rationis definitio. — Usus rationis nomine designamus hunc statum in quo homo, e prima infantia eductus, dominio suiipsius per libertatis exercitium fruitur, sive actualiter hac prærogativa utetur, ut in vigilia, sive non actu utetur, ut in somno.

De hoc statu nihil speciale dicendum habemus; tantummodo igitur tractabimus de amentia quæ illi directe opponitur, breviterque illius naturam, species et causas expendemus.

303. Natura amentiæ. — Amentia definiri potest : *Status*

in quo anima libera activitatis suæ directione destituitur, propter casum accidentalem et ex natura sua habitualem.

Prima definitionis pars continet quasi amentiæ genus, quod nempe illi et pluribus aliis animæ statibus, in quibus quoque hæc libertate privatur, commune est. Differentia autem illius specifica per postrema verba declaratur. Scilicet 1° quatenus a casu accidentali provenit, distinguitur a somno qui ex ipsamet constitutione naturali hominis profluit. 2° Quatenus casus ille accidentalis, ex natura sua habitualis esse debet, amentia distinguitur tum a delirio, quod ab ardore febris oritur, tum ab ebrietate, tum etiam a privatione transitoria libertatis quam pavor, vehemens libido, etc., producere possunt.

Dixi *ex natura sua habitualis*, id est, quod absolute per totam vitam perseverare potest, licet quoque absolute, sive ex seipso, sive per remedia congruentia, cessare possit.

304, Amentiæ formæ. — Amentia duplicem formam habet, nempe : *delirium* seu *hallucinationem* et *irresistibilitatem*. — Prior forma consistit in perturbatione quam defectus libertatis in exercitio operationum cognoscitivarum inducit. — Posterior refertur ad operationes affectivas quæ, absente libertate, nulli regulæ subjacent. Observatione dignum est irresistibilitatem. quæ amentiam constituit, distingui debere ab alia irresistibilitate mere organica, vi cujus homo, licet sua ratione perfecte fruens, ad actus violentiæ et furoris externe perpetrandos invincibiliter impellitur, ut evenit in *hydrophobia*.

305. Species amentiæ. — Diversi gradus diversique characteres, juxta quos delirium et irresistibilitas in amentia inveniuntur, varias illius species constituunt. In illarum classificatione statuenda plurimum inter se discrepant physiologistæ. Classificationem quam tradit Dr Pinel afferre nobis sufficiat.

Juxta hunc auctorem, amentia dividi potest in *maniam*, *melancholiam*, *dementiam* et *idiotismum*.

1° *Mania* est delirium generale cum agitatione, irascibilitate, et ad furorem propensione.

2° *Melancholia* est delirium exclusivum, seu, vel ad objectum, vel ad quoddam genus objectorum limitatum, cum morositate, dejectione, ad desperationem propensione. Quandoque appellatur *monomania*.

3° *Dementia* a speciebus præcedentibus in eo differt, quod mania et melancholia capti, aliquem adhuc ordinem, aliquam, ut ita dicam, concatenationem in suis ideis et ratiociniis os-

tendunt; dum, in dementibus, ideæ nullis vinculis sibi cohærent, facultasque judicandi et ratiocinandi pene consopita videtur.

4° *Idiotismus* eosdem ac dementia præ se fert characteres. Ab ea in eo tantum discrepat quod proveniat a vitio congenito; dum dementia nonnisi in vitæ decursu advenit. Hinc dementia a nonnullis *idiotismi accidentalis* nomine designatur.

306. Causæ amentiæ. — Causa amentiæ duplicis generis esse potest, *moralis* nempe et *physica*. — 1° *Physica* ea est quæ organismum directe afficit. Sic experientia constat amentiam sæpius advenisse post morbum aut aliquam læsionem organicam, præsertim encephali. — 2° *Moralis* dicitur amentiæ causa quæ ad animam directe pertinet, ut v. g., *afflictio vividior*. Quando amentia ex hac posteriori causa provenit, expendunt auctores utrum ille status per causam, de qua agitur, immediate producatur; an vero causæ hujus moralis effectus immediatus sit læsionem organicam producere, ex qua demum nascitur amentia. Quænam ex his duabus hypothesibus sit verior, difficile est pronuntiare; attamen, in posteriorem admittendam magis inclinaremus.

CAPUT TERTIUM.

De interna evolutionis animæ testificatione, seu de Conscientia.

307. Conscientiæ notio generalior. — Divisio capitis. — Non solum anima sese evolvit, per varietatem operationum quas in præcedenti capite descripsimus; verum etiam hanc suiipsius evolutionem cognoscit, seu illius conscientiam habet. Quomodo hoc efficiatur hucusque dicere omisimus, ut in expositione factorum psychologicorum eumdem, quem in sua productione habent, ordinem servaremus; pro anima enim prius est, saltem logice, operationem producere, quam de hujus productione sibi conscia esse. Hinc conscientia haberi potest ut evolutionis animæ consectarium et quasi ultimum complementum.

Triplicem gradum in conscientia distinguere possumus. Primum *conscientiam simplicem*, secundum *conscientiam personalem*, tertium *conscientiam scientificam* appellabimus. Hinc triplex articulus.

ARTICULUS PRIMUS.

De primo conscientiæ gradu, seu de conscientia simplici.

308. Conscientiæ simplicis definitio. — Conscientia simplex, quam et *sensum intimum* et, minus recte, *perceptionem internam* alii vocant, est *actus quo mens in seipsam quasi sese replicans, variorum factorum, quæ apud eam in instanti præsenti peraguntur, distinctam cognitionem acquirit.*

Singulæ hujus definitionis voces per seipsas satis intelliguntur, nec ulteriori explicatione indigent.

At circa conscientiam simplicem inquiri potest: 1° utrum constituat operationem distinctam a factis circa quæ versatur, 2° quomodo producatur, 3° in quotuplicem classem, relative ad conscientiam simplicem, animæ facta distribui debeant.

I° *Utrum conscientia simplex sit operatio realiter distincta a factis circa quæ versatur?*

Hoc de puncto duplex hypothesis opposita propugnari potest.

309. Prior opinio. — Plerique auctores, si eorum mentem bene assequamur, conscientiam simplicem habent ut operationem distinctam, qua nempe facta interna mens intuetur et affirmat eodem modo ac relative ad objecta sibi extrinseca utrumque efficit. Unde in numero operationum cognoscitivarum conscientia reponi deberet. Juxta illam opinionem, quod-

libet animæ factum in ipsamet illius productione ab anima nullatenus cognoscitur. Vix autem productum ab anima producente cognosci potest; et sic producitur *conscientia*. Hoc tamen pro omnibus factis psychologicis non evenit; plurima enim a conscientia, circumstantiis id volentibus, nunquam attingi poterunt. Hinc distinctio factorum *directorum* et *reflexorum*, quam omnes psychologici admittunt. Facile videtur distinctionem hanc ab his quorum placita hic exponimus, necessario esse admittendam: in eorum enim conscientiam explicandi modo, quodlibet factum reflexum prius in statu directo existere debuit.

310. Posterior opinio. — Juxta secundam hypothesim, conscientia operationem distinctam in anima non constituit. Nihil aliud igitur in anima supponit, præter factum cujus conscientia habetur, quatenus de illius productione mens sibi rationem reddit, nec ideo circa factum *productum,* sed circa factum *in fieri productionis*, ut veteres aiebant, exercetur.

Hinc 1° quodlibet animæ factum conscientiam simplicem comitem habet. Antequam autem anima distincte cogitet, imo et sæpissime in ipsomet distinctæ cogitationis statu, valde levis est hæc conscientia, et sicut cogitatio cui comes venit, indistincta.

Hinc 2° facta quæ semel in statu directo fuerunt producta, reflexa nunquam fieri poterunt. Vix enim productæ, non jam ad conscientiæ, sed ad memoriæ dominium cogitationes pertinent.

Hinc 3° absolute fieri posset primum animæ factum cum reflexione produci, factum enim reflexum nullam per se cum facto directo, a quo præceditur, connexionem habet. Facta autem directa ad productionem factorum reflexorum, quæ illa subsequuntur, in hoc tantum inserviunt, quod sint occasiones quæ attentionem mentis ad reflexe cogitandum determinent.

311. Conscientiam non constituere operationem distinctam ostenditur. — Ex his duabus hypothesibus, sola

posterior nobis adoptanda videtur. Etenim 1° conscientia ipsa testatur, quando eam sedulo volumus interrogare, ipsam cum productione facti, quod per illam constat, omnino confundi; non enim de alia re conscii sumus quam de facto quod cum advertentia in nobis peragitur. — 2° Si de aliquo facto conscientiam habere non possemus, nisi operationis distinctæ ope, qua illud factum tanquam cognitionis objectum apprehenderemus, ad hujus novæ operationis conscientiam habendam, tertia operatio iterum requireretur et sic in infinitum. Hoc autem posito, conscientia cujuslibet facti interni omnino impossibilis foret. — 3° Ad conscientiam requiritur ut factum, circa quod versatur, sit præsens, id est, in eodem temporis instanti peragatur, ac ipsummet conscientiæ factum; alioquin conscientia penitus cum Memoria confunderetur. Atqui, in hypothesi quam confutamus, istud non eveniret. Etenim, si conscientia non potest exerceri nisi circa factum jam productum, id est, in suo esse completum, illi proinde succedit; cumque varia vitæ psychologicæ instantia per successiones factorum psychologicorum unice constituantur, factum de quo habetur conscientia, et factum per quod habetur, in eodem instanti esse non poterunt. Ergo, etc....

II° *Quonam modo conscientia simplex in anima producatur.*

312. Duplex quæstionis respectus distinguitur. — Hæc quæstio duplicem aliam quæstionem iterum includit: nempe 1° quomodo anima de suis factis internis conscia esse possit; 2° quanam ratione conscientiam hanc ab ipsomet facto quod testatur valeamus distinguere.

Ad Prius respondendum est conscientiam simplicem essentialem esse cujuslibet facti cogitationis proprietatem. Hoc enim factum, cujuscumque cæterum naturæ existat, idealem

cognitionem, id est intuitivam intelligibilis objecti apprehensionem semper includit. Porro, cognitio idealis talis est naturæ ut in subjecto inveniri non possit, quin subjectum illud ipsius præsentia afficiatur, quin proinde hanc se habere sciat; factum enim intellectuale alio modo afficere non concipitur subjectum in quo residet. Nunc vero, scire se aliquo cogitationis facto affici, aut illius conscientiam habere, sunt profecto quid unum et idem.

Ad Posterius, dicendum est distinctionem quam adesse pronuntiamus inter conscientiam facti et illud factum mere abstractivam esse. Nimirum, supra vidimus quomodo anima, dum cogitationis actum cum attentione exercet, potestatem abstrahendi, id est, res etiam essentialiter unitas separatim considerandi, possidet. Vis autem illa abstractiva non solum versatur circa varios respectus realitatis objectivæ, ad quam terminatur cogitatio; sed etiam circa illud omne quod cogitationem constituit, sive objective, sive subjective. Porro, talis est facultas, cujus ope, conscientia distincta in nobis producitur. Hæc enim nihil aliud est quam ipsummet cogitationis factum, ut status animæ subjectivus abstractive consideratum. Igitur, quando mens, in alicujus cogitationis productione, attentionis aciem ad illius objectum præcipue vertit, sive judicii sive amoris actum elicere dicitur; quando autem ad modificationem quam idem factum in seipsa producit præcipue attendit, tunc dicitur de illo facto conscia esse, seu actum conscientiæ producere.

III° *In quotuplicem classem, relative ad conscientiam simplicem, animæ facta distribui debeant?*

313. Actus directi et reflexi. — Duplex, relative ad conscientiam simplicem, distingui potest actuum internorum classis: una quæ actus *directos*, altera quæ *reflexos* continet. Quomodo discrimen inter hos et illos explicent qui statuunt

conscientiam simplicem constituere operationem a cæteris distinctam, jam diximus. At ex dictis constat explicationem illorum a nobis admitti non posse.

Dicendum igitur actus reflexos ab actibus directis in eo differre quod priores efficiuntur cum conscientia distincta, posteriores vero absque conscientia distincta.

Hæc facile ex supra dictis intelliguntur, nec ideo fusiori explicatione indigent.

ARTICULUS SECUNDUS.

De secundo conscientiæ gradu, seu de Conscientia personali.

314. Conscientiæ personalis definitio. — Conscientia personalis, quam et *conscientiam sui*, possemus appellare, est *actus quo anima seipsam ut personam distinctam cognoscit.* — Hac scilicet operatione, anima, ut ita dicam, sui entis limites sibiipsi determinat, sese distinguit ab eo quod ad seipsam non pertinet, incipitque dicere *Ego*. Illa deficiente, nosipsos, si ita loqui fas est, non possidemus, nostrique compotes non sumus. Unde illi qui, propter aliquem casum, illam amiserunt, verissimo in sensu dicuntur *alienati*.

De conscientia personali easdem fere ac de conscientia simplici nobis proponemus quæstiones, nempe : 1° utrum operationem a conscientia simplici factorum internorum realiter distinctam constituat ; 2° quomodo in anima producatur ; 3° in quotuplicem classem, relative ad hanc conscientiam, animæ actus distribui debeant ?

1° *Utrum conscientia personalis operationem a conscientia simplici realiter distinctam constituat ?*

Duplex solutio huic quæstioni afferri potest.

315. Prior opinio. — Dici potest actum quo anima sese ut personam distinctam cognoscit, a qualibet alia operatione,

proindeque ab ipsamet conscientia simplici realiter distingui. In hac hypothesi, animam nostram cognosceremus per specialem quamdam ideam quæ idea τοῦ *Ego* diceretur, et, cujus ope, anima sese ut objectum apprehenderet, quemadmodum et cætera quævis objecta sibi intelligibilia apprehendit. Talis reipsa est hypothesis a pluribus propugnata, circa cognitionem quam de seipsa anima habet.

316. Posterior opinio. — At simul supponi potest animam sese ut personam distinctam per aliud non cognoscere quam per conscientiam quam de suis actibus habet, adeo ut, posito quod eo modo sese non cognoscat, nulla jam ipsi via supersit qua ad illum perveniat scopum. Scilicet, eo ipso quod de alicujus cogitationis productione anima sibiipsi conscia est, varia hujus cogitationis elementa apprehendere debet; proindeque tum illius objectum, tum illius subjectum. Porro, utrumque hoc cogitationis elementum distincte apprehendere non potest, quin conscientiæ personalis actum eliciat.

317. Conscientia personalis operationem distinctam a conscientia simplici non constituit. — Ex his duabus hypothesibus, solam posteriorem amplecti possumus, propter rationum motiva quæ subsequuntur.

1° Et quidem, hujus hypothesis veritas constat per rationem facti. Si enim nosmetipsos sedulo interrogaverimus, si speciatim ad cognitionem quam de nobisipsis, ut de persona distincta, habemus, velimus attendere, nobis facile constabit in variis factis internis, quorum conscientiam habemus, ipsam includi. Nihil enim de nobisipsis immediate scimus, nisi quod *cogitamus*. Hinc anima vulgo dicitur esse *quod in nobis cogitat*. Hinc ipsius proprietates per sola cogitationis facta possumus determinare. — 2° Si independenter a conscientia cogitationum, sed per ideam specialem, anima sese apprehenderet, hæc utique idea, sicut et quælibet alia objecto et subjecto constaret. Hoc autem sine contradictione dici non potest. Objectum enim et subjectum illius ideæ anima foret. Ex dictis autem in

prima Parte, constat animam esse quidem cogitationis subjectum, neutiquam vero illius objectum (n. 30). — 3° Objectum ideæ specialis, per quam sese anima apprehenderet, vel foret anima in sua substantialitate pura, seu absque aliis modis spectata, vel foret anima in aliqua modificatione actu determinata. Atqui, neutrum dici potest. *Non prius.* Cum enim anima absque ullis modis mera sit abstractio, idea quæ tale objectum apprehenderet, ad animam realem non terminaretur, nec proinde ipsius cognitionem nobis daret. *Non posterius.* Alioquin factum animæ præsens per operationem ab illo facto distinctam apprehenderemus; quod admitti non posse in præcedenti Articulo probavimus.

Rejicienda est igitur hypothesis quæ animam sese per ideam distinctam apprehendere contendit. Hoc autem posito, facile constat concientiam personalem nihil aliud quam modificationem conscientiæ simplicis esse posse. In quo consistat hæc modificatio superest ut exponamus.

II° *Quomodo in anima producatur conscientia personalis?*

318. Duplex respectus in quæstione posita distinguendus. — Duplicem respectum includit hæc quæstio : 1° quomodo in conscientia factorum internorum, suiipsius conscientiam anima habere possit; 2° quanam ratione hæ duæ conscientiæ a se invicem possint discriminari.

Ad prius respondendum conscientiæ personalis factum in quolibet conscientiæ simplicis facto essentialiter includi. Prout enim jam ratiocinati sumus in Prima Psychologiæ Parte, quodlibet factum conscientiæ ad hoc judicium essentialiter reducitur : *Cogito.* Porro, quisquis hoc judicium profert, implicite saltem, conscientiam habere debet de seipso, tanquam illius judicii subjecto. Dicere enim *Cogito* idem est ac si diceretur : EGO *sum cogitans.*

Ad posterius diceremus conscientiam personalem eodem modo a conscientia simplici, in qua essentialiter includitur, discrepare, ac ipsammet conscientiam simplicem a facto psychologico quod testatur, et in quo pariter, ex dictis, essentialiter includitur. Scilicet, posterior hæc conscientia a facto psychologico, circa quod versatur, discrepat in eo quod mens, per abstractionem, ad factum quo afficitur, præcise tanquam factum, suæ attentionis aciem præcipue dirigit. Porro, non minus possibile est menti, dum in aliqua cogitatione versatur illiusque conscientiam habet, hanc per abstractionem considerare, quatenus τοῦ Ego determinationem, id est, quatenus subjectum inter elementa ipsius constitutiva essentialiter supponentem. Ita autem producitur conscientia personalis, quæ proinde nihil aliud est quam conscientia facti psychologici in ipsius subjecto per abstractionem considerati.

319. Objectio resolvitur. — Noster ille conscientiam personalem explicandi modus, quo scilicet animam nostram, non tanquam objectum alicujus ideæ, sed tanquam subjectum cunctarum idearum apprehenderemus, gravi objectioni, primo intuitu, obnoxius videtur.

Scilicet, si non objective, sed subjective tantum, proindeque in ideis quas de rebus exterioribus habemus, animam cognoscamus, tot subjecta cogitantia, tot igitur animæ a nobis apprehendi debent quot ideæ distinctæ in nobis inveniuntur; sicque tum identitas, tum unitas animæ penitus ruunt.

Hac autem objectione, irretiri non potest quisquis nostram cogitationis theoriam probe intellexerit. In hujus enim theoriæ expositione probavimus cogitationem ad objectum perfecta unitate et identitate pollens, scilicet ad *ens simpliciter* terminari; unde concludere potuimus varietatem idearum non completam esse, sed inter illas omnes aliquid identicum et unum, saltem ex parte objecti, semper manere. Hoc autem sufficit ut, inter varietatem factorum psychologicorum, illorum

subjectum tanquam aliquid unum et identicum apprehendatur. Objectum enim cogitationis unum et identicum esse non potest, quin subjectum ejusdem cogitationis, per aliquam, ut ita dicam, reverberationem et reflexionem in seipso unitatem et identitatem non deprehendat (1).

III° *In quotuplicem classem, relative ad conscientiam personalem, animæ actus distribui debeant?*

320. Actus personales et impersonales. — Relative ad conscientiam personalem, actus animæ in duplicem classem reponuntur, prout nempe præsente aut absente illa conscientia, producuntur.

Nimirum, in priori classe reponendi veniunt actus *personales* dicti, in quorum nempe productione agens suæ personalitatis conscientiam distinctam habet, et est, ut aiunt, *sui compos*. Nonnisi horum actuum ratio ab agente exigi potest.

In posteriori classe reponuntur actus quos absque conscientia sui agens producit, quorum proinde rationem nec sibiipsi nec aliis reddere potest. Hos libenter, si usus permitteret, *impersonales* diceremus.

ARTICULUS TERTIUS.

De Tertio gradu conscientiæ, seu de Conscientia scientifica.

321. Conscientiæ scientificæ definitio. — Conscientia scientifica est *Actus quo ad animam nostram et ad suas operationes*

(1) Circa apprehensionem animæ, qua conscientia personalis constituitur, opinionem sibi peculiarem propugnavit P. Malebranchius juxta quam non cognitionem seu ideam proprie dictam, sed merum *sensum* animæ nostræ haberemus. Cum porro *sensus* nomine communius tunc temporis designaretur quod nunc *conscientiam* appellamus, verisimillimum nobis videtur, rebus attente perpensis, theoriam malebranchianam in nostram penitus recidere, merumque inter hanc et illam verborum discrimen adesse.

attentionis aciem convertimus cum expressa intentione illius naturam intimam et leges determinare.

Hinc patet tertium hunc conscientiæ gradum duos priores in seipso includere, quatenus sive ad actum ipsum cogitationis, sive ad illius subjectum terminatur.

At simul exinde facile deduci potest in quonam ab iisdem discrepet.

Scilicet, quoties aliquis actum quemdam eliciens, cum deliberatione et libertate ad illum sese determinat, in hoc quidem agente tum conscientia simplex, tum conscientia personalis necessario inveniuntur. — *Conscientia quidem simplex*; impossibile est enim ut aliquis de actu faciendo deliberationem ineat, nec de illo actu distincte sibi sit conscius. — *Conscientia quoque personalis*. Quisquis enim libere agit, sese idealiter separat a motivis quæ illum impellunt, ut sese ex propria electione determinet. Hoc autem efficere nequit, quin suiipsius, ut subjecti cogitantis, conscientiam habeat.

Licet autem, in his rerum adjunctis, agens, de quo agitur, tum sui actus, tum suiipsius conscientiam habeat, hæc conscientia non elicitur præcise propter seipsam; ita ut agens expressam intentionem habeat tum in actum suum, tum in seipsum attentionis aciem convertendi, quo pleniorem utriusque cognitionem speculativam acquirat.

Hoc tamen homini possibile esse facile constat. Eo ipso nempe quod, abstractionis ope, possumus in cogitando, distincte apprehendere tum cogitationis factum, tum illius subjectum, nulla repugnantia est in eo quod utriusque distinctam cognitionem expresse intendamus, ut nempe illam nobis proponamus tanquam speculationis scientificæ terminum.

Operatio qua illud efficimus illud est quod *conscientiæ scientificæ* nomine designamus.

322. Scientiæ psychologicæ natura expenditur. — Cum conscientiæ gradus, de quo nunc agimus, unicum sit animæ cognoscendæ medium, scientiæ psychologicæ fundamentum in eo reponi debet. Quædam igitur, occasione data, hic delibare debemus, breviter expendendo 1° quodnam sit ejus objectum; 2° utrum scientia merito dici possit; 3° cur scientiis philosophicis illam annumeremus.

323. Psychologicæ scientiæ objectum. — Circa verum scientiæ psychologicæ objectum non omnino inter se concordant auctores.

Nonnulli scilicet existimant objectum istud non esse animam in illius realitate existentiali consideratam; sed animæ essentiam intelligibilem cujus idea nobis, perceptionis intellectualis ope, apprehenditur. Ita in primis Kantius, qui etiam exinde deducit impossibilitatem, in qua versamur, realitatem existentialem animæ scientifice astruendi. Illius placita, hoc de puncto, sic se habent.

Duplicem distinguit scientiam psychologicam, unam quam *empiricam*, alteram quam *rationalem* nuncupat. Prior tota consistit in describendis internis conscientiæ phænomenis, seu, ut ait Kantius, nihil aliud est quam mera *sensus intimi physiologia*. Posterior naturam et proprietates subjecti cogitantis expendit, ideoque ad ipsam pertinet de animæ substantialitate disserere. Duplicis illius psychologiæ partis quemadmodum diversum est objectum, ita etiam prorsus diversum est fundamentum. Psychologiæ enim empiricæ fundamentum est observatio seu mera factorum internorum experientia. Tale autem esse nequit fundamentum Psychologiæ rationalis cujus objectum, utpote ultra facta sensibilia positum, observationi empiricæ subjacere nequit, ideoque omnino independenter ab illa et a priori, seu per solum conceptum intellectualem, apprehendi debet. Nunc vero, quidquid nobis conscientia testatur *empirici* limites non excedit; extra illam igitur quærendum est Psychologiæ rationalis principium fundamentale. Hoc principium reponit Kantius in hoc judicio, *cogito*, quod nec ab observatione externa, nec ab interna provenit, ideoque *a priori* ab intellectu apprehenditur. Ex hujusmodi judicio educuntur variæ conclusiones quæ Psychologiam rationalem constituunt, et in primis substantialitas subjecti cogitantis; non enim possum concipi *cogitans*, quin eo ipso concipiar *existens*. Exinde sequitur animæ substantialitem alium valorem non habere ac ipsummet judicium, *cogito*, a quo deducitur. Porro, judicium istud mera est abstractio quæ, in se et a parte rei, nullam prorsus realitatem habet, nihilque aliud exprimit quam abstractionem. De substantialitate igitur subjecti, quod illud profert, idem dici debet, *paralogismum*que efficeret qui realitatem proprie dictam ipsi tribueret. Hinc, in philosophia kantiana idea τοῦ *Ego*, quæ una est ex ideis primitivis rationis puræ, ad id tantum utilis est, ut sit quasi centrum in quo ad unitatem reducuntur varii conceptus nostri.

Huic opinioni, prout ex iis quæ præcedunt evidenter deducitur, suffragari non possumus.

Juxta nos scilicet, instrumentum scientiæ psychologicæ est conscientia, eo fine adhibita, ut anima scientifice cognoscatur. Porro, objectum conscientiæ non est anima possibilis tantum, sed realis et existentialis, id est, illud ipsum quod est subjectum cogitationis realis qua conscii sumus. Tale igitur etiam esse debet objectum scientiæ psychologicæ.

Hinc sequitur 1° ratiocinio opus non esse ut animæ reali speculativa Psychologiæ documenta applicentur. Quidquid enim Psychologia docet, in anima ipsa reali per conscientiam apprehenduntur.

Hinc sequitur 2° distinctionem pervulgatam inter *Psychologiam empiricam et Psychologiam rationalem* realem non esse, saltem in sensu in quo vulgo intelligitur. Non enim duplex datur via ad animæ cognitionem perveniendi; sed solius conscientiæ ope nobis innotescunt quæcumque de anima nos edocet Psychologia.

Hinc sequitur 3° Psychologiæ objectum a cæterarum scientiarum objecto plurimum discrepare. Unaquæque scilicet ex aliis scientiis versatur circa objectum omnino unum, cui cognoscendo pariter incumbunt quotquot huic scientiæ ediscendæ operam navant. Non ita autem de Psychologia. Cum enim hæc scientia non versetur circa intelligibile quoddam extra nos positum, sed circa animam uniuscujusque nostrum, illius objectum et illius subjectum confunduntur, ideoque tot distinguenda sunt scientiæ Psychologicæ objecta, quot illius distinguuntur subjecta, quod proinde existunt homines.

324. Psychologia inter scientias annumeranda. — Hoc non obstante, Psychologia inter scientias merito computatur.

Etenim, ad scientiam constituendam, requiritur tantum ut detur *Series veritatum, principiorum communium ope, ad unitatem reductarum.*

Porro, hæc omnia in Psychologia inveniuntur.

In ea quidem 1° invenitur *series veritatum,* id est complexio judiciorum de quorum veritate omnino constat. Varia enim judicia, quæ Psychologiam constituunt, fundantur in conscientiæ testimonia. Porro, quiquid nobis conscientia testatur, ut certissimum, omnibus fatentibus, haberi debet.

In ea quoque 2° invenitur *principium commune.* Principium illud est judicium *Ego cogito,* ad cujus analysim et expositionem tota Psychologia reduci debet.

In ea tandem 3° invenitur *unitas.* Varia enim facta quæ in

hujus scientiæ expositione a nobis enumerata sunt, non utique apprehenduntur ut omnino a se invicem separata. Intime econtra sibi invicem connectuntur, perfectissimamque unitatem constituunt, tum quatenus in una eademque substantia recipiuntur, quæ est anima; tum quatenus ad idem objectum terminantur, quod est ens; tum quatenus non sunt nisi transformationes et formæ ejusdem facti, nempe cogitationis.

325. Psychologia scientiarum philosophicarum pars. — Quod spectat ad scientiarum classem cui scientia psychologica referri debeat, ipsam scientiis philosophicis merito annumerari facile ostenditur.

Scientias enim philosophicas eas appellamus quæ nihil aliud sunt quam analysis facti *cogitationis*, quæ ideo sola *evidentia* fundantur (Cf. *Introd.*, n. 11 et 14, *Log.*, n. 171 et seqq.). Porro, talis est Psychologia. Tota enim versatur circa partem subjectivam hujus facti, proindeque soli evidentiæ innititur. Psychologia igitur tanquam scientiarum philosophicarum pars merito habetur.

SECTIO TERTIA.

DE TERTIA EPOCHA VITÆ ANIMÆ, SEU DE ANIMA IN EXISTENTIÆ TERMINO CONSIDERATA.

326. Terminus existentiæ definitur. — Sectionis divisio. — Existentiæ terminus, pro unoquoque ente, est status in quo ens illud finis sui consecutione fruitur.

De anima in hujusmodi statu considerata hic tractaturi, successive expendemus: 1° quænam sit natura finis cujus consecutio animæ humanæ proponitur; 2° quomodo status in quo versatur anima, durante vita præsenti, ad hujus finis consecutionem tendere possit; 3° utrum tandem in altera vita hac consecutione frui debeamus.

CAPUT PRIMUM.

De Natura finis animæ humanæ.

327. **Finis notio generalior.** — Finis uniuscujusque entis est illud cujus consecutionem sibi proposuit Deus in illius creatione.

Finis ille duplex esse potest : unus quem per seipsum ens obtinet ; alter ad quem nonnisi per aliud pervenire potest. Posteriorem hunc finem ens habet quando subordinatur enti alteri, cui ad instar medii esse debet, ut ad suum finem perveniat. De priori autem tantum hic agitur.

Sic intellectus, finis nihil aliud esse potest quam exercitium plenum et perfectum facultatum quibus unumquodque ens præditum invenitur. Ex una enim parte, Deus entia creando non intendere non potest exercitium istud ; ex altera parte, præter ejusdem exercitii consecutionem, nihil est quod in quorumvis entium creatione sibi proponere possit per illa consequendum. — Et quidem 1° *Deus creando entia, non intendere non potest completum exercitium facultatum quibus prædita sunt.* Facultas enim est potestas ad aliquid. Porro, agens intelligens non potest enti conferre potestatem ad aliquid, quin velit ut ad hoc perveniat. Alioquin idem simul voluisset et noluisset. — 2° *Præter exercitium completum facultatum entis, Deus nihil aliud in illius creatione sibi proponere potuit per illud ens consequendum.* Ens enim nihil agit nisi per facultates ipsi concessas. Posito igitur quod eædem facultates plenum et completum exercitium obtinuerint, jam nihil amplius per se consequi valet, nihil proinde per illud consequendum Deus in ipsius creatione sibi proponere potuit.

Exercitium itaque plenum et perfectum facultatum entis est illud quod solum Deus intendit in hujus entis creatione. Unde

demum concludere possumus finem uniuscujusque entis in hoc exercitio merito reponi.

328. FINIS ANIMÆ HUMANÆ CUM ILLIUS BEATITUDINE IDENTIFICATUR. — Exinde sequitur finem animæ humanæ ab ejusdem beatitudine nullatenus discrepare.

Etenim, beatitudinis nomine intelligitur, vel, cum Boetio : *Status omnium bonorum aggregatione perfectus ;* vel, cum S. Thoma (1ª 2æ, q. 2, a. 8) : *Bonum perfectum totaliter quietans et satians appetitum.* Porro, *status ille bonorum omnium aggregatione perfectus; Bonum illud perfectum totaliter quietans et satians appetitum,* a finis nostri consecutione nequaquam differunt.

Hæc siquidem merito identica dici debent quæ ita se habent ad invicem, ut 1° una posita, altera eo ipso ponatur; ut 2° una sublata, altera eo ipso jam concipi non possit.

Atqui, tales sunt ad invicem finis animæ et ejusdem beatitudo.

Et quidem 1° *una posita, altera quoque ponitur.* — Supponamus enim animam finis sui consecutionem obtinuisse. Jam omnes illius facultates satiantur, bona omnia quibus illi frui conceditur plene possidet, nihil proinde illi desiderandum remanet, ideoque est beata. Supponamus pariter animam frui sua beatitudine, eo ipso nulla est in ea facultas quæ complete non exerceatur; unde concludi debet ipsam ad suum finem pervenisse.

2° *Una sublata, altera jam concipi nequit.* — Etenim, posito quod anima fine suo careat, impossibile est ut aliquid amplius non appetat ; non enim plene exercentur ejus facultates. Porro, quandiu aliquid appetit, beata esse non potest. — Pariter, si desit beatitudo, impossibile est quod finis consecutio eo ipso non desit. Tunc enim anima non perfecte quietatur, et aliquod bonum appetit. Bonum autem aliquod appetere non potest, quin aliquo facultatum suarum exercitio, quin proinde finis sui consecutione careat.

329. Beatitudinis animæ natura investigatur. — Cum finis animæ humanæ et ipsius beatitudo identificentur, ut prioris natura innotescat, in quonam posterior debeat reponi determinandum est.

Ad id expendendum venit : 1° quodnam sit beatitudinis objectum ; 2° quomodo objectum istud anima debeat apprehendere, ut beatitudine perfruatur ; 3° ex variis operationibus animæ relative ad objectum beatificum, quænam beatitudinem formaliter constituere merito dici possit.

330. I° Objectum beatitudinis determinatur. — Per objectum beatitudinis intelligitur realitas ab anima distincta cujus possessione hæc beata efficitur. Beatitudinem sine hujusmodi realitate concipi non posse ex dictis ultro sequitur. Etenim, cum animæ essentia in cogitatione reponi debeat (n. 69 et seqq.) beatitudo nihil aliud esse potest, ex parte animæ, quam certum quoddam cogitationis exercitium. Sed cogitationis exercitium, cujuscumquæ sit naturæ, ad objectivitatem necessario terminatur (n. 18 et seqq.).

Dissentiunt autem auctores circa naturam hujus objectivitatis quæ cogitatione apprehensa beatitudinis causa esse potest. Dum enim plerique contendunt Deum solum nos beatos efficere posse ; alii in possessione bonorum creatorum beatitudinem reponunt. Cum prioribus sit sequens

331. Thesis. — *Deus solus beatitudinis animæ nostræ objectum esse potest.*

Duæ sunt partes probandæ, nempe : 1° Deum esse posse objectum beatitudinis animæ nostræ ; 2° ipsum solum hac prærogativa gaudere.

Probatur prima pars, nempe : *Deum esse posse objectum beatitudinis animæ nostræ.*

Deus enim, quatenus Ens simpliciter, omnem perfectionem in se continet. Impossibile est igitur quod illius possessio omnes appetitiones animæ non adimplat, proindeque illam beatam non reddat.

Probatur secunda pars, nempe : *Deum solum nos beatos sua possessione reddere posse.*

Etenim 1° illud ens solum potest nos beatos sua possessione reddere quod solum cogitationem nostram tanquam idea terminare potest. Atqui, soli Deo hæc prærogativa competit (n. 36). Ergo, etc...

2° Omnes saltem fateri debent aliquam nobis inesse ideam Dei, qua nempe illum ut totius veritatis et bonitatis fontem apprehendimus. Hoc autem posito, nonnisi in illius possessione beatitudo nostra consistere potest. Cum enim talem habemus ideam, impossibile est boni cujusdam creati possessionem, facultatem cognoscendi et amandi, qua præditi, invenimur, plene adimplere. Ergo, etc...

3° Deus solus est finis ultimus animæ nostræ : Deus enim in creando alium finem ultimum quam seipsum habere non potest (*Theod.*, n. 242). Exinde autem sequitur ipsum quoque solum hanc beatam efficere posse. Finis enim animæ cum ipsius beatitudine prorsus identificatur ; proindeque objectum in cujus apprehensione finis animæ reponitur ; solum esse debet pro anima beatitudinis objectum. Ergo, etc...

332. II° Beatitudo subjective expenditur. — Determinato beatitudinis objecto, dicendum nunc venit quænam illius objecti apprehensio ad beatitudinem constituendam requiratur.

Ut naturam beatitudinis sic spectatæ sufficienter exponamus, necesse est ut ea quæ de variis vitæ animæ phasibus, superius dicta fuerunt, nunc breviori stylo resumamus.

1° Anima est *substantia actu cogitans ;* proindeque substantia quæ ad *Ens,* per cognitionem et amorem, essentialiter terminatur. Terminatio autem animæ ad ens, per cognitionem et amorem, licet quoad essentiam semper eadem remaneat, pluribus tamen modificationibus subjacet, relative ad modum quo exercetur. Hinc diversæ vitæ psychologicæ phases.

2° In primo creationis suæ instanti, anima cogitationis

actum exercuit absque ulla conscientia distincta. A nobis in hoc statu concipi debet tanquam vis actuosa objecto ideali immediate applicata, juxta gradum naturæ illius specificæ congruentem, quin de hujusmodi applicatione sibimetipsi reflexe rationem reddat.

Tunc igitur cogitatio exercetur *concrete* simul et *directe*. — *Concrete* quidem. Anima enim, in hujusmodi statu constituta, objectum ideale apprehendit prout est in se. — *Directe* etiam. Cum enim actui cogitationis ab anima elicito conscientia distincta comes non veniat, anima tunc agit absque ulla in seipsam suæque cogitationis factum reflexione; tendit ad objectum, nec ad se revertitur, ut de illius apprehensione conscia efficiatur.

3° In secunda phasi vitæ suæ, quam *phasim evolutionis* nuncupavimus, anima quidem tum suarum operationum, tum, illis mediantibus, suiipsius conscientiam habet. Operationes autem sic elicitæ non fiunt nisi per conceptus abstractos, quorum ope, objectum cogitationis primitivæ inadæquate tantum et, ut ita dicam, per partes apprehenditur. Hinc *cogitatio reflexa*, qua nunc fruimur, completa non est, et ideo in ea quiescere non possumus. Scilicet, mens nostra, dum ad aliquos objecti idealis respectus, abstractionis ope, reflexe attendit, ad idem objectum per apprehensionem directam plenius terminari non cessat. Dum igitur de operationibus distinctis, quas elicit, sibi conscia est, conscia est etiam objectum, cui essentialiter applicatur, per has operationes non exhauriri, id est complete non apprehendi. Porro, anima de hoc conscia sibi esse non potest, quin ad pleniorem hujusce objecti fruitionem indesinenter anhelet; sic explicantur desideria in quibus tota pene vita præsens insumitur.

4° Itaque præter duos status præcedentes, tertius pro anima concipitur, in quo anima de actu primitivo quo constituitur plenarie conscia erit, proindeque objectum illius actus, quod Deus est, nulla abstractione mediante, sed in ipsius realitate

concreta cum reflexione apprehendet, id est, cognoscet et amabit. Postremus status ille est in quo beatitudinem reponimus.

Beatitudinem igitur definire possumus : *Statum animæ in quo actus illius reflexus, seu cum conscientia elicitus, illius actum directum perfecte adæquat.*

333. NOSTRA BEATITUDINIS SUBJECTIVÆ DEFINITIO LEGITIMA OSTENDITUR. — Ut hanc nostram beatitudinis definitionem legitimam ostendamus, simulque plenius declaremus, non inutile erit illius conformitatem ostendere, cum cæteris beatitudinis definitionibus, quæ vulgo traduntur.

Duas præcipuas beatitudinis definitiones supra memoravimus : unam Boetii, juxta quem beatitudo nihil aliud est quam *Status omnium bonorum aggregatione perfectus* : alteram sancti Thomæ qui illam definit *Bonum perfectum totaliter quietans et satians appetitum*. Porro, quisquis ad has definitiones et ad nostram sedulo attenderit, facile deprehendet statum, in quo actus directus animæ et illius actus reflexus sese perfecte adæquant, omnino identificari cum statu in quo anima fruitur, sive *omnium bonorum aggregatione*, sive *bono perfecto totaliter satians et quietans appetitum*.

Rem ita se habere sufficienter ostendemus, modo probemus 1° bonum perfectum animæ nostræ in plena possessione objecti ad quod actus ipsius essentialis terminatur consistere ; 2° animam nostram, quando ipsius actus directus et ipsius actus reflexus sese adæquant, bonum istud plene possidere ; 3° animam nostram, quandiu non existit præfata adæquatio, idem bonum nonnisi quoad partem possidere. Atqui, hæc tria constant. — *Primum quidem*. Bonum enim perfectum seu aggregatio omnium bonorum, pro aliquo ente, utique identificari debet cum objecto quod per suas facultates potest obtinere. Repugnat autem quod ens aliud attingat, per suas facultates, quam objectum ad quod illius actus essentialis terminatur. — *Secundum*

quoque. Possessio enim plena alicujus boni ab ente nihil utique aliud esse potest, quam exercitium completum facultatum entis relative ad illud bonum. Atqui, posito quod adsit præfata adæquatio in anima, inter statum illius reflexum et statum directum, hæc completum facultatum suarum exercitium producere dici debet. Etenim, ens illud completo facultatum suarum exercitio fruitur, in quo nihil potentiale amplius remanet. Atqui, ita se habet anima, quando inter illius statum reflexum et illius statum directum perfecta invenitur adæquatio. — *Tertium tandem*. Nam, propter eamdem rationem, si absit adæquatio de qua agitur, exercitium facultatum animæ nondum completum est. Quandiu autem in hoc statu versatur anima, suo bono perfecte frui utique dici non potest.

Merito igitur concludere possumus definitionem beatitudinis a nobis allatam a definitionibus communibus, nonnisi propter majorem præcisionem, discrepare, ac proinde ipsam legitimam esse.

334. IIIo In quonam beatitudo formaliter consistat expenditur. — Cogitatio, quatenus ad objectum beatificum terminatur, duplici gaudet forma, *intellectu* scilicet et *amore*. Utriusque facultatis exercitium inveniri in actu quo anima beatitudine fruitur, fatentur omnes. Expendunt autem auctores in cujusnam ex his duabus facultatibus exercitio, beatitudo *formaliter* reponi debeat, id est, utrum intellectus an amor hanc per se constituat.

Triplex est opinio.

Alii enim cum Thomistis beatitudinem formaliter constitui docent in possessione Dei per intellectum. Alii cum Scotistis volunt formalem beatitudinem consistere in possessione Dei per amorem. Alii demum, duas opiniones conjungentes, dicunt possessionem Dei nos beatos efficere non posse, nisi intellectu simul et amore illum apprehendamus.

De hac controversia quam fuse tractare solent Theologi, hæc solum notanda veniunt.

Suspicamur illam non versari nisi circa voces. Unde antequam dirimatur, clare primum difficultatis punctum determinandum est.

Quando enim inquiritur in quanam operatione formaliter consistit beatitudo, vel inquiritur quasnam operationes anima producere debeat ut beata dicatur; vel inquiritur quænam tunc sit operatio quæ primario exercetur, et per quam proprie objectum beatitudinis apprehenditur; vel demum inquiritur quænam sit operatio per quam anima beata objecto apprehenso proprie fruitur et delectatur. — Si primum, beatitudo formalis tum in cognitione tum in amore reponi debet; anima enim beata esse non potest, quin utraque hæc operatio exerceatur. — Si secundum, non minus certum est beatitudinem formalem in cognitione consistere: nullus enim amor nisi cognitione præcedente concipi potest; cognitioque illud est per quod proprie objectum beatificum apprehendimus. — Si tertium, jam beatitudinem formalem in amore consistere dici poterit; vere enim per amorem objecto, per cognitionem apprehenso nostroque effecto, fruimur et delectamur.

CAPUT SECUNDUM.

De vitæ præsentis destinatione relative ad consecutionem finis animæ humanæ.

335. Quæstio statuitur. — Cum ens non existat nisi propter finem, necesse est quoque ut quidquid in eo invenitur, propter hunc finem existat. Non solum igitur variæ illius facultates, sed et diversi status per quos successive ipsi transeundum est, aliquam relationem ad illius finem habere debent. Hinc quæstio a philosophis exagitata: quisnam sit scopus vitæ præsentis, quomodo hæc vita nos deducere debeat

Frayssinous; Lalmerne; Martin.

ad finem nostrum, et cur Deus noluerit hominem ad suum finem pervenire, nisi prius illam peragraverit. Maximi momenti hanc quæstionem esse nemo non videt : ex ipsius enim solutione profluit scopus quem homo in hoc mundo sibi proponere debet, proindeque ipsius nunc agendi ratio.

336. Opiniones exponuntur. — Varia auctorum placita, circa illud punctum, ad tres præcipuas opiniones reduci possunt :

1° Non desunt qui contenderint vitam præsentem ultimum esse terminum existentiæ nostræ, proindeque finis nostri consecutionem nostramque beatitudinem in ipsamet fruitione bonorum, quæ nobis in ea possidenda præbentur, consistere. Ita plures veteres philosophi inter quos præcipue citantur: 1° Epicurei qui finem ultimum hominis constituebant in voluptatibus corporeis; 2° Stoïci qui illum reponebant in expletione officiorum moralium, seu, ut aiebant, in vita convenienter rationi et naturæ instituta; 3° Aristoteles, qui duas priores opiniones quasi in unam conflans, finem et beatitudinem hominis reponenda esse dicebat in aggregatione bonorum omnium quibus homini in præsenti vita frui conceditur, sive per cognitionem veritatis, sive per exercitium virtutis, sive per corporeas delectationes. Ita etiam, inter recentiores, materialistæ et quotquot vitæ futuræ existentiam negant. *de Dieu Lacordaire*

2° Juxta alios, vitæ præsentis scopus est removere obicem qui finis nostri consecutionem impedit.

Obicem illum nonnulli reponunt in delictis ab anima commissis antequam corpori conjungeretur. Anima non potest ad finem suum pervenire, nisi prius horum delictorum pœnitentiam egerit. Hoc autem præstare debet in vita præsenti, quæ illi tanquam pœna imposita fuit, cujus proinde scopus est *expiatio*. Ita in primis Plato et post ipsum Origenes.

Obicem ab anima removendum, ut ad finem suum perveniat, quidam reponunt in contaminatione quam per unionem cum corpore contraxit. Cum enim materia sit aliquid essen-

tialiter imperfectum et malum, substantias spirituales, quæ illi conjunguntur et quasi immiscentur, suo contactu polluit et ab earum dignitate deprimit. Animæ igitur unitæ corporibus constituuntur in statu imperfectionis et depravationis, quo durante, ad finem suum pervenire non possunt. Hinc omnibus modis conari debent ut a vinculis materiæ quibus implicantur sese expediant; et talis est scopus vitæ præsentis qui ideo consistit in *purificatione*. Advertendum est autem unam vitam ad hanc purificationem plerumque non sufficere. Hinc dogma *metempsychosis,* juxta quod animæ, antequam ad perfectam a corpore liberationem perveniant, plures vitas successive percurrere debent. Ita in primis Pythagoras, necnon plures hæretici priorum Ecclesiæ seculorum, *Gnosticorum* nomine generico vulgo designati.

3° Tandem cæteri philosophi, ex una quidem parte, tenent hominem in vita præsenti finis sui consecutionem obtinere non posse; ideoque hanc vitam habendam esse ut viam a nobis percurrendam, ut, illa mediante, ad finem nostrum in altera vita possidendum perveniamus. Ad hunc autem terminum vita præsens nos deducit quatenus, illa durante, possumus per legitimum libertatis usum, vitii nempe fugam, virtutisque exercitium, beatitudinis fruitionem promereri. Scopus itaque vitæ præsentis nec in *expiatione,* nec in *purificatione,* sed in *probatione* reponi debet.

337. Thesis prima. — *Vita præsens finem ultimum animæ humanæ non constituit.*

Prob. — Finis ultimus animæ humanæ ibi tantum inveniri potest, ubi summa illius beatitudo invenitur (n. 329). Atqui, summa animæ beatitudo in vita præsenti non invenitur.

Prob. min. — Si varia percurramus bona quibus animæ nostræ in præsenti vita frui conceditur, haud difficile nobis erit perspicere summam hominis beatitudinem in hujusmodi bonis reponi non posse. — Etenim 1° hæc bona *in se et objective spectata* valde discrepant a bono cujus possessio nobis con-

fert beatitudinem. Hoc enim bonum est Deus per cognitionem et amorem apprehensus, juxta omnem gradum quo illum eo modo apprehendere possumus (n. 332 et 333). Atqui, bona hujus vitæ a Deo sic apprehenso essentialiter discrepant. Ergo, etc... — 2° Eadem conclusio erui potest *ex modo quo eadem bona ab hominibus possidentur.* Bona enim quorum possessio hominis beatitudinem et finem constituit, talia esse debent ut cuilibet homini possibile sit ad illorum fruitionem pervenire, adeo ut nemo nisi sua culpa illis privetur. Atqui, de bonis præsentis vitæ, illud, experientia teste, dici non potest. Horum enim bonorum consecutio hominum potestatem plerumque excedit: multique homines illis privantur, quin hanc privationem aliqua culpa mereri potuerint. Ergo, etc...

338. Corollarium. — *Ergo, vita præsens haberi debet ut medium nobis concessum ut, illius ope, ad finem perveniamus.* — Etenim, cum finis sit unica ratio existentiæ cujuslibet entis, quidquid illi obvenit nihil aliud esse potest quam vel ipsemet finis propter quem existit, vel medium ad hunc finem perveniendi. Porro, de vita præsenti prius dici nequit; ergo, de eadem posterius dici debet.

339. Thesis secunda. — *Scopus vitæ præsentis nec in purificatione contaminationis cujusdam animæ, per suam cum corpore cunjunctionem, impressæ; nec in expiatione delictorum ab ea commissorum, reponi debet.*

Probatur prima pars, nempe: *Scopum vitæ præsentis in purificatione non consistere.*

1° Talem esse hominis finem in præsenti vita propugnari non potest, nisi in quantum unio animarum cum corporibus foret essentialiter mala. Atqui, illud dici nequit. Etenim 1° si res in se spectetur, nulla videtur essentialis deordinatio in eo quod substantia spiritualis conjungatur substantiæ corporali; imo, si abstrahatur a conditione peculiari in quo nunc versatur anima relative ad corpus, propter peccatum originale, talis conjunctio dignitati animæ nihil detrahit. — 2° Cum Deus

præsentis status, posito quod intrinsece malus, auctor esse non possit, adversarii, ut suam tueantur opinionem, vel confugere coguntur ad hypothesim duorum principiorum, unum bonum, alterum malum; vel supponere voluntatem Dei nullum in productione status in quo constituimur influxum habuisse. Atqui, hæ suppositiones fieri non possunt. Ergo, etc...

2° Ex opinione quam confutamus plurima circa officia quæ adimplere debemus sequuntur consectaria sensui communi hominum prorsus opposita. Scilicet, si conjunctio animæ cum corpore sit status essentialiter malus cujus liberatio sit unicus scopus nobis in hac vita propositus, 1° quidquid tendit ad hunc statum continuandum est de se essentialiter malum: sic manducatio qua vitæ nostræ conservationi providemus, matrimonium quo genus humanum propagatur, proindeque unio animarum cum corporibus producitur, tot forent actus illiciti; 2° quidquid econtra ad eamdem unionem destruendam tendit, eo ipso bonum et legitimum est : sic, v. g., suicidium tanquam scelus immane immerito culparetur. Atqui, hæc omnia sensui communi hominum opponuntur. Ergo, etc...

Probatur secunda pars, nempe : *Scopum vitæ præsentis in expiatione non consistere.*

Experientia constat nullum esse hominem apud quem memoria delictorum de quibus agitur in præsenti statu remaneat; unde hujusmodi delicta a nobis penitus ignorantur. Atqui, quælibet expiatio essentialiter exigit in subjecto cui infligitur delicti cognitionem. Duplex enim distinguitur expiationis genus, una quam sibi libere imponit reus ut veniam dilecti obtineat; altera quæ reo, licet invito, tanquam pœna illius delicti, per auctoritatem competentem infligitur. Porro, neutra ex illis absque cognitione delicti esse potest. Non quidem prior ; uti per se evidens est. Nec etiam posterior ; pœna enim non potest esse vera pœna, nisi subjectum cui infligitur tanquam pœnam illam habeat ; alioquin, affligetur quidem, sed non punietur : porro, pœna ut pœna ab aliquo subiri non potest,

nisi ille se reum agnoscat, proindeque delicti a se commissi nonnullam conscientiam habeat. Ergo, etc...

340. THESIS TERTIA. — *Vita præsens nihil aliud est quam tempus probationis in quo, per legitimum nostræ libertatis usum, finis ultimi nobis propositi consecutionem possumus promereri.*

Prob. — Scopus vitæ præsentis in eo consistere debet ut, ea durante, per libertatis exercitium ad finem perveniamus. Atqui, ad finem, per libertatis exercitium, pervenire, idem est ac finis illius consecutionem per legitimum libertatis usum promereri. Ergo, etc...

Prob. maj. — Jam nobis constat vitam præsentem, utpote finem ultimum animæ non constituentem, nihil aliud esse posse quam medium ad hunc finem perveniendi, id est, quam conditionem ponendam ut illum assequamur. Sed vita præsens, si spectetur in anima, unice consistit in speciali quadam activitatis ipsius evolutione per circumstantias peculiares, in quibus nunc versatur, determinata. Dicendum igitur conditionem finis nostri assequendi in hujusmodi activitatis evolutione esse reponendam. Porro, ultima hujus evolutionis meta, ipsiusque gradus perfectissimus, est libertas, ad cujus exercitium omnes vitæ eventus manifeste ordinantur. Concludere ergo possumus *scopum vitæ præsentis in eo consistere ut, ea durante, ad finem perveniamus, per libertatis exercitium.*

Prob. min. — Libertas est agendi modus quo actus elicitur ad arbitrium agentis, seu ex mera illius electione (n. 272 et seqq.). Hoc posito, dicere libertatis exercitium, tanquam conditionem prærequiri ad finis consecutionem, idem est ac si diceretur finis nostri assecutionem liberæ electioni nostræ relinqui, adeo ut in nostra potestate sit ad illam tendere aut non tendere. Quisquis autem hac potestate donatus, sua libertate utitur ut ad finem tendat, illam promereri dicendus est. Meritum, enim ex alibi dictis (*Eth.*, n. 67), nihil aliud est quam relatio connexionis quæ existit inter adhæsionem liberam summo bono

et hujus fruitionem. Ergo, ad finem per libertatis exercitium pervenire, idem est ac illius consecutionem per legitimum libertatis usum promereri.

Scopus igitur vitæ præsentis in eo quod illud efficiamus merito reponitur.

CAPUT TERTIUM.

De consecutione finis animæ humanæ in altera vita.

341. Quæstio tractanda exponitur. — Uniuscujusque hominis vita finem invenit in morte, cujus signa exteriora sunt, tum cessatio functionum vitalium quarumcumque in organismo, tum, post breve tempus, illius plena dissolutio.

Destructo organismo, anima quæ illi præerat, inter membra societatis humanæ computari nequit, nullaque cæteris hominibus existentiæ suæ jam præbet indicia.

Quidnam autem de illius sorte tenere debeamus? Numquid cum materialistis existimandum sit animam, dissoluto organismo, in nihilum recidere? An, cum *progressistis* recentioribus, dicemus animam organismo quidem superesse; ipsam vero, memoria rerum anteactarum penitus amissa, novam personalitatem induere, ut novam peragret vitam, cui iterum altera succedet et sic deinceps? Utrum tandem, saniori philosophorum parti adhærentes, propugnabimus existentiam alterius vitæ, in qua anima finem suum, id est, beatitudinem, consequetur, si digna fuerit; sin autem, pœnis afficietur?

Talis est quæstio a nobis expendenda.

342. Ecclesiæ catholicæ, generisque humani fides, relative ad futuram vitam, breviter exponitur. — Antequam quæstionem hanc philosophice pertractemus, utile duximus tum Ecclesiæ catholicæ, tum generis humani documenta relative ad vitam futuram animæ nostræ hic exponere.

I° Ecclesia catholica, scripturæ sacræ, traditionisque testimonio innixa, hæc tenet de vita futura.

1° Mors non consistit in absoluta totius hominis destructione; sed in separatione animæ a corpore. Vi hujus separationis, corpus vita privatum mox dissolvitur; anima vero novam incipit vitam, in qua tum personalitatem, tum rerum anteactarum memoriam conservat.

2° In instanti quo anima separatur a corpore, triplex esse potest illius status, prout : vel ab omni prorsus labe peccati immunis invenitur; vel levioribus adhuc delictis implicatur; vel demum in mortali peccato constituitur. In primo casu, Paradisus illam recipit, ibique felicitate perfruitur. In secundo, Purgatorii ignibus reservatur. In tertio, descendit in Infernum, ut justam scelerum pœnam recipiat.

3° In fine mundi, animæ humanæ, quicumque sit earum status, corpus olim ab ipsis animatum reassument. Tunc omnium hominum simul coadunatorum judicium fiet. Justi vocabuntur in Paradisum, mali autem in Infernum immittentur; priores ut in æternum beatitudine, quam meriti sunt, perfruantur; posteriores ut in æternum pœnas solvant.

II° Hæc, circa futuram animæ nostræ vitam, Ecclesiæ documenta, per generis humani testimonium mire confirmantur. Constanter enim et universaliter tum vitæ futuræ existentiam, tum præmia et pœnas justis et peccatoribus in ea rependenda, genus humanum admisit.

Et quidem 1° *admisit vitæ futuræ existentiam*. Etenim 1° heroum semideorumque cultus quem apud veteres in usu fuisse constat, animæ vitam post mortem corporis ipsos admisisse manifeste ostendit: quomodo enim cultum exhibuissent iis de quibus jam nihil superfuisset? — 2° Metempsychosis, necromantia, evocationes mortuorum, sacrificia manibus oblata, innumeræque superstitiones circa mortuos, quæ apud eosdem viguerunt, illius etiam dogmatis fidem arguunt. — 3° Idem astruunt plurima scriptorum tum veterum, tum

recentiorum testimonia, quorum nonnulla tantum hic afferemus. — Cicero (*Tuscul.*, lib, c. 12) animæ immortalitatem probat ex universali generis humani consensu; observatque hanc opinionem, non solum a viris maximæ auctoritatis fuisse propugnatam, sed etiam toti antiquitati communem exstitisse. — Observat Warburthonius græcorum poetarum vetustissimos quando sive suæ gentis, sive aliarum nationum mores describunt, de immortalitatis animæ dogmate loqui tanquam de opinione ab omnibus admissa. — Teste Bruckerio (*Hist. philos.*, t. 6, p. 198) certissima ostendunt indicia, eamdem doctrinam ab antiquissimis temporibus apud Scythas, Sarmatas, Germanos, Gallos, Iberos, admissam fuisse. — De recentioribus populis idem facile constat; sic inter alia testimonia, narrat Robertson (*Hist. of. Amer.*, book 4) immortalitatis animæ dogma cunctas Americæ regiones uno ore profiteri (Cf. D. de la Mennais, *Essai sur l'indiff.*, t. 3, ch. 27).

Ergo 1° genus humanum admisit existentiam vitæ futuræ.

Admisit 2° pœnas et præmia peccatoribus et justis in hac vita esse rependenda. — Mercedum pœnarumque alterius vitæ dogma apud omnes populos perseveravisse innumeris constat monumentis, quorum nonnulla tantum seligimus. — Ægyptii, teste Porphyrio, servabant quamdam deprecationis formulam, quæ in mortis instanti recitanda erat ad obtinendum in domum immortalium ingressum. Iidem pro mortuis fundere preces consueverant, infernumque admittebant qui in eorum lingua Amenthes vocabatur. — Norunt omnes quid poetæ veteres narrent de statu mortuorum in inferis, de Tartari pœnis, et Camporum-Elysiorum felicitate : quæ quidem fictiones fidem generalem evidenter arguunt. — Philosophi plurimi, in primis Socrates, Plato, Zeno, Seneca, Cicero, etc., eamdem veritatem docuerunt : hanc autem non tradunt ut proprii ingenii fœtum, seu ut opinionem ipsis singularem, sed tanquam dogma a vetustissimis temporibus ubique admissum. Celsus, licet epicureus religionique christianæ infensissimus, fatetur Christi

discipulos merito admittere bonos in altera vita remunerari, malos vero suppliciis æternis deputari : in hoc autem, inquit, cum omnibus sentiunt. — Eadem doctrina recens inventa est apud Americæ incolas : sic Peruviani credebant animam esse immortalem, ipsique vitam beatam aut miseram in altero mundo reservari ; imo et ipsam resurrectionem corporum profitebantur (Cf. de la Mennais, *Essai sur l'indiff.*, t. 3, ch. 27).

343. Quæstio dividitur. — Quid de eodem objecto rationis lumen nos edoceat nunc dicendum. Ut illud præstemus, duplicem respectum in quæstione posita distinguere debemus. Scilicet, ex supra demonstratis, vita præsens est status probationis in quo consecutionem finis nostri libere promereri debemus. Hoc posito, duo de unoquoque homine evenire possunt: 1° ut probationis hujus cursum legitime impleverit, ideoque finem suum meruerit ; 2° ut, in præsenti vita, libertate sua abusus fuerit et finem non meruerit. Quid igitur in alterutro ex his casibus post mortem eveniet, seorsim expendendum.

I° *Status animæ humanæ, post mortem corporis, probationis cursu rite expleto, philosophice expenditur.*

344. Puncta tractanda enumerantur. — Inquiri potest : 1° utrum anima humana, probationis cursu rite peracto, corpori superstes exstitura sit ; 2° utrum beatitudinis sui consecutione sit statim fruitura ; 3° utrum beatitudinem semel assecuta illius fruitionem post aliquod tempus amittere debeat.

345. Thesis prima. — *Anima humana, probationis cursu rite peracto, corporis dissolutioni, quæ evenit in morte, superstes remanebit.*

Prob. — Omnino impossibile est ut homo, omnibus conditionibus, quæ illi ad assequendum finem præscribuntur fideliter adimpletis, hujus tamen finis consecutionem non obtineat.

Tunc enim in Deo contradictio adesset, dum finem aliquem homini promerendum proponeret, simulque homini finem sibi propositum rite merito, hujus assecutionem denegaret. Atqui, si anima corpori dissoluto superstes non remaneret, illud eveniret. Constat enim hominem, quandiu vita præsens producitur, suo fine privari. Ergo, etc... (1).

346. Thesis secunda. — *Anima humana, probationis cursu rite peracto, a beatitudine perfruenda fraudari nequit: ab hujus tamen possessione arceri potest, quoadusque leviora delicta nondum tempore mortis expiata penitus abluerit.*

Prob. prima pars, nempe : *animam humanam, probationis cursu rite peracto, a beatitudine perfruenda fraudari non posse.* — Si enim aliter esset, vel quatenus anima ante beatitudinis fruitionem annihilaretur, vel quatenus, licet superstes, ab ea æternum arceretur, vel tandem quatenus ad beatitudinem possidendam nova iterum probatione indigeret. Atqui nullum ex his dici potest. — *Non primum, nec secundum;* constat enim, ex prima thesi, hominem a fine suo consequendo privari non posse, posito quod conditiones ipsi a Deo impositos fideliter impleverit. Atqui, finis hominis in beatitudine consistit. A beatitudine igitur possidenda, cursu probationis rite peracto, privari nequit; ac proinde nec ante hujus possessionem annihilari, nec licet superstes ab ea in æternum arceri potest. — *Non tertium.* Posito enim quod beatitudinis consecutio homini proponatur a Deo, tanquam præmium alicujus probationis, æquum non est ut, illa probatione rite peracta, alia iterum ipsi imponatur. Tunc siquidem in divina voluntate aliqua inveniretur contradictio. Ergo, etc.

Mais la vie présente est-ce la seule épreuve que Dieu se soit proposé? Rien ne prouve qu'il y en ait une autre; on ne peut donc pas bâtir là-dessus un système; arrête tout

(1) Ad eamdem astruendam thesim plurimæ afferri solent probationes quæ desumuntur : tum ex attributis Dei, in primis ex illius Justitia et Sapientia; tum ex propensionibus naturæ nostræ, et præsertim ex felicitatis desiderio nobis innato. Hæ autem probationes, quatenus vim aliquam probantem habent, nobis reduci videntur ad argumentum ex fine hominis desumptum (Cf. si lubet *Philos. Lugd.*, Met. spec. diss. 2).

le monde croit que cette vie est l'épreuve totale. Bon sens, propensions naturelles tout me le dit.
M. Frayssinous.

Prob. secunda pars, nempe : *a beatitudinis possessione animam arceri posse, quoadusque leviora delicta tempore mortis nondum expiata penitus abluerit.* — Etenim, ratio nullam invenit repugnantiam in eo quod 1° anima delicta quædam leviora, præsenti vita durante, committat, simulque finis sui consecutionem nihilominus mereatur; in eo quod 2° fine tamen suo frui non possit, nisi illa delicta sufficienter expientur; in eo quod 3° eadem delicta post mortem corporis ab anima possint expiari. Ergo, etc.

347. THESIS TERTIA. — *Attento solo rationis lumine, determinari nequit quænam erit duratio beatitudinis in altera vita consequendæ, utrum nempe æterna futura sit, an temporanea tantum.*

Prob. — Ut thesis constet, ostendere satis est nullam repugnantiam inveniri, attento solo rationis lumine, tum in eo quod beatitudo alterius vitæ finem non habeat, tum in eo quod finem habeat. Atqui, neutrum ex his repugnantiam includere videtur.

1° *Non repugnat quidem, attento solo lumine rationis, beatitudinem alterius vitæ finem non habituram fore.*

Evidens est enim Deum posse in existentia conservare entia a seipso creata quandiu voluerit, proindeque, si talis sit ejus voluntas, in perpetuum. Hoc posito, nulla repugnantia est in eo quod anima, semel beatitudinem assecuta, in æternum illa perfruatur.

2° *Non repugnat etiam, attento solo rationis lumine, beatitudinem alterius vitæ finem habituram fore.*

Si enim in hoc repugnantia esset, hæc desumeretur : vel ex parte animæ, quæ essentialiter æterna foret; vel ex parte beatitudinis quæ, nisi æterna foret, vera beatitudo non esset; vel demum ex parte modi quo ad beatitudinem pervenitur, scilicet bonæ vitæ meritum. Atqui, nullum ex his dici potest. — *Non primum.* Anima enim, cum sit contingens, quemadmodum potuit non creari, ita etiam per potentiam divinam potest quolibet instanti annihilari. — *Non secundum.* Beati-

tudo enim vitæ futuræ comparari non debet cum voluptatibus vitæ præsentis, quæ semper egoïsmo admiscentur. Constituetur enim per amorem perfectissimum Dei, ac proinde illius omnis quod Deus velle et decernere potest. Posito igitur quod Deus vellet beatorum annihilationem, hoc ipsum amare deberent, proindeque nullum detrimentum exinde eorum beatitudo pateretur. — *Non tertium.* Impossibile est enim demonstrare quod bona vita aliud quam beatitudinem temporaneam promereri possit. Ergo, etc...

Nulla igitur ex parte, ratio sibi derelicta vitam beatam fore æternam demonstrare valet. Non diffitendum tamen hujus dogmatis fidem inter propensiones naturæ nostræ inhærentes inveniri : omnes enim ad immortalitatem aspiramus, et reipsa istud dogma a genere humano constanter et universaliter admissum fuit. Et in hoc forsan firmius invenitur argumentum quod, seclusa revelatione, in favorem immortalitatis animæ possimus invocare.

II° *Status animæ humanæ, post mortem corporis, probationis cursu non rite peracto, philosophice expenditur.*

De statu hujusmodi tres sequentes statuemus theses.

348. Thesis prima. — *Anima quæ, per tempus suæ probationis, beatitudinem tanquam finem sibi propositam promereri noluit, hoc tempore elapso, tum illa beatitudine privari, tum in impossibilitate absoluta ad illam unquam perveniendi constitui potest, illæsis attributis divinis.*

Probatur prima pars, nempe : *animam, de qua agitur, tempore probationis elapso, merito posse, illæsis attributis divinis, beatitudine privari.* — Deus enim, illæsis attributis, permittere potest ut entia a se creata in hunc statum incidant quem sibi libere elegerunt. Hic enim status non Deo, sed ipsimet enti creato imputari debet. Atqui, talis est privatio

beatitudinis pro anima de qua agitur in thesi. Hæc enim, eo ipso quod noluit per actus bonos beatitudinem promereri, illius eo ipso privationem libere voluit. Ergo, etc... (Cf. *Eth.*, n. 67).

Probatur secunda pars, nempe : *eamdem animam, illæsis item divinis attributis, in impossibilitate absoluta ad felicitatem unquam perveniendi constitui posse.* — Res ita est, modo Deus, per sua attributa, ad novum probationis tempus huic concedendum non teneatur. Atqui, ad id Deum non teneri facile constat.

Deus enim, vi attributorum suorum, nonnisi ad duo teneri potest erga creaturas a se conditas : scilicet 1° ad illis assignandum finem seipso dignum 2° ad illis concedendum media sufficientia ut hunc finem assequi possint. Illud principium ex dictis in Theodicea abunde constat. Posito igitur quod erga creaturam aliquam hæc duo Deus præstiterit, ad amplius erga illam stricte teneri non potest. Porro, erga ens de quo in thesi agitur, hæc duo Deus præstitit. Illi quidem assignavit finem seipso dignum, beatitudinem scilicet, suiipsius fruitione obtinendam. Huic etiam concedit media ad hunc finem assequendum sufficientissima; huic enim enti, utpote libero, possibile erat ad hunc finem perveniendi. Postquam igitur his mediis uti sua culpa recusavit, nil obstat quin Deus illi nova media ad eumdem finem perveniendi non conferat, proindeque illud in impossibilitate absoluta unquam beatum effici derelinquat. Ergo, etc...

349. Thesis secunda. — *Anima quæ sua culpa beatitudine cui destinabatur privari meruit, insuper pœnis positivis juste illi a Deo infligendis, et ab ea vel per totam æternitatem subeundis, obnoxia existit.*

Probatur prima pars, nempe : *hanc animam pœnis positivis juste illi infligendis obnoxiam esse.* — Ex thesi enim præcedenti, Deus potest, illæsis suis attributis, privare in æternum beatitudine ens quod, durante suæ probationis tempore, illam

promereri neglexit; eo quod illam promereri negligendo, illius privationem libere voluit, aut potius in hac privatione sese libere constituit. Hoc posito, nil obstat etiam, propter eamdem rationem, quin Deus enti de quo agitur hujus privationis sensum et experimentum tribuat; æquissimum est enim ut ille qui vult statum, seseque in illo libere constituit, illius postea conscientiam habeat. Atqui, facile constat sensum hunc pœnam gravissimam constituere. Ad pœnam enim duo requiruntur : 1° quod aliquis sentiatur dolor ; 2° quod dolor ille sit consectarium culpæ commissæ. Atqui, hæc duo in præfato sensu inveniuntur. Invenitur quidem dolor et quidem eo vehementior quod bonum cujus sentitur amissio optabilius concipitur. Præterea, dolor ille est consectarium culpæ commissæ, cum proveniat ex officii violatione. Ergo, etc...

Probatur secunda pars, nempe : *eamdem animam pœnis positivis subeundis vel per totam æternitatem obnoxiam esse.* — Cum enim pœnæ illæ consistant in sensu beatitudinis propter culpam amissæ, tandiu evidenter durare possunt ac ipsamet beatitudinis privatio. Atqui, ex thesi præcedenti, hæc privatio per totam æternitatem durare potest. Ergo, etc...

350. THESIS TERTIA. — *Attento solo rationis naturalis lumine, absoluta repugnantia esse non videtur in eo quod Deus præfatam pœnam rigorose non exigat; sed vel illam condonet, animam huic obnoxiam ad promerendam beatitudinem iterum revocando; vel eamdem pœnam mere negativam reddat, animam huic obnoxiam annihilando; vel demum illam minuat, sensum beatitudinis amissæ segniorem efficiendo.*

Prob. — Prout enim modo animadvertimus, attributa divina, quatenus per lumen naturale nobis innotescunt, non exigunt nisi quod Deus creaturis a se conditis 1° finem assignet seipso dignum, 2° media sufficientia ad illum perveniendi ipsis suppeditet. Atqui, hæc duo nullatenus impedire videntur, quin Deus possit pœnam ex culpabili beatitudinis amissione prove-

nientem vel condonare, vel negativam reddere, vel mitigare. Ergo, etc...

351. Corollarium. — Si ad tres theses modo positas sedulo attendamus, facile concludere poterimus quid doceat ratio naturalis sibi derelicta circa dogma catholicum æternitatis pœnarum a peccatoribus in altera vita luendarum, quod tantopere impugnant religionis hostes. Hoc scilicet dogma non quidem a ratione demonstrari posse videtur, ut constat ex tertia thesi. At simul nihil prorsus includit quod ullatenus attributis divinis opponatur, uti prima et secunda thesis sufficienter ostendunt.

Scholium.

352. Hic obiter quæri potest utrum unio animæ cum corpore in vita futura sit perseveratura, utrum vero anima hac unione in præsenti tantum vita fruetur. Nullum dubium hac de re permittit fides catholica; dum corporum resurrectionem illorumque proinde cum animabus iteratam conjunctionem nobis credendum proponit. Si autem, solo rationis lumine attento, quæstionem expendamus, hæc statuenda veniunt.

1º Animam humanam cum corpore in vita futura iterum conjungi saltem possibile est, nec ullatenus, quidquid e contra dixerint religionis christianæ hostes, rationi contradicit. Non enim profecto magis repugnat Deum corpus mortuum resuscitare, quam illud per creationem e nihilo educere. Præcipua difficultas quæ hic objicitur, desumitur ex eo quod sæpe sæpius eædem partes materiales quæ corpus aliquod humanum constituunt, ad aliud corpus efformandum postea concurrant, ut certissime saltem evenit in anthropophagis. Ad id autem facile respondere possumus minime necesse esse quod corpus resuscitatum easdem omnino habeat partes ac in præsenti; non enim, uti supra diximus, identitas corporum viventium in hujusmodi partium identitate consistit, sed probabilius in identitate

principii vitalis quod corpori organisationem proprie confert. Hinc illius ope principii, corpus aliquod in altera vita identicum esse poterit alii corpori in hac vita olim existenti, licet ne unam quidem ex moleculis hujus constitutivis amplius conservet.

2° Non tantum possibilem esse corporum resurrectionem edocet ratio, illam quoque esse admittendam potenter innuit. Etenim 1° finis ultimus quem in altera vita assequi debemus, nobis non proponitur tanquam puris spiritibus, sed tanquam hominibus, id est, tanquam entibus corpore et anima conflatis; et, ut tales, in hac vita, illius consecutioni allaborare debemus. Unde maxime conforme ordini videtur, ut tanquam homines illo perfruamur. Porro nisi corpora reviviscerent, res ita se non haberet; anima enim a corpore separata non magis homo dici potest, quam corpus sejunctum ab anima. — 2° Vita futura nobis proponitur tanquam merces aut pœna propter actiones bonas aut malas a nobis in præsenti vita peractas. Exinde autem sic argumentari datur : *actiones*, uti diximus in Ontologia, *sunt suppositorum*, id est, personarum; iis proinde pertinent quæcumque actiones sequuntur, nempe merita et demerita, pœna et præmia : eadem igitur persona quæ actibus suis meruit aut demeruit, remunerari aut puniri debet. Porro, persona humana, quæ in hac vita meretur aut demeretur, anima et corpore constat : ergo, iisdem elementis dum pœnam aut mercedem recipiet prædita esse debet. Præterea, ut observat Tertullianus in libro de *Resurrectione carnis*, ipsamet substantia corporea actibus virtuosis et peccaminosis cooperatur, dum ipsa ad illos patrandos tanquam instrumento utitur anima. Æquum est igitur ut malorum animæ excrucientur per suam unionem cum corporibus, quæ illarum sceleribus inservierunt; animas vero justorum per societatem corporis, quod meritorum et laborum socius fuit, remunerentur. — 3° Cum Deus animæ humanæ corpus in hac vita intime conjunxerit, conformius est rationi admittere animam humanam in eadem conditione, quandiu exstitura est, perseverare, nisi quibusdam

probationibus positivis illud repugnare demonstretur. Atqui, nulla hujusmodi probatio afferri potest. Nam, ex una parte, nulla est impossibilitas in eo quod Deus corpora reviviscere faciat, illaque animabus iterato conjungat ; ex altera vero nullum concipitur motivum cur Deus non eumdem statum, quem in præsenti vita habuit, animæ servaret.

3° Corpus resuscitatum beatorum, ut animæ beatitudini obstaculum non afferat, iisdem infirmitatibus ac nunc non erit obnoxium ; ideoque novis dotibus præditum esse debebit. Circa illas dotes adeantur theologi qui illas in tractatu *de Beatitudine* fuse exponunt.

353. Et hæc de animæ fine dicta sufficiant. Cæteræ quæstiones de illa moveri solitæ et quarum pleræque non sine revelationis adminiculo plene solvi possent, fuse expositæ invenientur præcipue apud theologos. Nos vero in Philosophiæ limitibus remanere volentes, simulque brevitati consulentes, illas omittimus, ideoque hic Psychologiæ nostræ finem imponimus.



EXPLICIT PSYCHOLOGIA.